This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

LSoc 1726.35.5



HARVARD COLLEGE
LIBRARY

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS ERVDITORVM NOVIS ACTIS OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA,

EDENDI CONSILIVM SVSCEPIT, SVA NONNVLLA PASSIM ADDIDIT, PRAEFATIONEM PRAEMISIT,

FRIDER. OTTO MENCKENIVS,
PHIL. ET IVRIS VTR. DOCTOR,
POT. POL. REGIS ET ELECT. SAX. CONSILIARIVS AVLAE,
VRBIS PATRIAE SENATOR, SOCIET. SCIENT. REG. BORVSS. SODALIS.

VOLVMINIS SEPTIMI PARS PRIMA.

LIPSIAE,
APVD B. LANCKISII HAEREDES,
MDCCXLIX.

L Soc 1126.35.5

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
AUG 31 1948

Sheldon fund

I.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII JUDÆUS HEAVTONTIMORUMENUS, SEU IUDICII CAPITALIS, QUOD INTER IUDÆOS IN CHRISTUM FUIT EXERCITVM, INIUSTITIA, E IUDÆORUM DOCTRINA LIQVIDO DEMONSTRATA.

SUMMA TRACTATIONIS.

§. I. *Innocentia Jeſu undiquaque elucet, præcipue ex dignitate Meſſiana.* II. *Perperam ei crimen blaſphemiæ fuit obiectum.* III. *Crimen ſeditionis, vel affectati regni, ab eo prorſus abfuit.* IV. *Cognitores cauſæ præcipui erant affinitate iuncti.* V. *Judex, ab alio ſolicitatus ad nocendum, arguit, ſolicitantem eſſe pœnæ reum.* VI. *Judices, ſeu cognitores, cauſarum capitalium ea ætate erant admodum imperiti.* VII. *Judicii forma & tempus lege vacabat.* VIII. *Teſtes inter ſeſe diſcrepabant, & erant ſubornati.* IX. *Teſtes nec ad horrorem adacti, nec debite examinati*

fuerunt. X. *Defuit propria accuſati confeſſio.* XI. *Præco neminem ad vindicias proferendas pro accuſato evocavit.* XII. *Cautio de homicidio evitando haud fuit obſervata.* XIII. *Judæi cædis illius crimen in ſeſe transtulerunt haud inviti.* XIV. *Innocentia Chriſti eluxit in natali, miniſterio, morte, & ſepultura.* XV. *Sociniani peccant in Chriſti innocentiam, faſſi, Chriſtum pro nobis factum eſſe execrationem, nec tamen morte ſua innocentiſſima nos redemiſſe.* XVI. *Judæi ætatis noſtræ graviter peccant in Chriſtum, dum facta progenitorum, in eum commiſſa, habent rata.*

I. Non ſolum iniqui fuerunt olim Judæi in Jeſum, dum graviſſima ei adfinxerunt crimina, ſed omnem etiam iniquitatis modum exceſſerunt, cum innocentiſſimum Dei hominisque filium ad capitale crucis ſupplicium abſtraxerunt. Quamvis enim ab eo ruinam & exitium rei ſuæ publicæ ſibi perſuaderent imminere, auctoritatique ſuæ ſtuderent conſervandæ in illo perdendo, nulla tamen ſuſpicio, minutiſſimi peccati index, in Jeſu doctrinam vitamque ab eis fuit conjecta, cui vel leviſſima criminis nævique ſpecies videatur faviſſe. Jeſus enim manſuetudinem in veritate cœleſti patefacienda demonſtravit exquiſitiſſimam; vitam egit ſanctiſſimam, & ab omni labe remotam; beneficus in ægrotos miſeroſque exſtitit Judæos; re-

gnum

gnum haud appetivit, & caducum, & ſplendida huius vitæ miſeria circumſcriptum; quin potius eos, qui regnum ei Galilææ obtulerant, fuit averſatus; regnum cœli ac veritatis, eiusque amplificationem, unice reſpexit; mortalibus aperuit viam Deo placendi, eisque præluxit perfectiſſimo virtutum exemplo; nomen iam in V. T. obtinuit *iuſti germinisque iuſtitiæ*, tantum abeſt, ut iniuſti quiddam concupiverit; miraculis luculentiſſimis ſuo nomine editis ſeſe demonſtravit Deum Deique filium ſempiternum, Spiritumque ſanctum, veritatis puritatisque fontem, cum hominibus communicavit. Ipſe *Pilatus*, a vera religione licet averſus, eum pro innocenti habuit. *Pilati* uxor de eius iuſtitia teſtimonium dedit. Cœlum & terra de eius innocentia perſonuere. Centurio Romanus eius divinitatem, ſtans ad crucem, agnovit, & innocentiam prædicavit. Angeli & ipſe Deus pater de ipſius puritate ediderunt manifeſtiſſima documenta. Miracula, per Apoſtolos edita, & charismata, ab ipſo eccleſiæ infuſa, doctrinæque Chriſtianæ inter ſanguinem Martyrum dilatatio incredibilis, indicarunt ſatis ſuperque, quanta Chriſti fuerit innocentia. Et quem fugit doctrinæ, quam is profeſſus fuit, nucleus, in ſectanda & comparanda innocentia poſitus & elucens? Meſſias certe non poterat non eſſe ſanctus, ſanctitatisque præco & exemplum. Jeſum vero eſſe Meſſiam, tam eſt evidenter comprobatum, ut ignorem, an ulla inſcitia & caligo maior poſſit eſſe tenebris ignorantiæ illis, qui-

bus Judæi laborant. Ipſe enim Jeſus eis radiis ſingulis effulſit, quibus Meſſiam fore ſpectabilem & conſpicuum, docuerant Prophetæ. Meſſiam oportuit prodire ex progenie *Davidis* a), ex virgine naſci b), in oppido Bethlehem Judæ progigni c), cœleſti & glorioſa luce eius natales indicante d), eo inprimis tempore, cum ſceptrum & iurisdictio, ac iudicii ſecretarius, ſeu ſcriba, מְחוֹקֵק ex nepotibus *Juda* ſeris ceſſaret, ac tolleretur e) per dominatum externum f). Meſſias erat ille g) lapis fundamenti in Zione electus, angularis, pretioſus, fundamento firmiſſimo inſerviens, in quo fiducia omnis collocanda *Eſ. XXVIII, 16.* Teſtis ad eum locum eſt expoſitionis hujus R. *Salomo Iſaacides.* Meſſias fuit prænuntiatus tanquam lapis, quem reprobarunt ædificantes, qui *caput anguli* erat futurus *Pſ. CXVIII, 22.* Locum hunc de Meſſia expoſuerunt R. *Salomo Iſaacides* ad *Mich. V, 1,* R. *David Kimchi* ad *Pſ. CXVIII,* aliique Judæorum commen-

a) *Eſ. XI, 1, 2 Sam. XXIII, 3, Pſ. CXXXII, 17,* R. *Aben Esra ad Eſ. LV, 3.*

b) *Eſ. VII, 14, Dan. II, 34.*

c) *Mich. V, 1,* R. *Salomo Iſaacides* h. l. *Pſ. CXXXII, 17, Gemar. Hieroſol. Beracoth fol. 5, 1, Echa Rabbati f. 72, 1.*

d) *Eſ. LX, 1, 2.*

e) *Gen. XLIX, 10, Onkelos* in *Targum* h. l. *Breſchith rabbah* ad h. l. *Breſchith ketanah* h. l.

f) Vocem *Mechokek* ita expoſuit *Kimchi* in *Libro Radicum* ſub voce חקק.

g) *Theodori Haſæi* Diſſ. *de Lapide fundamentali Cap. IV §. 38.*

commentatores. Meſſias eſt ille *lapis, ſine manibus e petra exciſus*, *Dan. II, 34, 35, 45*, teſte R. *Davide Kimchio* ad *Eſ. VIII, 14*, & *Dan. II, 34*, nec non teſtibus ad *Danielis* locum eodem *Kimchio* atque R. *Saadia Haggaone*. Ipſe enim ſingulari ratione erat naſciturus, & ſine viribus manuum humanarum regnaturus, teſte *Ioſepho Iachiade* in Paraphraſi ad *Pſ. XLV*. Lapidem illum *Danielis* de Meſſia expoſuerunt præter Autores Commentarii *Breſchith rabba* ad *Gen. XXVIII, 10*, & veterum Judæorum multi. Lapis percuſſionis, & petra offenſionis, de qua apud *Eſ. VIII, 4*, iniicitur mentio, eſt idem ille Meſſias, teſte illo, qui concinnavit Commentarium, ſeu *Midraſch*, in Canticum Canticorum, ad locum *Cant. I, 4*. *Jacobus* Patriarcha Meſſiam appellavit *lapidem Iſraelis*, id eſt, fundamentum omnis fidei, quæ animum Iſraelis ſuſtentavit, *Gen. XLIX, 24*, conſentiente R. *Moſe Nachmanide*, ſeu Gerundenſi, qui, lapidem *Pſ. CXVIII, 22*, memoratum hic deſignari, docet. Ipſum Meſſiam appellari *Davidem Jer. XXX, 9*, largiuntur doctores Talmudici in libro *Sanhedrin f. 98, b, lin. 4 a fine*, quos exemplo ſuo anteceſſit ac præivit *Jonathan* Chaldæus, voci *David* ſubſtituens מְשִׁיחָא בַּר דָוִד *Meſſiam filium Davidis*. h) Prophetas omnes Meſſiam reſpicere, ac de eo vaticinari, non *Petrus* duntaxat pronuntiavit *Actor. X, 43*, ſed Talmudici etiam docuerunt magiſtri in *Sanhedrini* loco laudato, nec non R. *Salomo Iſaacides* in

 Commen-

h) Plura ſuppeditat *Raimundus Martini* in *Pugione fidei P. II Cap. V*.

Commentario ad *Zach. IX, 1.* Meſſiam ob vaticiniorum prædictiones oportuit eſſe pauperem, aſinoque inequitare, præcipue ob *Zach. IX, 9.* In *Breſchith rabba* locum hunc de Meſſia fuiſſe expoſitum i), nemo facile ambigit, nemo ignorat. R. *David Kimchi*, ad illum *Zachariæ* locum diſſerens, idem ſenſit. Nos id memoratu digniſſimum exiſtimamus, Meſſiam & *Regem* & *Juſtum* a *Zacharia* appellari. At vero non tantum Meſſias appellatur *Juſtus*, ſed etiam אֲדוֹנָי, *Dominus*, *Pſ. CX, 1.* Teſtes compello *Moſen Haddarſam* in *Gen. XXXVII, 12*, autorem *Midraſch Tehillim* in *Pſ. II*, R. *Saadiam*, quem cognominarunt *Gaon*, in *Dan. VII, 13*, nec non librum Talmudicum, cui inſcriptio eſt præfixa *Bracoth*, *Cap. 5.* Niſi fallor, in ipſo *Siracidis* libello Meſſias dicitur *Dominus*, eique honor adorationis exhibetur. *Siracides* enim ita habet *Cap. 51 v. 10:* Ἐπικαλεσάμην Κύριον πατέρα κυρίου μου, *invocavi Dominum, patrem Domini mei, ne me derelinqueret in die afflictionis.* Meſſias vocatur *filius Dei Pſ. II, 5.* *Pſalmum* hunc de Meſſia agere, antiquiſſimi Judæi fuerunt confeſſi, quemadmodum ex *Pera*, ſeu *Jalkuth, Simeonis* k) pateſcit. Æternitas Meſſiæ indicatur *Mich. V, 1*, ſiquidem *origines eius* ibi perhibentur *antiquitate & diebus periodi incognitæ cuiuscunque* eſſe *priores.*

i) Ad *Gen. XLIX, 10.* Locum integrum dedit *Raimundus Martini* loco laudato *P. III Diſt. III Cap. 16 pag. 656.*

k) *P. II* ad *Pſ. II, fol. 90, 2.*

priores. Chaldæo Interpreti hæc expoſitio prorſus reſpondet, qui ita habet: *Nomen Meſſiæ prolatum eſt ante dies ſeculi.* Nolumus in præſens reliquas eius perfectiones divinas, & naturam illius, tum infinitam, tum humanam, infinitis bonis communicatis inſignem, ex Veteris Teſtamenti locis ire comprobatum. Annotamus illud modo, quod in *Danielis* prophetia IX, 24, Meſſias vocatur *ſanctus ſanctorum*. Cum vero nil ſit de Meſſia prædictum, quod in Jeſu haud fuerit completum; neſcio ſane, utrum cœcitatem Judæorum maiori dolore miſerari, an obſtinationem ipſorum magis deteſtari, debeamus. Quænam enim maior poteſt excogitari impudentia ac inſcitiæ gravitas, quam ea, qua quis perſonam divinam, Dei filium, germen iuſtitiæ, *iuſtum* eximie ſic dictum, & *ſanctiſſimum* atque innocentiſſimum hominem, accuſare ſcelerum & criminum inauditorum & prorſus inuſitatorum audet?

II. Crimen profecto graviſſimum & inauditum eſt, ſi quis homo nudus ſeſe pro Deo ac Dei filio, pro Rege mundi, & Soſpitatore omnium, venditat, nec ſibi temperat, quo minus ab aliis velit is haberi atque exiſtimari. Sed Jeſus, qui re vera eſt Deus filiusque Dei, non poterat non propter glorioſiſſimas & infinitas perfectiones ſeſe talem præbere & declarare, qualis erat. *Moſes* enim ac ſcriptores divini, & ipſe *Joannes* Baptiſta, ſolide oſtenderant, Jeſum, ex patribus ſecundum carnem progeni-

tum, eſſe agnum Dei, peccata mundi tollentem, Deumque in ſecula benedictum. *Moſes* prænuntiaverat promiſſum mulieris ſemen, quod erat ſerpentis infernalis caput & potentiam contriturum, *Gen. III, 15*, ſeu deſtructurum vim peccati & mortis, atque opera diaboli, *1 Joan. III, 8*. Hunc *Eva* vocabat Jehovam, credens, ſeſe in *Caino* recens nato per fidem eum acquiſiviſſe, *Gen. IV, 1*. Huius reſpectu in *Abrahamo*, eiusque progenie, omnes terræ nationes erant benedictione divina impertiendi *Gen. XII, 3, XVIII, 18, XXII, 18, XXVIII, 4*, quo ipſo indicabatur, Meſſiam fore Deum & hominem, benedictionis veræ fontem. De progenie reliqua *Abrahami* hoc promiſſum exponere haud licet, ſiquidem ipſa orbi univerſo benedictionem haud valuit conciliare. *Abrahamus* ipſe diem Meſſiæ vidit, ac de eo gaviſus fuit, *Ioan. VIII, 56*, *Gen. XV, 17*. Deus enim, cum fœdus iceret cum *Abrahamo*, ei oſtendit *facem ignis Gen. XV, 17*, pervadentem per medium victimarum, in duas partes diſſectarum, & e regione ſibi invicem oppoſitarum. Is, qui per medium partium illarum ibat, erat fœderis pactique autor, reconciliator utriusque paciſcentium partis, μεσίτης. *Fax illa ignea* inerat poſthæc etiam in columna nubis & ignis, ac cum *Moſe* colloquebatur *Exod. XXXIII, 9, 10*, populumque Iſraeliticum ducebat *Exod. XIII, 21, XIV, 24*, *Num. XII, 5*, adorationis honoribus a *Moſe* affecta *Exod. XXXIII, 10*. Ex *Jacobi* progenie exiturus erat ille paſtor, qui ſimul erat

lapis & fundamentum Iſraelis *Gen. XLIX*, 24. Hic vero ſecundum naturam divinam erat אלהים, perſona divina, ideoque adoranda, *Pſ. XLV*, 8, ungenda l) ſecundum humanam naturam oleo lætitiæ ultra conſortes eiusdem naturæ humanæ. Chaldæus Interpres dilucide poſteriorem partem *inciſi 8 Pſalmi XLV* ita reddidit: *Et tu, Rex Meſſia, eo quod amaſti iuſtitiam, & odiſti improbitatem, unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ plus quam ſocios tuos.* Quid clarius poterat dici? *Pſalmum* hunc quidem *Grotius* de *Salomone* expoſuit. Sed *Tertullianus inciſum nonum* & eapropter *Pſalmum* univerſum de Chriſto interpretatus fuit *adverſus Praxeam pag.* 247. Idem ſenſit *Theophilus* ad *Autolycum* m). *Grotium* non ſolum *Abrahamus Calovius*, ſed etiam Jeſuita *Baltus* n), egregie refellit. Copioſiſſime locum *Pſ. XLV*, 8, expoſuit, & a falſis interpretationibus vindicavit, Celeb. *Joannes Weſſelius* in *Diſſ. VIII de Juſtitia Meſſiæ vicaria, cauſa unctionis eius ſupra conſortes eius, pag. 226 ſeq.* Deus ipſe miraculis luculentis demonſtravit, Jeſum eſſe Meſſiam, ac Apoſtolorum doctrinam, qua idem fuit comprobatum, congruere veritati, divinitus approbatæ. Jeſus dedit ſatis ſuperque expoſitum, ſeſe eſſe patris cœleſtis filium, patremque & ſeſe eſſe ἕν, unum,

l) *Pſ. XLV*, 8, *Eſ. LXI*, 1, *XI*, 2.
m) *Pag.* 252 edit. Tigur. 1546.
n) *Defenſe de Propheties de la Religion Chretienne Tom. II Cap.* 3, 4, *pag.* 33 *ſeq.*

Jo. X, 29, 30, unam nempe illam eſſentiam divinam, אחד *Devt.* VI, 4. Judæi, in hoc momento felicius Socinianis o) ratiocinati, illico e ſermone Jeſu, *Jo.* X, 29 *ſeq.* perſcripto, intellexerunt, Jeſum deſignare naturam ſuam divinam. Quare dixerunt, ſeſe ideo Jeſu lapidationem intentare, quod, ſeſe Deum eſſe, declaraſſet *Joan.* X, 23. Quam declarationem ipſi *blaſphemiam* interpretabantur. Ex qua hiſtoria ſatis perſpici poteſt, quodnam crimen potiſſime coniecerint Judæi in Jeſum. Ipſi enim eum pro homine mero, & *Joſephi* fabri ex *Maria* filio, habuere, acneapropter crediderunt, Jeſum blaſphemiæ eſſe reum, qui divinam ſibi naturam tribuerat. Id criminis repetierunt Judæi coram *Pilato Joan.* XIX, 7. Præterea obiecerunt Jeſu crimen regni affectati, quod tamen Jeſus ita diluit, ut *Pilatus*, ipſum eſſe innocentem, confiteretur *Jo.* XVIII, 33—38, licet nihilo minus Judæi crimen illud poſthæc denuo repeterent *Cap.* XIX, 12, minis adiectis, ſeſe, ni *Pilatus* Jeſum eſſet puniturus, cauſam ad Imperatorem Romanum eſſe delaturos, faſſi, ſibi præter Imperatorem haud eſſe Regem. Initio quidem antiſtites Synedrii Magni, eiusque aſſeſſores, in eo fuerunt occupati, ut ipſi inurerent notam convicii in templum pronuntiati *Matth.* XXVI, 60, 61, 62. Cum vero Sacerdos ſummus

o) *Oederus* in *Notis ad Catechismum Racovienſem pag.* 502 *ſeq.*

ſummus enim interrogaret, an crimen confeſſione propria confirmare vellet, Jeſus ſilentium ſervavit, ac eo ipſo ſignificaturus fuit, ſe a crimine illo eſſe alienum & immunem. Hæc ſunt tria illa crimina, quorum Judæi Jeſum accuſare & convincere ſtuduerunt. De *blaſphemia* nota admodum fuerunt ſoliciti, alte ſatis inurenda. Crimen ſeditionis regnique affectati videntur *Pilato* examinandum tradidiſſe. Hoc enim videbatur ad procuratorem & Cæſarem ſpectare. Crimen inſolentioris de templo deſtruendo ſermonis haud quidem dimiſerunt intactum, ſiquidem de eo primum in iudicio quæſivere. At illud de blaſphemia maxime urgendum videbatur. In ædibus enim ſuis *Caiphas* Jeſum interrogabat: *Adiuro te per Deum vivum, ut nobis profitearé, an tu ſis Chriſtus, Dei filius.* Ne vero exiſtimarent Judæi, Jeſum de hoc dubitare, vel omnem rem in medio relinquere, ipſe reſpondit: *Tu dicis. Tamen vobis denuntio, ex hoc ipſo tempore futurum eſſe, ut videatis filium hominis ſedentem ad dextram roboris* (robuſtiſſimam & fortiſſimam), *& venientem* (ad iudicium exercendum) *ſuper nubibus cœli. Matth. XXVI, 64.* Quo audito, Pontifex ſummus veſtimenta *) ſua laceravit, addens: *Blaſphemavit, & blaſphemiam ſuam ipſe fuit confeſſus,* habemus reum convictum & confeſſum. *Quid teſtibus*

*) Conf. 1 *Macc. II, 14, III, 47, XIII, 45, IV, 39, V, 14, XI, 71.*

teſtibus eſt opus? Videntur Iudæi iam ea ætate univerſi in ea opinione verſati, Meſſiam fore regem externum, ſpectabilem Judæorum Monarcham. Ex ea enim hæreſi contigit, ut regni affectati ipſum penes *Pilatum* inſimularent. Licet vero Jeſus fateretur, ſeſe eſſe Meſſiam; negavit tamen, ſeſe regnum ſpectabile huius telluris, vel cuiusdam in ea partis imperium, concupiſcere, aut ſperare, tribuens ſibi iudicium in homines univerſos exercendum, ac adventus *ſuper nubibus cœli* faciens mentionem, qui alias in ſacris literis Deo, Judæorum Regi, ſolet aſſignari.

III. Et quomodo ulla cum veri ſpecie dici potuit, Jeſum dominatui in Judæos imminere? Ipſius præcurſor, *regnum cœli* inſtare, docuit, de rege quodam Judæorum, temporum viciſſitudini obnoxio, nihil monens. Legatus, qui viam ipſi parabat, paupertatem & ſortis tenuioris conditionem ſecutus fuit. Ipſe Jeſus vilem fortunam & egenum vivendi genus ſuſcepit. Diſcipulos elegit, non regni adminiſtros. Diſcipulos humilioris ſortis ac contemtos Galilæos veritatibus cœleſtis regni prædicandis admovit, haud ſolicitus de arte regnandi, nec moratus miniſtros, de regno fragilis gloriæ decertaturos. Ipſe effugit eorum conſpectum, qui ipſum diademate regali erant ornaturi *Joan. VI, 14.* Ipſe declaravit docuitque palam, Cæſari ea eſſe danda, quæ ſint Cæſaris, *Matth. XXII, 21.* Ipſe diſcipulos ſuos docuit, ſeſe haud veniſſe ad guberna-

bernaculum regni capeſſendum, ſed ad miniſtrandum aliis, & ad vitam ſuam pro hominibus profundendam; diſcipulorum vere ſuorum eſſe, ſervos & miniſtros agere, non dominari, *Matth.* XX, 25, 26, 27, 28, *Marc.* X, 42, *Luc.* XXII, 25. Ipſe interceſſit, quo minus diſcipuli gladiis ſeſe armarent, vel Judæis, vim inferentibus, reſiſterent, *Luc.* XXII, 37, *Matth.* XXVI, 51, 52, 53, 54. Et quid evidentius innocentiam Chriſti illuſtravit, quam apologia, qua Jeſus indolem regni ſui ſpiritualis *Pilatum* edocuit? *Joan.* XVIII, 33 *ſeq.* Prædixerant Prophetæ faciem huius regni, eiusque rationem, tam diſtincte, ut facile lectori attento olim pateſceret, ſplendorem externum regalem & magnificentiam dominatus ſolennis atque uſitati hic in cenſum haud venire. Meſſiæ enim regnum conſiſtere debuit in manſuetudine, ſalute, humilitate, & doctrina pacis, *Zach.* IX, 9, 10. Regnum hoc duraturum eſſe, prædixerant vates divini, ad tempus, cuius ignoratur finis, *Ezech.* XXXVII, 25, &, id univerſos homines complexurum, eidem ſignificaverant *Pſ.* LXXII, 3, 7, 8, *Zach.* IX, 10, *Eſ.* XLII, 4, 6, XLV, 22, 23. Ipſe vero Jeſus prius ſecundum Prophetas tulit pœnas peccatorum noſtrorum, vitamque in ſacrificium pro reatu avertendo profudit, antequam ad gloriam ſecundum humanæ naturæ conditionem eveheretur, *Eſ.* LIII, 4 *ſeq.* *Pſ.* XVI, 10, 11. Hæc vix poterant Judæos præterire. Nec ad alium ſcopum collineabant ea, quæ Chriſtus de ſtatu ſuæ exaltationis &

poteſtate

poteſtate pantocritica exponebat *Matth. XXVI, 64.* Indicabat enim, ſe ex eo tempore, e mortuis paulo poſt redivivum, ſeſſurum eſſe ad dextram τῆς δυνάμεως, *roboris & fortitudinis*, quæ ſolet ab Ebræis גבורה dici, Deoque asſignari, ſignificans eo ipſo, ſibi rem haud eſſe cum regno Judææ, ſed cum regno Patris cœleſtis ſummo, ad quod dudum iam ſecundum naturam humanam per communicationem fuit evectus. Feruntur enim ii *ſedere a dextris Regum*, qui in communionem regni ab eis fuerunt aſſumti, vel communem tenent regni adminiſtrationem p). Præterea Jeſus dixit, ſeſe venturum *in nubibus cæli*, ſiquidem adventus eiusmodi eſt ſymbolum poteſtatis ac magnificentiæ divinæ, glorioſæ iurisdictionis, & iuſtitiæ in exitum tandem deductæ. Tum in Veteri Teſtamento, tum in *Apocalypſi*, tum in ſcriptoribus exteris, ſymbolum hoc adeo eſt frequens, ut videri poſſit ſupervacuum, proferre & cumulare exempla. Angeli, qui, Jeſu in cœlos ſubvecto, diſcipu-

p) *Callimachus Hymn. in Apollinem* v. 29, 30, *Ezechiel Spanhemius* in *Notis ad Callimachi hunc locum*, *Henr. Otto Duiſing* in *Diſſ. de Seſſione filii ad dextram patris* §. 25. *Salluſtius* in *Bello Jugurthino Cap. II*. Græci finxere, *Minervam* ad dextram patris ſui ſedere, & præcepta aliis nuntianda accipere a Diis. *Ariſtides Or. in Minervam Tom. I pag. 10* edit. *Sam. Jebbii.* Judæi autem angelo *Metatron* concedunt in cœlis ſeſſionem. *Herm. Witſius Miſcell. Tom. II* §. 11.

ſcipulos eiusdem docuerunt adventum Chriſti ad iudicium futurum, expoſuerunt omnium optime illam loquendi formulam, qua Jeſus denuntiavit, ſeſe in nubibus cœli venturum: *Ipſi* enim tradidere, Jeſum e cœlo ad iudicium extremum in nubibus venturum, quemadmodum nube fuerat in cœlum adductus. *Act. I, 11.*

IV. Licet vero tempeſtate illa ius capitalis ſupplicii expromendi iam Synedrio penitus eſſet q) ademtum; præſides tamen & aſſeſſores Synedrii Magni ea adhuc gavisi fuerunt poteſtate, quæ municipalibus magiſtratibus erat a Romanis indulta, ut ſecundum iurisdictionem ſuam reos omnes apprehenderent, in cuſtodiam darent, de cauſa delicti cognoſcerent, teſtes & legitima probationum indicia examinarent, de iis omnibus deliberarent, & nocentes veluti pœna dignos in anteceſſum damnarent *), talique præiudicio gravatos remitterent ad Præſidem provinciæ cum elogio, ſive cum epiſtolis informatoriis, qui poſtea denuo cauſam diſcusſit, atque maturiori disquiſitioni ſubiecit. r) Iurecon-

q) Annis ſcilicet quadraginta ante excidium templi. *Maimonides de Synedriis, eorumque pœnis, Cap. XIV.*

*) *Actor. XXIV, 6.* Conf. *Nathanael Lardner de Fide hiſtoriæ Evangelicæ pag. 111 ſeq.*

r) *Zacharias Huberus* in *Diſſert. iuridicis & philologicis Diſſ. I Cap. 5, Jacobus Perizonius* in *Epiſtola*, inſerta *Muſeo Bremenſi Vol. II P. I pag. 140 ſeq. Nathanael Lardner de Fide hiſtoriæ Evangelicæ pag. 92 ſeq.*

Iureconſulti vocant hanc & iudicandi & leniter puniendi poteſtatem *imperium mixtum.* Lenis illa punitio ſolebat in effectum deduci per caſtigationem minorem inflictam s). Synedrii aſſeſſores ab hac caſtigatione quidem ſeſe abſtinuerunt. *Pilatus* vero eum, quem iudicaverat inſontem, & a crimine omni vacuum, flagellari iuſſit t), quo ritu penes Romanos ritus examinis ſolebat expediri u). Quinam vero extiterunt iudices cauſæ primi? Chiliarcha Romanus, eiusque cohors, nec non famuli principum ſacerdotii & Phariſæorum, Jeſum deduxerunt, nocte obducta, vinctum, primo quidem ad *Hannam*, Pontificem ſummum, *Caipha* ſocerum, qui ipſum de diſcipulis ac doctrina examinavit x), adhibitis teſtibus nullis, cum tamen nemo ſtatim ad confeſſionem criminis propriam eſſet adigendus, niſi indiciorum ſatis ſuppeteret. Iidem præſidiarii *) Ieſum deduxerunt ab *Hanna* ad *Caipham*, a ſocero ad generum. In ædibus *Caiphæ* ſcribæ ac ſeniores interea coiverant. Inquiſitio ibi aggravata. Producti ſunt ibi contra Ieſum teſtes & falſi & diſſentien-

s) *Ulpianus* in *Dig. L. II tit. 1 leg. 12.* Copioſius egit de hoc iure Illuſtriſſimus Marchio *Scipio Maſſæus* in *Verona illuſtrata P. I. Lib. V. pag. 94.*
t) *Matth. XXVII, 26, Joan. XIX, 1.*
u) *Gellius N. A. X, 3, Actor. XVI, 22, 23, Lardner l. c. Lib. I Cap. 10 pag. 329 ſeq.*
x) *Joan. XVIII, 19.*
*) *Lardner pag. 181 ſeq.*

ſentientes. Affirmavit ibi Jeſus, ſe eſſe Meſſiam, Dei filium. Antequam albeſceret cœlum, principes ſacerdotum & ſeniores, e populo allecti, denuo conſilium de Jeſu agitarunt, eumque capitali ſupplicio eſſe dignum, arbitrati ſunt y). Quo facto, ipſo ſummo mane ad *Pilatum* præſidiarii eum in arcem *Antoniam* ad tribunal duxerunt, ſuamque ibi cauſæ cognitionem & iudicium repetierunt ſacerdotum principes ac ſeniores, ex Iſraelitis in ſynedrium cooptati. Synedrium illud ordinarie ſolebat congregari Hieroſolymis in latere templi ac *conclavi lapidum cæſorum.* Intererant ei ſacerdotes, Levitæ, ac Iſraelitæ, genere nobiliſſimo nati, vulgoque dicti *Seniores populi.* Primo loco ſedebat *Præſes*, qui plerumque erat ſummus *) Pontifex. Aſſidebat ei *Propræſes.* Utrinque vero reliqua Synedrii membra per ſemicirculi modum ſolebant conſidere. Ante Synedrium ſtabant duo ſcribæ, ſeu ſecretarii, unus a dextris, alter a ſiniſtris z), qui acta & ſuffragia conſignarent. Tempus ſeſſionis ordinarium a peractis miniſterii Templi matutini ſa-

y) *Matth. XXVII, 1.*

*) *Maimonides de Synedriis Cap. 2:* מושיבין כהן גדול אם היה ראוי בכחמה *Conſtituebant ſummum ſacerdotem in Synedrio, ea conditione, ſi excelleret ſapientia.*

z) *Maimonides de Synedriis, & eorum pœnis, Cap. 1. Sanhedrin Cap. IV §. 3.*

cris usque ad initium ſacrorum veſpertinorum fluxit a). At vero in quæſtione de Jeſu habita nihil non tumultuarie & turbulente fuit geſtum. Nec loci *), nec temporis, ordinarii ratio eſt habita. Præſes ac Propræſes erant *Hannas* & *Caiphas*, affinitate iuncti, a quibus partium ſtudia haud erant procul. Quæ momenta fuerunt impedimento, quo minus iudicium hoc fuerit legitimum. Nam ex decreto & conſuetudine Iudæorum veterum iudicia capitalia interdiu erant inchoanda & finienda. Codex Miſchnicus, dictus *Sanhedrin*, ſic habet *Cap. IV* §. 1: דיני נפשות דנין ביום וגומרין ביום, *iudicia capitalia exercent interdiu & finiunt interdiu.* Additur ibidem, *iudicia hæc non agitari veſpere Sabbathi, nec veſpere diei feſti.* Neutrum Iudæi, de Ieſu quæſtionem habentes, obſervarunt. Noctu enim iudicium exercuerunt, cœpto iam primo Paſchatis die feſto. Præterea ſocer & gener eiusdem cauſæ cognitores, eiusdem iudicii asſeſſores, legitime eſſe haud poterant b). Nec omittendum videtur, illud temere in loco blasphemiæ fuiſſe deputatum, quod veritati omnino congruebat. Licet enim eſſet iudicum, audita blasphemia veſtem lacerare, nec reſuere c), ritus tamen ille lacerandi veſtem huc non quadrabat.

a) *Maimonides Cap.* 5.
*) *Sanhedrin Cap. IV* §. 4.
b) Miſchnicus liber *Sanhedrin Cap. III* §. 4.
c) *Ibidem Cap. VII* §. 5.

drabat. Notant id quoque nonnulli, ſummo ſacerdoti interdictum fuiſſe illa laceratione omni tempore *Lev. XXI*, *10.* Alii tamen recte monent, legem illam ad veſtes illas fuiſſe reſtrictam, in quibus ſummus ſacerdos miniſterium obierit ſacrum. De reliquo enim licuit ſummo ſacerdoti veſtes alias lacerare *1 Macc. XI*, *71.* d)

V. Solicitabant interdum iudicem quidam adverſus reum, negligentes viam iuris. At Iudex, ita ſolicitatus, & ad odia exſtimulatus, erat ipſe pœnæ reus. Is vero laudibus erat dignus, qui in cognitione & examine cauſarum multum laboris temporisque collocabat. e) Res omnino ipſa clamat, iudices & aſſeſſores a delatoribus malis ad avia fuiſſe in quæſtione de Ieſu habita ſevocatos, nec inveſtigandæ cauſæ operam debitam ſatisque longam eos impendiſſe. Haud enim agebant ipſi de die, nec tempore ſtatuto defungebantur quæſtionibus habendis. Sed noctu feſtinabant ipſi examen teſtium & cauſæ inveſtigationem. Quæ momenta ita ſunt comparata, ut vitient omnem Synedrii de Ieſu cognitionem. *Maimonides* f) damnat eam iudicii exercendi rationem, qua Iudæi adverſus Ieſum uſi fuerunt, ita differens ex avitis Iſraelitarum decretis: אין מתחילין את הדינין בלילה מפני השמועה

B 2

d) *Lardner pag.* *254 ſeq.*

e) *Sanhedrin V*, *2.*

f) in Tr. *de Synedriis*, *eorumque pœnis*, *Cap. III.*

השמועה למדנו שהדינין כנגעים שנא' כל ריב וכל נגע ראיית נגעים ביום בלבד אף הדינין ביום וכן אין מקבלין עדות : *Non inchoabant iudicia noctu. Nam per oralem traditionem didicimus, iudicia eſſe in hoc caſu comparata ut plagæ, ſecundum id, quod dicitur* Devt. XXI, 5, *omnis lis omnisque plaga. Et, quemadmodum plagarum exploratio fit interdiu duntaxat, ſic & iudicia interdiu expediri debent. Pariter noctu non accipiebant ab aliquo teſtimonium.* Nonne huic decreto proceres Iudæorum, qui Ieſu cauſam noctu & tumultuarie iudicabant, fronte adverſa repugnarunt? Dabo aliud decretum, ſecundum quod aſſeſſoribus Synedrii cauſa fuit diiudicanda capitalis. Dabo illud ex eodem *Maimonide* g) converſum Latine: *Non iudicabant cauſas capitales pridie Sabbati & pridie diei alicuius feſti, ne, ſi forte damnandus foret reus, morte non poſſet die craſtino plecti.* Niſi itaque Synedrii magni ſodales perverſis incitamentis affectibusque malignis locum dediſſent, cauſam Ieſu haud iudicaſſent die Veneris Iudaico, qui a veſpera orditur, id eſt, pridie Sabbati. Iudicium vero ipſi non ſolum agitarunt die, Sabbatum antecedente, ſed & ipſa luce feſta & pridie ſecundi feſti diei Paſchalis. Diebus Sabbati & feſtis ſodales Synedrii magni haud debebant ſedere in iudicio, ſed *intra Scholam,* בבית המדרש, quæ erat in monte tem-

pli

g) Loco laudato *Cap. XI.*

pli h), & quam Ieſus, duodecim annos natus, quondam maxima cum laude inviſerat i). Quis itaque dubitabit, ſodales Synedrii magni ima ſummis miſcuiſſe, ſuisque legibus toto pectore repugnaſſe, dummodo odiis adverſus Ieſum conceptis poſſent velificari & ſatisfacere? Quantopere hi iudices fuerint ipſi pœnæ rei, verbis vix exprimere licet. Ne ipſi quidem Iudæorum ſcriptores priſci inficiantur, Ieſum, quem vocant *ſuſpenſum*, pridie Sabbati & ipſo Paſchatis die ad cauſam dicendam, & ſupplicium luendum, fuiſſe abreptum. *Sanhedrin f.* 43, 1.

VI. Nec inficiantur Iudæi ætatis ſubſecutæ, iudices eo tempore, quo de Ieſu quæſtio capitalis fuit habita, omnium mortalium fuiſſe imperitiſſimos. Quod ipſum teſtimonium, domi natum, & a Iudæis doctisſimis profectum, firmisſimo ſtare talo, ea omnino ſunt indicio, quæ paullo ante in medium attulimus. Rabbi *Jehudah hakkadoſch*, qui Codicem Miſchnicum collegit, de Synedrio, quod exſtitit tempore Ieſu in crucem ſuffixi, ita iudicavit in *Sanhedrin*, ſeu Codice *de Synedrio*, *Cap. VII* §. 2: אל היה בית דין של אותה שעה בקי, *non fuit domus iudicii illo tempore probata*, hoc eſt, *Senatus iudicesque illius temporis haud erant exercitati, haud erant periti conſtitutionum præſcriptarum* k). In tractationis decurſu idem *Jehudah*

h) Idem *Cap.* 3 ſub init. ſeu §. 2.
i) *Luc.* II, 46, 47.
k) *Jo. Buxtorf* in *Lexico Talmudico pag.* 542.

dab unum & alterum imperitiæ profert exemplum, adeo ut verum ſit, proceres Iudæorum imperitos tunc gentem medicorum novitiam imitatos eſſe, qui experimenta mortium ſeſe credunt impune in miſeris pauperioribusque ægrotis facere.

VII. Et quid proferent Iudæi, ut, formam iudicii & tempus quæſtionis habitæ vitio carere, affirment, quo Jeſum morte damnarunt? Migrarunt ipſi leges, de ſolennitatibus agni paſchalis, ac de ſanctitate feſti diei Paſchalis veneranda, promulgatas. Neglexerunt illi legem, de iudicio interdiu inchoando & finiendo. Permiſſum erat ex decretis ſapientum homini, ferre iudicium pro ſe ipſo, dummodo iſtius rei ſatis peritus eſſet, ita ut ſecundum ius & deciſionem legitimam ferret iudicium. Hac enim ratione haud erat obſtrictus ad negotium ſibi faceſſendum, & veniendum ad iudicii ſedem ordinariam, licet nullum damnum ineſſet opibus ſuis, ſi in craſtinum præſtolatus fuiſſet, & tunc demum veniſſet ad Synedrium. Idcirco, ſi comprehendiſſet ipſum adverſarius eius, & adduxiſſet ad conſeſſum iudicii, Iudices autem re ipſa deprehendiſſent, ipſum egiſſe ex more ſolito & legitimo, rectumque de ſe ipſo tuliſſe iudicium, iudicium ipſius haud irritum declarabant l). Quis vero rectius ferre de ſeſe poterat iudicium ipſo Dei filio? Quis innocentiorem vixerat

l) *Maimonides de Synedriis, eorumque pœnis, Cap. II.*

vixerat vitam? Quis maiorem oſtenderat ſui peritiam? Quem duodecennem iam admirati fuerant aſſeſſores Synedrii, peritia legum prorſus refertiſſimum, is indubie, egreſſus triceſimum & ſecundum ætatis annum, peritiſſimus erat iudicii, de actionibus ſuis ferendi. Quin igitur Iudæorum proceres quoque ipſius ad Synedros adventum in poſteram lucem diſtulere? At ſummi Pontifices, Præſides Synedrii ſummi, ea ætate erant legum iuriumque imperitiſſimi. *Annas, filius Sethi*, a *Joſepho* dictus Ἄνανος υἱὸς τοῦ Σέθ, & *Joſephus Caiphas*, Ἰώσηπος ὁ Καϊάφας, qui iudicium funeſtum adverſus Jeſum direxere, haud leguntur ex numero eorum exemti, quos Iudæi vocarunt ב'ג' עם ארץ, *homines rudes & imperitos.* Erant ipſi ex illorum familia & numero, quibus neceſſe habebant dicere Iudæi: *Lege tu ipſe, forſitan oblitus es, aut fortaſſe nunquam didiciſti* m). Emerant ipſi Pontificatum n), & propter hunc honorem involabant dignitatem Præſidis Synedrii, ignorantes δι᾽ ἀγροικίαν, *propter ruditatem*, τί ποτε ἦν Ἀρχιερωσύνη, *quid ipſum Pontificatus nomen deſignaret* o). Inciderunt ea ſingula in eam ætatem, quam Iudæi tradunt adventui Meſſiæ eſſe connexam, atque præmiſſam. Ita vero ipſi in

m) *Joma I, 5.*

n) *Gemara Joma 9, 1 & 18, 1, Hier. Joma 38, 3.*

o) *Joſephus de Bell. Jud. IV, 5.*

Codice Miſchnico *Sotah* p) referunt q): „*Paullo* „*ante adventum Meſſiæ impudentia augebitur. Et* „*magna erit annonæ caritas. — — Summum* „*in orbe imperium obruetur opinionibus pravis, &* „*nulla locum habebit correptio. Synagogæ con-* „*vertentur in lupanaria, limites Iudææ deſolabun-* „*tur, & regio, quanta quanta eſt, devaſtabitur. Viri* „*inſignes oppidatim circuibunt, nec ulla humanita-* „*tis officia experientur. Fœtebit ſapientia Magi-* „*ſtrorum. Ii, qui a delictis ſibi cavent, ſpernen-* „*tur, & Veritatis magnus erit defectus. Iuve-* „*nes confundent ora ſenum, ſenes coram iuniori-* „*bus ſurgent. Filius irritabit patrem, nata in-* „*ſurget adverſus matrem, nurusque contra ſo-* „*crum. Denique ſuos quisque domeſticos inimi-* „*cos habebit. Scilicet ſeculo iſti caninæ facies* „*erit.*„ Ad hunc locum reſpicit *Chriſtianus Ger-ſon* in *Iüdiſchen Talmud pag.* 299, qui calamitates haſce prænuntiatas repetiit, quas præterea enumeratas habes in *Sanhedrin pag* 344 *ſeq.* ed. *Cocceji.* Ipſo tempore, quo Jeſus miniſterium adſpectabile in terris obiit, & paullo poſt, illud ipſum fuit impletum, quod Iudæi prædixerant. *) Impudentiam vero inſignem uterque ſummorum Pontificum admiſit, cum tempus ſolemne & feſtum, functionibus ſacris tribuendum, dedit iudicio tumultuario & iniuſtiſſimo expro-

p) *Cap. IX §. 15.*
q) Ex verſione *Joannis Chriſtophori Wagenſeilii pag. 975 ſeq.*
* *Matth. X, 34, 35, 36, Mich. VII, 6 ſeq.*

exprimendo. Feſtis enim diebus præcipue erat ſummo Pontifici quotidie ſacris operandum, ſuffitus adolendus, victimæque in altari offerendæ.

VIII. Teſtes porro ſunt inſpiciendi, quos & falſa enuntiaſſe, & admodum diſcrepaſſe, patet. Ipſi fuerant adducti, ut Jeſum blaſphemiæ convincerent. Teſtes contra blaſphemum erant per univerſum diem examinandi. *Sanhedrin Cap. VII §. 5:* בכל יום דנין את העדים, *toto die examinare debent teſtes.* Hoc autem facere omiſerunt Synedrii magni aſſeſſores, immemores illius diligentiæ, quæ teſtibus examinandis erat impendenda r). Teſtes erant, antequam teſtimonium perhiberent, ad horrorem adigendi s). At nihil de hac horroris mentione hic ſuccurrit. Teſtes falſi ac ſubornati in Jeſum dixerunt: *Audivimus, Jeſum dixiſſe, deſtruam templum, & intra tres dies illud reædificabo.* At fuiſſet ipſorum, addere vel αὐθηκέας, vel adjungere locum & tempus, quo illud fuerat pronuntiatum ac auditum t). Sed nihil de momentis monitum fuit hiſce a Synedrii aſſeſſoribus. Teſtimonia inter ſeſe diſcrepantia erant nulla, nulliusque ponderis u). Et eam ob cauſam

r) *Sanhedrin Cap. IIII §. 6.*
s) *Sanhedrin Cap. IV §. 5.*
t) *Sanhedrin Cap. V §. 2.*
u) *Cap. V §. 3.*

ſam teſtium adductorum pronuntiata pretii erant nullius. Ipſi præterea erant minus legitimi, ſubornati quippe.

IX. Temporis anguſtia v) haud permiſit proceribus Judæorum cogitationes, ad iuſtitiæ decempedam exactas. Ceſſavit accurata teſtium examinatio, neglecta fuerunt beneficia juris, quibus is, quem habebant pro impoſtore & plano, erat præmunitus. Nam inſtitutum in cauſa *ſeductoris* iudicium diſcrepabat ab aliis judiciis capitalibus. Plures enim in eum afferendi & producendi erant teſtes. Haud ſufficiebant duo. x) Licet vero Judæi Ieſu notam ſeductoris, ſeu plani, inurere ſtuderent, nihilo ſecius in numero teſtium invalido turpiter ſeſe traduxerant. Etenim quando primores teſtibus horrorem incuſſerunt de teſtimonio falſo evitando? In cauſis certe capitalibus ita fieri, erat y) moris. *Dicebant Synedrii ſuppremi aſſeſſores teſtibus: ne quid dicite ex conjectura, aut rumore, etiamſi, vos id ex ore teſtis, aut hominis fide digni, audiviſſe, affirmetis. Nam forſitan ignoratis, nos perveſtigaturos vos eſſe inquiſitione accurata. Scitote, aliter ſe habere iudicia pecuniaria, ac judicia capitalia. Nam in judiciis civilibus pecunia data peccatum expiari poteſt, ſed in judiciis capitalibus*

v) *Sanhedrin Cap. V §. 6.*

x) *Maimonides de Synedriis Cap. XI.*

y) Idem *l. c. Cap. XII.*

pitalibus ſanguis ejus & poſterorum ejus inde pendet uſque ad finem mundi. — — Si jam teſtes promiſſis ſtetiſſent, eorum major intro vocabatur. Quem indagatione acerrima examinabant — — Si ejus teſtimonium ſibi conſtaret, intro vocabant ſecundum, ac eum inſtar primi examinabant. Teſtimonia vel in cardine rei, vel in momentis adiectis, aut convenerunt, aut diſconvenerunt. Teſtes in Ieſum producti in rei cardine diſconvenere. Quam quidem ob cauſam Ieſus fuiſſet ſuffragiis omnium abſolvendus, ſiquidem homicidium eſt crimen execrandum ac ſummum. z) Cum vero teſtibus productis nihil proficeret *Hannas*; ipſe iuſſit Ieſum dicere cauſam, ut propriam ſubdole eliceret confeſſionem. Ieſus ipſe, nihil de agitata templi deſtructione confeſſus, ſeſe eſſe Meſſiam, haud abnuit, quam quidem veritatem miraculis ſexcentis dudum confirmaverat. Quis, obſecro, ſanæ eſt mentis, qui in hac confeſſione invenire poteſt blaſphemiam? Miſerandus, vel potius abominandus, erat ille procerum fervor animi malignus, quo diſcipulum & Apoſtolum triginta ſiclis expenſis ipſi emerant, ut herum & præceptorem manibus inimicorum traderent. Malignum ſane conſilium! malitioſa ſolicitatio! Triginta ſiclis ſolebat emi redimique ſervus a). Ieſum proinde proceres emebant ex *Iudæ* poteſtate veluti ſervum,

z) *Sanhedrin Cap. IV §. 5.*

a) *Baba kama Cap. V §. 4.*

vum, qui erat liber & Dei filius, emebantque eum ab illo, cui in herum nulla erat poſſeſſio, nulla poteſtas. An *Judas Iſcariotes* nonnihil etiam de Ieſu doctrina & diſcipulis fuerit teſtatus, Evangeliſtæ haud adiungunt. Nolim proceres Iudæorum abſolvere ab ea morte funeſta, qua *Judas*, animo deficiens, & doctoribus inteſtinis ſuffocatus b), miſere periit. Ipſorum enim fuiſſet, diſcipulum ad obſervantiam magiſtri remittere, nec efficere, ut domeſticus in herum aliquid ageret injuſte. Teſtes vero illos ſtruxiſſe inſidias Ieſu, calidisque artibus eum, ſuſpectatum conatorum pelliciendi homines ad cultum religioſum alienum, circumveniſſe, ne quidem Iudæorum doctores inficiantur c). Suffecit itaque Synedris qualiscunque in Ieſum accuſatio.

X. Synedrii ſummi erat officium, ut accuſatum deducerent ac invitarent ad propriam religionis novæ agitatæ confeſſionem, *Hannas*, ut Jeſum adigeret ad propriam religionis novæ agitatæ

b) *Andocides* in Or. I *pag.* 255 de muliere quadam: Ἀπαγχομένη μεταξὺ κατεκλίθη. καὶ ἐπειδὴ ἀνεβίω. *Animo interea defecit, & collapſa eſt. Et poſtquam ad ſeſe rediit. Heſychius*: Ἄγχε, πνῖγε. Obtrectatores angina eſſe exſtinctos, *Wagenſeilius* docet ad *Sotab pag.* 739.

c) *Sanhedrin Babyl. Cap.* 7 *f.* 67, 2, edit. Venet. *Ioannes Buxtorfius* in *Lexico Talmudico* ſub voce סטר *pag.* 1458 *ſeq.*

tatæ confeſſionem, nulli operæ pepercit. Adiuravit enim ipſum, & horrore complere allaboravit, ut confiteretur crimen. At ipſe nil niſi veriſſima quævis protulit in medium. Se eſſe Meſſiam & mundi judicem, intrepide & aperte præ ſe tulit. Pudeat Iudæos, qui, inſontes etiam, a ſeſe capite plexos & vita exutos eſſe, fatentur. Citamus, ne quid ſuperſit dubii, Codicem Miſchnicum *Sanhedrin* Cap. *VI* §. 2, & inprimis *Maimonidem*, d) cuius verba dabimus Latine: *Cum decem cubitis a pœnæ loco reus abeſſet, confeſſionem eum edere iubebant, quoniam ita omnibus morte plectendis confitendum eſt, nam confitenti ſors & locus eſt* (יש לו חלק לעולם הבא) *in ſeculo futuro. Si vero reus formulam confeſſionis neſciret, jubebant eum hac uti: ſit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis* (תהא מיתתי כפרה על כל עונותי). *Licet ſciret, falſos eſſe teſtes, tamen confitebatur.* Niſi proceres & aſſeſſores Synedrii fuiſſent certi, dari inter ipſos, qui a falſis teſtibus arguerentur, inſontesque punirentur, id decreti haud ſanciviſſent. Synedrorum fuiſſet, diſcipulos ſapientum arceſſere, & cognoſcere, an ex hiſce unus, vel alter, pro reo dicere voluiſſet, eumque abſolvere e). At de hac cautione in actis eius ætatis altum eſt ſilentium. Quin potius duo ſapientum diſcipuli inſidias ei ſtruxerunt, ac adverſus eum producti ſunt, quem-

d) *De Synedriis Cap. XIII.*
e) *Maimonides l. c. Cap. X.*

quemadmodum haud obſcure ex Talmudis Babylonici Codice Sanhedrin *Cap.* 7 *f.* 67, 1, comprobavit *Joannes Buxtorfius* f). Raptim & tumultuarie acta ſunt omnia, & in ipſa *veſpera Sabbati*, quod fatentur Iudæi g), Ieſus in cruce fuit ſuſpenſus, cum tamen nuſpiam legatur, primo Paſchatis die, ac in ipſa Sabbati veſpera, licuiſſe iudiciis vacare capitalibus, & ſuſpendia moliri.

IX. In more Iudæorum erat poſitum, ut, ſententia condemnationis lata, reus abduceretur; ut miniſter aliquis ad fores curiæ ſtaret, ſudarium manu tenens, equo procul conſtituto; præco autem eum præcederet, clamitans: *Vir iſte exit ad necem perferendam, ob iſtam culpam, in iſto loco, tempore iſto, iſte & ille fuerunt rei teſtes. Si quis, eum eſſe inſontem, docere poteſt, is accedat, & rationes ſuas exponat.* Si præſto eſſet, qui id efficere tentaret, miniſter quaſſavit ſudarium (סודרין), & eques damnatum curſu concitato retraxit, eumque in Synedrium ad iudicium novum reduxit. Si innocentia ipſius ſatis liqueret, criminis ipſe intentati abſolvebatur; ſin minus, ad ſupplicium abſtrahi ſolebat. At, ſi reus ipſe, innocentiæ ſuæ ſeſe patrocinium allaturum, confidenter affirmaret, licet verbis eius nil ſolidi ineſſet, ſemel tamen iterumve in iudicium reducebatur. Quia enim

f) In *Lexico Talmudico pag.* 1459 *ſeq.*

g) *Sanhedrin f.* 43, 1.

enim præ terrore ac pavore mens eius poterat eſſe perturbata, adeo ut rationes ſuas juſtas exprimere nequiret, eapropter eum reduxerunt; ut mente ſedata poſſet rationes proferre, quibus cauſam diceret ſuam. Cautionis huius inſtitutum tertia vice poterat repeti. Huc acceſſit, quod duo Sapientum diſcipuli reum in via ad ſupplicii locum comitarentur, & verba rei perpenderent, ut, ſi forte quid ſolidi in verbis eius pro ſeſe vindicando inveniretur, ipſe reus denuo ad iudicium reduceretur h). Ademta quidem erat Synedrio poteſtas ducendi reum ad ſupplicium capitale. At nihilo minus poterant Synedrii expetere a *Pilato* moram & beneficia, in uſum rei ceſſura. Cum enim *Pilatus* innocentiam Jeſu ſtabiliret, ac initio moliretur eius liberam dimiſſionem, ipſi haud fuiſſet faſtidioſum, ſi advocatus eſſet præco aliquis in rei ſalutem. At pudebat proceres fateri errorem, vel errandi facultatem. Quare non rationibus aggreſſi fuerunt *Pilatum*, ſed minis, criminis luculenter evicti oſtentatione, clamoribus, plebiſque furentis ſuffragio, & impotenti voluntate eorum, qui turbis delectantur.

XII. Ex quibus, ſigillatim adductis, & ad rationis libellam revocatis, facillime intelligitur, quanto ſtudio & quam præpoſtero ardore præcipitaverint primores Iudæorum necem, Ieſu inferendam. Ipſi haud ſane ſecum perpenderunt,

h) *Miſchn. Sanhedrin Cap. VI* §. 1.

runt, quanta crimina & quam funeſti exitus rerum in crimine homicidii lateant. Doctorum longe alia erat doctrina, ac ratio illa exercendi iudicium indicabat. Doctorum hæc erat ſententia, quam legere licet in Codice Miſchnico, *Sanhedrin* dicto, *Cap. IV* §. 5: דיני נפשות דמו ודם זרעיותיו תלויין בו עד סוף העולם שכן מצינו בקין שהרג את אחיו נאמר בו קול דמי אחיך צועקים אינו אומר דם אחיך אלא דמי אחיך דמו ודם זרעותיו לפיכך נברא אדם יחידי ללמדך שכל המאבד נפש אחת מישראל מעלה עליו הכתוב כאילו איבד עולם מלא וכל המקיים נפש אחת מישראל מעלה עליו הכתוב כאלו קיים עולם מלא: *In iudiciis capitalibus ſanguis eius & poſterorum ejus inde pendet usque ad finem mundi. Ita enim legitur de Caino* i): *Vox ſanguinum fratris tui clamantium, ſcilicet ipſius ſanguinis & poſterorum ejus. Idcirco etiam creatus eſt Adam ſolus in mundo, ut exinde diſceres, quemlibet, qui animam unam deſtrueret e mundo, æſtimandum eſſe, perinde ac ſi deſtruxiſſet mundum incolis plenum, & quemvis, qui ſervaret animam unam, exiſtimandum eſſe, quaſi mundum plenum feciſſet ſalvum.* k) *Pilatus* cauſam, Ieſu obiectam, & crimen fictum, diiudicabat denuo, nec deprehendere poterat ullam eius culpam. *Jo. XIX, 4, 5, 6.* Et, quod maius graviusque exiſtit, ipſe hoc

i) *Gen. IV. 10.*

k) Locum hunc repetivit *Maimonides de Synedriis Cap. XII.*

hoc iterum iterumque Judæis declaravit. Judæorum vero primores, rati, cauſam ex lege ſua eſſe dijudicandam, nolebant procuratori, qui loco Præſidis judicia capitalia exercebat, cauſæ cognitionem largiri, vel concedere. Ipſi provocabant ad legem, qua ſancitum ſit, ut nece afficiatur ille, qui ſemet pro filio Dei venditaverit. Blaſphemiam quidem, in Deum commiſſam, *Moſes* edixerat morte eſſe plectendam *Lev. XXIV*, 15, 16. Exſtabat etiam lex Dei, qua fuerat cautum, ut Propheta, in nomine Jehovæ citra iuſſum divinum vaticinatus, ac nomine Deorum aliorum locutus, morte coerceretur *Devt. XVIII*, 20. Verum enim vero, niſi ardor homicidii perpetrandi conſilia ſaniora viciſſet, faciſſimum fuiſſet iudicatu, a Jeſu patrem cœleſtem ſemper affectum fuiſſe honoribus, Jeſum ſua vi ediſiſſe miracula, impoſturæ cuicunque contraria, & hunc ſoſpitatorem Deos alios nec docuiſſe, nec approbaſſe, ſed potius unicam Dei eſſentiam vindicaſſe ab obiectionibus adverſariorum. At, obſtrepente animis procerum odio & invidia, leges divinæ pacto minus legitimo fuerunt expoſitæ, peſſimumque in modum ad factum ſunt applicatæ, quod altiori indagatione indigebat. Ipſe *Pilatus* intellexit probe, accuſationem hanc eſſe exigui momenti, putans, Chriſtum innocentis ſectæ eſſe conditorem, tot vero eſſe magiſtros ſectarum diſſentientes, ut ludibrio tandem & nullius attentione videatur digna ipſa a ſectis iactata ve-

ritas *Jo. XVIII, 38.* Credidit ipſe, ſtatores ſectarum novarum merito ad ſupplicia capitalia haud eſſe abſtrahendos. Quicquid autem in Jeſum ſtatuebat, illud contra conſcientiam dabat effectui, materiem conſternationi ac ſeditioſis vocibus ſubtrahendam ratus, imitaturus Cumani exemplum, qui ad Judæos irruentes placandos militem inter medios accuſatores ad extremum ſupplicium duci juſſerat l). Si ex mortibus *Caiphæ* & *Pilati* licet ratiocinari quiddam ad veritatis in pericula conjectæ præſidia, notatu haud indigna videtur fama, quæ, *Caipham* manus ſibi intuliſſe violentas, homicidiique de Jeſu exerciti pœnam luiſſe, dictitavit, m). *Pilati* extrema vitæ exſtitiſſe funeſta & miſeriæ plena, conſtat inter omnes. Ipſum tamen minori culpa teneri, quam Synedrii ſummi ſodales, Jeſus ipſe teſtatur, *Io. XIX, 9—12.* Evangeliſtæ omnino *Pilatum* ita repræſentarunt, ut ipſe a nece Jeſu inferenda abhorruerit, & condemnatio, in quam tandem conſenſit, per vim extorta ipſi credi debeat. Dixit Judæis accuſantibus, & Jeſum pro facinoroſo habentibus, ſe culpam in eo non invenire. Fuiſſet itaque Synedrii, judicium ſuum recognoſcere, ac rationes innocentiæ denuo inveſtigare. Flagellari eum juſſerat, & regio habitu per ludibrium induto illis ſtiterat, ſperans, fore, ut in hoc pœnæ

l) *Ioſephus de B. I. Lib. II. Cap. 12 §. 2.*

m) *Conſtitut. Apoſtol. Lib. VIII Cap. 2 pag. 389.*

pœnæ genere acquieſcerent. Cum itaque more ipſi eſſet receptum, feſtis paſcalibus diebus captivum quendam Judaicæ gentis e carcere & a pœna promerita dimittere; populus quoque hoc favoris genus magno numero efflagitaret, Jeſum, quem eligerent potius, ipſis proponebat. Illi vero, a Sacerdotibus ſummis excitati, *Barabbam* ſibi dimiſſum cupiebant, hominem criminibus adeo infamem, ut nemo, quin pudorem omnem exuiſſet, cauſam eius agere poſſe videretur; hominem, qui in tumultu, contra imperium Romanum concitato, comprehenſus erat, & latrocinia æque ac furta perpetraverat. Cum autem hiſce omnibus argumentis *Pilatus* efficere non poſſet, ut Judæi ad humanitatem, vel æquitatem, perducerentur, nec præterea videret, quemquam de vulgo favere Jeſu, ac denique populo gratificari vellet; Jeſum illis tradebat cruci affigendum *Marc. XV, 15.* Evangeliſtæ in eo conſentiunt, hanc ſententiam contra ipſum duntaxat in Iudæorum gratiam fuiſſe latam, hoc eſt, ut vel provinciæ tranquillitas ſarta tecta maneret, vel ut ipſe populi favorem ſibi ſervaret, quandoquidem, furorem eorum non niſi morte Ieſu cohiberi poſſe, intelligebant n). Cum enim videret, ſe nihil poſſe, tumultum vero augeri, ſumta aqua, lotisque coram populo manibus, dixit:

n) Verba *Nathanaelis Lardneri* ex *Fide historiæ evangelicæ L. I. Cap. 7. pag. 265 ſeq.*

immunis ſum a ſanguine huius innocentis, vos videritis. Tunc reſpondit populus univerſus, dicens: *Sanguis ejus ſit ſuper nos & liberos noſtros. Matth. XXVII, 24, 25, Luc. XXIII, 24, 25, Io. XIX, 14—16.* Multa tentaverat pro eripiendo & liberando Ieſu *Pilatus*, at non omnia. Quare Ieſus eum haud penitus a culpa abſolvit, licet eam ipſi minorem tribuerit, quam Iudæis. *Io. XIX, 12.* Videbatur *Pilato*, dandum eſſe aliquid inſanis Iudæorum precibus, ſacrisque ipſorum rationibus. At illa haud erat præſcripta Præſidibus lex & conſuetudo, ut, Judæorum ſacra & ipſorum favorem ſibi continuo curæ cordique eſſe, demonſtrare deberent. Exſtant in contrarium exempla haud una. *Caius* enim *Caligula* miſit *Petronium*, *Vitellii* in Syria ſucceſſorem, hoc cum mandato, ut cum copiis militaribus irrueret in Judæam, atque, ſi nollent Judæi ſtatuam ſuam recipere in Dei templum, bello eos aggreſſus, illam in eo collocaret o). Ex quo exemplo ſatis ſuperque dilucet, Imperatores Judæis haud penitus reliquiſſe arbitrium ſtatuendi de rebus, ad religionem ſuam pertinentibus. In partes vocamus præterea *Pilatum* ipſum, quippe qui exemplo ſuo oſtendit, quantopere ſacra Judæorum haberet nullius penſi, quandoquidem ſupplicationibus Judæorum, deprecantium, ne ſigna militaria in urbe, quorſum ea intulerat, manerent,

o) *Joſeph. Antiqu. Iud. XVIII, 11.*

rent, dicto audiens haud fuit, ſed potius multos eorum occidi juſſit p). Poſtea etiam *Pilatus* pecuniam ex ſacro gazophylacio templi deſumſit ad formandum aquæductum, ea quidem ſeveritate, ut quamplurimos Judæos, id ne fieret, impedituros, per milites, civium in modum veſtitos, fuſtibusque armatos, interfici juberet q). Ex quibus exemplis diſcimus, quanta auctoritate *Pilatus* valuerit inter Judæos, & quam facili negotio Jeſum ſubtrahere potuiſſet intentatæ neci, vel occultando, vel in alium locum transferendo. At malebant Iudæorum ſævitia expugnari, quam innocentiæ percognitæ publicum ſtatuere monumentum.

XIII. Infortunata Iudæorum erat illa vox, qua homicidii illius pœnam in ſeſe deductam ac derivatam cupiebant, inclamantes: *τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ᾽ ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν, nex eius in nos noſtrosque liberos redundet, ſupplicii illius pœna nos premat, Matth. XXVII, 25.* Soliti erant alias Judæi, ubi iudices & teſtes manibus, capiti hominis, ad necem condemnati, impoſitis, judicii iuſtitiam declarabant, hac formula uti: *Sanguis tuus eſto ſuper caput tuum* r), deſumta ex *Deut. XIX, 10,* ubi hæc leguntur: והיה עליך דמים, *& erit ſuper te reatus ſanguinis*

p) *Egeſippus II. 3, Joſephus Ant. Jud. XVIII, 4.*

q) *Joſephus l. c.*

r) *Siphra P. II. c. 10. f. 216.*

guinis effuſi. At, cum *Pilatus* talionem, ob huius homicidii pœnas metuendam, a ſeſe quam maxime remotam vellet, & aqua fluminea pro ſigno vel expiationis, vel ſuæ innocentiæ, s) ablueret manus, Judæi fuere tam præcipites & inconſiderati, ut pœnam, ſi qua contraheretur, in ſeſe depoſcerent, nec in ſeſe tantum, ſed in ſuos quoque poſteros, cuperent derivatam. Præſtabat omnino, ob oculos poſitum habere illud Dei, per *Moſen* edicentis *Deut. XIX, 10: Ne effunditor ſanguis innoxius intra terram tuam, quam tibi poſſidendam dabit Dominus. Nam, ſi hoc forte factum fuerit, cædium capitalium quaque erit ſuper te*, id eſt, *pœna in te redundabit.* Ad hoc *inciſum* crediderim formulam, Judæis tum tritam, eſſe referendam, qua culpam & pœnam in ſeſe redundaturam haud deprecabantur, affectu abrepti. Caute præceperant doctores Judæorum priſci hunc maxime in modum: מיתתן של רשעים הנאה להן והנאה לעולם ולצדיקים רע להן ורע לעולם *Supplicium mortis, ab improbis ſumtum, in lucro deputandum eſt ipſis & mundo; a iuſtis ſumtum, damno eſt ipſis & mundo.* Chriſto quidem mors ipſius haud poterat eſſe damno, ſiquidem ipſe ad piaculare ſacrificium offerendum in corpore mortali ſeſe voluerat conſpicuum præbere. At genti Judaicæ, quæ ſæpius ſolet vocari העולם

αἰῶν,

s) *Puræ manus. at inquinata mens. Athenæus* in *Dipnoſoph. IX, 409, 410; XII, 550.*

αἰὼν, ὁ κόσμος t), ſupplicium, ab inſonte expetitum, erat perquam exitioſum. Hoc enim ſanguinis innocentis effuſi crimen ad ipſos Judæos in hunc usque diem redundavit. Inde eſt, quod ſunt inſtabiles & cæci. u). Rabbini nugantur quidem, calamitates incubare & moleſtas eſſe genti Judæorum, eo quod Judæi nomen Jehovæ pronuntiare haud valeant. At Judæi ignorare malunt Meſſiam & Jehovam, qui eſt *iuſtitia noſtra*, quam culpam maiorum ſuorum agnoſcere. Peccarunt ſane maiores ipſorum atrociſſime, dum Jeſum pro perduelle habuerunt, eamque ob cauſam x) caput ipſi obnupſerunt, indigno quaſi, qui cœlum adſpiceret, vel a populo conſpiceretur, *Marc. XIV*, 65, *Luc. XXII*, 64, quam contumeliam a Meſſia haud procul futuram iam oſtenderat *Eſaias Cap. LIII*, 3. Judæis itaque haud fuit ſatis, homicidium in Jeſum exprómſiſſe. Cumularunt illi potius homicidium illud graviſſimum diriſſimis contumeliis & ignominiis, in Jeſum largiſſime evomitis atque profuſis.

t) *Io. XIV*, 17, 19; 22, 27, *XVI*, 8, 11, 1 *Cor. II*, 8, 1 *Io. III*, 1, 13, *Harduinus* in *Comm. ad N. T. pag.* 251.

u) *Io. Weſſelius* in Orat. *de Admiranda Judæorum conſervatione pag.* 683 *ſeq.*

x) M. *Daniel Godofredus VVernerus* in *Meditationibus ſacris pag.* 141 *ſeq. Supplem ad Nova Eruditorum Acta T. II. Sect. V. pag.* 228.

XIII. Quanta autem puritas & innocentia in Chriſto ſoſpitatore præſtantiſſimo fuerit, undiquaque elucet. Si enim ad *Gabrielis*, angeli divini, prænuntiationem animum attenderimus, ipſe iuſſu Dei ſignificavit *Mariæ*, *illud, quod ex ipſa naſciturum eſſet, filium Dei futurum eſſe ipſum. Luc. I, 35.* Fructus itaque ventris *Mariæ* vocatur ἅγιον, *ſanctum*, id eſt, *ex omni parte ſanctum, nil impuri habens admixtum, nihil ex vitiis trahens.* Idem *Gabriel* iam olim Meſſiam appellaverat *ſanctum ſanctorum*, id eſt, omni ſanctitatis perfectione ornatum. *Dan. IX, 24.* Hoc in loco agi de Meſſia, largiuntur ipſi Judæi, teſte libri *Breſchit rabba* autore ad *Gen. XIV, 18*, ac R. *Moſe* filio *Nachmanis Gerundinenſi*, in Commentario ad hunc locum y). Vocari ſolebat adytum, ſeu penetrale intimum, templi Hieroſolymitani קֹדֶשׁ קָדָשִׁים, idque ab omni impuritatis externæ contactu erat immune & diſiunctum. Chriſtus, qui eo repræſentatus fuit ſecundum humanam naturam ſuam, proinde vocatur non ἅγιος, ſed ἅγιον, ut ipſum exiſtimes hominem fuiſſe ſanctum, & ab omni immunditie ſegregatum, atque templum z) illud, in quo divina natura habitavit a) nexu arctiſſimo, in eius natura humana

y) *Raimundus Martini* in *Pugione fidei P. II. Cap. 3. pag. 228.*

z) *Mal. III, 1, Luc. II, 49, 51.*

a) *Col. II, 9.*

mana excelluiſſe. *Gabriel* certe indicat, *ſanctum illud, e Maria naſciturum, fore filium Dei.* Quo ipſo, ipſum divinæ naturæ per generationem quandam, rationi imperviam, participem fuiſſe, ſimul tamen humana natura gaviſum, docemur. *Zacharias* Ieſum vocavit *κύριον*, *Iehova*, *Dominum*, *Luc. I, 76.* Cum Ieſus vix eſſet in lucem ſuſceptus, Angelus paſtores, Bethlehemo vicinos, ita b) allocutus fuit: *Natus eſt vobis hodie Servator, qui eſt Meſſias Dominus, ſeu Iehova, in urbe Davidis, ſeu Bethlehemi.* Id certe ſatis ſuperque notum eſt, Iehovam in utroqve Codice, cum veteris, tum novi Fœderis, a Græcis interpretibus *κύριον* vocari. Quis vero ſanctior eſt Iehova? Quis ab omni vitiorum fece diſiunctior eſt Iehova? Ipſi dæmones pravi non potuerunt ſibi temperare, quin Ieſum vocarent *τὸν ἅγιον τοῦ Θεοῦ*, *ſanctum illum Dei*, id eſt, à Deo promiſſum ac miſſum, eique cariſſimum. *Marc. I, 24, Luc. IV, 34.* Ex compoſito dæmonas egiſſe, eo minus ſuſpicari licet, quod Ieſus eos eiecit, fugavit, ac ſilere iuſſit. Id vero ingenue nobis eſt fatendum, dæmonas illos veritatis fuiſſe addictiores ipſis Pharisæis, immo Theologis quibusdam ſeculi ſuperioris. Pharisæi enim Ieſum exiſtimarunt exſtitiſſe peccatorem; Theologos vero, quos ſignifico, Ieſum in peccata labi potuiſſe, inter omnes conſtat, nominatim *Ioan-*

b) *Luc. II, 11.*

nem a *Laſco* c) & *Simonem Epiſcopium* d), quibus *Conradum Dippelium* merito aggregamus. Qui enim, obſecro, labi ille potuit, qui eſt *filius Dei*, qui eſt *ſanctiſſimus*, qui eſt *Iehova*, qui eſt ſanctus ille Dei? Non ſane oportet Chriſtum ita cum *Adamo* adhuc innocente comparare, ut ille potuerit, æque ac hic, propter finitudinem ſcientiæ & virtutis, naturæque ipſius terminos, peccare. *Adamus* enim exſtitit nudus homo, humana perſona. Chriſtus autem eſt *homo de cœlo*, id eſt, *cœleſtis*, ac ſimul filius Dei, non homo nudus, ſed perſona longe excellentiſſima. Dum enim natura ipſius humana, ſeu id, unde dicitur *homo*, in hypoſtaſin divinam fuit aſſumtum, ipſa eius humana natura divinis perfectionibus ob gratiam illius unionis intime uncta, ornata, & perfuſa fuit. Quæ quidem *perfuſio* ac communicatio idiomatum divinorum peperit plenitudinem perfectionum ac virtutum infinitarum, in humana natura Chriſti exſplendeſcentem. Scriptores ſacri vocant hunc perfectionum ſummarum complexum πλήρωμα *Io. I, 16, 2 Cor. III, 18, Col. II, 9, Eph. IV, 13.* Quis vero, amabo te, eo audaciæ progredietur facile, ut eum, qui Deus eſt,

c) *Io. Frid. Bertrami Hiſtoria critica Ioannis a Laſco pag. 505, Meiners* in *Ooſtvrieſchlandes kercklycke Geſchiedeniſſe pag. 257 ſeq.*

d) *Abrah. Calovius* in *Conſideratione Arminianiſmi Diſp. XII § 17 — 26, pag. 126, 256.*

eſt, naturamque ſuam humanam perfectionibus ſummis inde a puncto conceptionis in utero *Mariæ* explevit, peccare potuiſſe, vel labi poſſe in peccata, ſibi perſuadeat? Nonne ipſe Chriſtus homo eſt *imago Dei* *) *non conſpicui?* Vide *Pſ. XVII*, 15, ubi *Davides* Chriſtum vocat imaginem Dei, תְּמוּנַת י״י Per *faciem Dei* Autor Commentarii, qui vocatur *Breſchit rabba*, deſignat Meſſiam, ad *Gen. XXII*, 4. Chriſtus eſt ſplendor gloriæ patris, & imago ſubſtantiæ ipſius, *Ebr. I*, 3. Ipſe ſeſe appellavit *ſanctum Dei Pſ. XVI*, 10, *Actor. II*, 27, 31, *XIII*, 35. Hinc ſane ſatis effici cogique poteſt, ab omni imperfectione & peccandi facultate Ieſum longe fuiſſe ac eſſe remotiſſimum. Id vero inprimis urgemus, Ieſum iam in V. T. e) dictum fuiſſe *Iehovam* ſecundum divinæ naturæ excellentiam. Dum enim hoc nomen non niſi infinitum & perfectiſſimum ſupremumque Numen denotat, ac plane f) ei eſt proprium, fieri ſane haud potuit,

*) *Col. I*, 15, 2 *Cor. IV*, 4, *Phil. II*, 6.

e) *Eſ. XLV*, 8, *LXI*, 1 *ſeq. Luc. IV*, 17, 21, *Ier. XXIII*, 6, *XXXIII*, 15 *ſeq.* Conf. *Io. Adami Schertzeri Collegium Anti-Socinianum pag.* 150.

f) *Iehovah* eſſe nomen proprium, exinde patet, quod 1) non flectitur in numerum pluralem, 2) non movetur a genere in genus, 3) nulla admittit pronomina ſuffixa, 4) in ſtatu conſtructo

tuit, ut Chriſtus, qui eſt Iehova, ulla facultate, vel potentia, peccandi labendique poſſit eſſe affectus. Quo ipſo ſimul oſtenditur ac redditur planum, Chriſtum ſenſu plane eximio & excellenti dicendum eſſe innocentem. Abeſt enim ab illo omnis noxia, non ſolum ex malitioſo & deliberato animi propoſito fluens, ſed etiam illa, quæ ex imbecillitate animi ſolet exoriri. Ratio certe in promtu eſt. Quomodo enim ille peccatis & noxis ſeſe commaculare poteſt, qui adeo eſt ſanctus, ut ne ulla quidem peccandi potentia, vel labecula, in ipſum cadere poſſit, ſiquidem in ipſius natura humana habitat ipſa divinæ naturæ, omnem peccandi potentiam & facultatem excludentis, plenitudo. Quantum vero ad miniſterium Chriſti attinet, id adeo pure & ſancte fuit adminiſtratum exercitumque, ut ne ulla quidem cum ſuſpicione peccati illud ſit coniunctum. Ceſſat hic dolus omnis malus; ceſſat hic omnis culpa doli expers, ſeu delictum & quaſi delictum. In animo enim Meſſiæ præſto fuit ſanctitas, nec in ore eius fuit dolo locus. *Eſ. LIII, 9, 1 Pet. II, 22, 1 Io. III, 5.* Peccata tulit, at non ſua, ſed hominum peccatis infectorum, ſiquidem expromiſſor obæratorato-

ctio non ponitur, 5) He demonſtrativum reſpuit, 6) nec ullum de ſe format verbum. Conf. *Pauli Theodori Carpovii Ars ideam diſtinctam de voce Hebræa formandi Sect. VI §. 36*, & Cel. *Iacobi Ode Commentarius de Angelis Sect. X §. 1 pag. 996 ſeq.*

ratorum fuerat factus. *Ebr. VII*, 22. Ἔγγυος Græce dicitur *expromiſſor*, quæ vox in illo loco epiſtolæ ad Ebræos ſeſe offert. *Expromiſſorem pro amico agere* eſt Græcis ἐγγυᾷν τὸν φίλον *Prov. VI*, 1. Ac, licet *infirmitas* ipſi ineſſet in ſtatu exinanitionis *Ebr. V*, 2, illa tamen ab omni labe & peccato fuit ſecreta ac disiunctiſſima, *Ebr. IV*, 15, *VI*, 26, 27. Furti ſuſpicio in illum haud cadit, ſiquidem ex ſumtibus gratis collatis vixit, nec proprii quidquam fere tenuit, 2 *Cor. VIII*, 9, *Matth. VIII*, 20. Rapinam nec exercuit, nec admittendam docuit. Ut vitam hominum ſervaret, venerat, nequaquam vero ut ei vim inferret, vel noceret. Nullam inimici criminum huius generis accuſationem in illum excogitare, vel fingere, fuerunt auſi. Abfuit ipſe ab omni contumeliæ & iniuriæ culpa. Licet enim Phariſæis ac ſcribis exprobraverit *hypocriſin* g) & alia malefacta; ipſe tamen ab animo iniuriandi procul fuit, quin potius corrigendi emendandique animo graviora dehortationum verba pronuntiavit. Nec id ipſum fugit inimicos, quippe qui eo nomine nihil accuſationis in illum ſtruxerunt. Inimici finxerunt quidem, Ieſum in conſortio malignorum ſpirituum verſari, eorum auxilio miracula edere, atque dæmonium habere. *Matth. IX*, 34, *Marc. III*, 22, *Luc. XI*, 15, *Matth. XII*, 24, *Io. VIII*, 48. At eo ipſo faſſi fuerunt, Ieſum re vera edidiſſe miracula.

g) *Matth. XII*, 34, *XVI*, 4, *XXIII*, 3 *ſeq.*

cula. Quantum vero ad obiectum crimen attinet, illud ſua ruit inanitate. Diaboli enim vera haud edere poſſunt miracula. Vis & ius illa patrandi ſoli Deo adeo *) eſt proprium, ut cum homine nudo plane communicari non poſſit, finitasque cacodæmonum vires excedat. Chriſtus ſane diabolos eiecit, tacere iuſſit, ac diaboli regnum labefactavit, armisque nudavit, tantum abeſt, ut commercio eorum faverit, vel eorum ope ſublevatus credi poſſit. *Marc. I, 25, III, 23—27, Matth. XII, 25 ſeq.* Miramur inter hæc, homines dari poſſe, qui inficiantur, Chriſtum ex eis, qui a diabolis conſtricti atque obſeſſi tenebantur, eieciſſe diabolos, rati, δαιμονιζομένυς fuiſſe homines ægrotos, mentisque inſanæ haud expertes h). Quos niſi viri

*) Confer B. *Ioannis Guſtavi Reinbeckii* P. *IV der Betrachtungen über die in der Augſpurgiſchen Confeſſion enthaltene und damit verknüpfte gœttliche Wahrheiten Medit.* 45 §. 9 p. 121 *ſeq.*

h) *Recherches ſur ce qu'il faut entendre par les Demoniaques, dont il eſt parle dans le Nouveau Teſtament*, Leide, 1738, 12 mai. Cel. *Ioachimus Oporinus in Erlaeuterter Lehre van den Engeln pag.* 196, Cel. *Iacobus Ode* in *Commentario de Angelis pag.* 200, 267, *Zacharias Grapius* in *Theologia recens controverſa Cap.* 5. *Quæſt.* 9. *pag.* 90 *ſeq.*

i) *Obſervations critical and miſcellaneous on ſeveral remarkable Texts of the Old Teſtament. London* 1755, 4, *Diſſ. I.*

viri eruditiſſimi i) ſolide refelliſſent, illud ſaltem eſſemus addituri, Chriſtum omnino diabolos allocutum eſſe, qui obſederant homines, diabolos eum agnoviſſe, & aliquid ab eo petiiſſe, ipſum eos iuſſiſſe ſilentia ſervare, & corpora hominum animasque derelinquere. Qui igitur Ieſum veritatis fontem & amatorem quodammodo duntaxat venerantur, ii non poſſunt, quin exiſtiment, ſoſpitatorem optimum de veritate, ſeu exiſtentia, obſeſſorum, & diabolorum, homines obſidentium, nequaquam dubitaſſe, ac eam ob cauſam noſtrum eſſe, nullas hic obmoliri dubitationes. Non poſſumus, quin hoc etiam addamus, Iudæos minus fuiſſe ſolicitos de homicidio evitando, eo quod cauſæ patronum haud adiunxerunt Ieſu, nec permiſere, ut ipſe palam & libere cauſam ſuam diceret, nec conſanguineis ac vicinis Ieſu copiam poteſtatemque fecerunt teſtimonia ſua pronuntiandi de eis, quæ Ieſus docuerat, publiceque perfecerat. An vero hoc Iudæorum crimen *Eſaias LIII, 8*, denotaverit oſtenderitque, quemadmodum Anglus quidam contendit k), noſtrum non eſt definire, ſiquidem violentum eſſe videtur, pro voce מעצר legere מעזר, contextuique exprobrare librarii nævos. Oſtendit Servator optimus innocentiam ſuam in morte ipſa, tum verbis, tum factis. Nihil certe

k) Cel. *Lud. Mart. Kahlii Obſervatio de vino myrrhato* in *Parergis Gotting. Tom. I. L. IV p. 113 ſeq.*

certe dixit, vel egit, morti vicinus, quod notari ac improbari poſſit. *Mariam* matrem commendavit *Ioanni* Apoſtolo, ac *Ioannem* adiunxit matri in ſolatium, cum iam in cruce penderet. *Io. XIX*, *26*, *27*. Summa ſani hominis ea eſt virtus, ſi ipſe ne quidem in morte obſervantiam & curam erga parentes deponit. Deprecatus ipſe fuit Patrem ſuum pro ſalute eorum, qui manus ipſi admoverant, crucique eum affixerant. Innocentiæ eſt documentum, univerſis bene velle, ac ſaluti inimicorum hoſtiumque proſpicere, &, ni eam hi repudiaverint ſuppeditatam, nil omittere ad eam amplificandam. Vinum, felle ac myrrha mixtum, bibere noluit, in crucem ſuffixus. *Matth. XXVII*, *34*, *Marc. XV*, *23*. Id enim ei non in contumeliam ſolum propinabatur, veluti reo ex ſententia perfidorum Iudæorum, ſed & eam ob cauſam, ut mens ei emoveretur, & e medio tolleretur fœtidus odor, qui alias a miſeris in ſupplicio capitali ſolebat emitti. Sitiebat Ieſus. At nec vinum, nec myrrhas, ſitiebat. Deſiderio appetebat maiora & præſtantiora, expiationem mox finitam ſitiebat, ac ſalutem inde quaquaverſus profluxuram. In ipſo mortis articulo animam patri cœleſti veluti depoſitum in manus commendabat. *Luc. XXIII*, *46*. Signum ſunt hæc verba, e *Pſ. XXXI*, *6*, deſumta, mentis, quæ ſibi conſtat, & ab omni nævo conſcientiæ latrantis eſt immunis. Alteri latronum, ad frugem redeunti, promiſit delicias, ea die in paradiſo perfruendas, ut oſtenderet, ſeſe eſſe

Domi-

Dominum gloriæ impertiendæ, atque ſuos doceret conditionem mentium, a corporum vinculis exſolutarum, a Pſychopannychismo admodum alienus. Unum reſtat tamen, quod nos poſſit urere, atque dubitationi materiem ſuppeditare. Exclamavit Ieſus paullo ante mortem: *Deus mi, mi Deus, quare me dereliquiſti?* Nonne hæc verba videntur eſſe animi abiecti, ac ſalutem omnis deſperantis? Ita equidem videri ea poſſunt hominibus, qui extra complexum orationis ex una ſententia Autoris iudicium ferunt. Si rem omnem attentius expendimus, alia nobis ſeſe approbat ſentiendi ratio. Alta voce Servator initia Odæ Davidicæ viceſimæ ſecundæ proclamavit, ut oſtenderet, ſeſe eſſe illum innocentem, in quem Pater voluerit ea omnia expromi ac confluere, quæ in Oda XXII illa prædefinita & prænuntiata fuerant. Primo Paſchatis die Oda illa publice in templo a ſacerdotibus & Levitis decantari ſolebat. Revocavit Ieſus Iudæis in memoriam id, quod eo die fuerat decantatum de ſtatu exinanitionis ſuæ, ac de fatis ſuis in ipſa cruce. Agnovit hanc rationem *Iſaacus de Beauſobre* in *Tomo I* Operis, quod *Remarques ſur le N. T.* inſcripſit, *pag.* 83. Iudæi certe nunquam ſibi perſuaſerunt, eum, qui in Oda illa *Davidica 22* inducitur loquens, animum deſpondiſſe, ac fiduciam in Deo collocandam abieciſſe. Contraria omnia ex *Pſalmo* ipſo pateſcunt. Incidi quoque in *Rabbinos* quosdam, qui Oden illam de Meſſia exponunt, quo-

rum verba, Deo dante, alias dabo. Hactenus itaque Ieſus in ipſa morte demonſtravit verbis innocentiam ſuam. At idem factis quoque ipſis declaravit, ſeſe eſſe innocentem. Diſcidit enim vis eius divina in morte Ieſu velum adyti Hieroſolymitani, ni utrumque, certe prius. Exitum enim ſortiti fuerant typi, fata Meſſiæ deſignantes. Sacrificium piaculare illud unicum, quod Iudaica reſpexerant, fuerat immolatum. Et hanc ob cauſam Ieſus in cruce pronuntiaverat illud τετέλεσται, quod alias de impletis vaticiniis, ac Prophetarum oraculis, eventui ſuo admotis, ac penitus re ipſa expletis, adhiberi ſolet. Sol tenebris occultabatur in ipſo meridie, nullo lunæ oppoſitu laborans. Tremor terræ inſequebatur, quo rupes diſſiliebant, ac tumuli mortuorum aperiebantur. Animadvertebat centurio Romanus, haud procul a cruce conſiſtens, innocentiam Ieſu, vimque eius omnipotentem, in editis illis miraculis inſignem, exclamans cum aliis compluribus: *Profecto hic fuit ille filius Dei*, quem ſeſe perhibuit. *Matth. XXVII, 52, 53.* *Ioſephus* Arimathæenſis, Synedrii Aſſeſſor, Ieſum habuit pro innocente, quippe quem monumento ſuo ſepulcrali prorſus recenti, in quod nemo adhuc illatus fuerat, inferri iuſſit. Per hanc in eo ſepulcri loco commorationem corpus innocentis cum corporibus ſceleratornm permutari haud potuit. Cum Ieſus conderetur, animæ ſanctorum, in corpora ſua repreſſæ, declararunt, Ieſum fuiſſe

illum

illum Dei ſervum, qui in altum eſſet evehendus, ut in hoſtiam piacularem ſeſe offerret pro generis humani ſalute. Corpora illa rediviva, Ieſu a mortuis regreſſo, in urbem Hieroſolymam ingreſſa fuerunt. Videtur inter eos exſtitiſſe *Daniel* Propheta, cuius in Palæſtinam oſſa ſuſpicamur eſſe relata. Oraculo divino ipſe fuerat præmonitus, ut, ſeſe *ſub finem illorum dierum*, id eſt, exeunte veteris œconomiæ periodo, *eſſe in parte ſua* (terra peculii divinitus conceſſi) reſurrecturum, haud dubitaret. *Dan. XII*, 13. Hanc primitiarum ſuarum reſurrectionem Ieſus indicavit *Io. V*, 25, 26, 27. Iudæi ea ætate crediderunt, in ævo, ſeu œconomia, Meſſiæ adventantis revicturos ac reſurrecturos eſſe defunctos mortuosve haud unos. Teſtimonia Iudæorum nonnulla, ad id ipſum comprobandum apta, produxit Cel. *Chriſtianus Schoettgenius* 1). Enata fuit exinde Iudæorum & Chriſtianorum quorundam opinio, de millennio deliciosiori, in hac tellure futuro, inſcribenda. Redivivi illi fuerunt teſtes dominatus Ieſu, in vivos ac mortuos patentis. Ipſi innocentiam & ſanctitatem Meſſiæ genuini re & verbis declararunt. Quomodo enim ille peccatis infectus eſſe poteſt, qui ipſe eſt Deus, & mortuos reſuſcitat e ſepulcris? Iudæi hanc vim & pote-

 ſtatem

1) In *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Matth. XXVIII, v. 52, pag. 257 ſeq.*

ſtatem non niſi Deo attribuunt. m) Chriſtus noſter tandem etiam in reſurrectione ſua, ſeſe eſſe criminis cuiuscunque immunem & innocentem, oſtendit. Ipſe enim prædixerat, ſeſe reſurrecturum eſſe intra dies tres a mortuis, vitamque, depoſitam ſponte ſua, arbitrio ſuo reſumturum, ne quis de veritate doctrinarum, ab ipſo traditarum, vitæque innocentiſſimæ, dubitaret. *Matth.* XX, 19, *Io.* X, 17, 18, XI, 25, 26. Huic pronuntiato, quod *Pſalmo XVI* corroboratur, conſtitit fides ſua, ſua veritas. Reſurrectionem ſuam Jeſus propoſuerat loco ſigni poteſtatis ſuæ in ſacra Judæorum. *Io. II*, 14 — 19. Reſurrexit autem die tertio, poſtquam obdormiverat, ac eo ipſo, ſeſe eſſe Judæorum & templi eorum dominum, declaravit. Judæorum impudentia & effrænata fingendi libido ſeſe haud extulit, ut ipſi Apoſtolorum ætate fuerint auſi veritatem reſurrectionis Jeſu Chriſti in dubitationem vocare, vel illam diffiteri. Proceres Judæorum nihil monuerunt, quantum ad hanc rem attinet, in contrarium, *Act.* IV, 1 *ſeq.*, vix tamen ſibi olim temperaturi, quin Jeſum redivivum, ſibi denuo oblatum, iterum occidiſſent. Quid conſilii ipſis arriſerit, in *Lazarum*, reſuſcitatum a mortuis, capiendi, pateſcit ex *Io. XII*, 10. Benignitati Jeſu id eſt tribuendum, quod ipſe redivivus & a mortuis

m) *Targum Hieroſolym. in Gen.* XXX, 22, *Taanith f.* 2, 1, 2. Conf. *Schœttgenii Horæ* ad *Apoc.* I, 18, *pag.* 1088.

mortuis redux Hieroſolymitanis ſacerdotibus & ſummatibus ſeſe haud præbuit ſpectandum. Ipſi omnino ſatis iam pœnæ divinæ in ſeſe derivaverant, cum Jeſum ſemel neci curaviſſent dandum. Veritatem reſurrectionis Ieſu Chriſti extra omnem dubitationis aleam poſuerunt viri ſummi, *Humfredus Dittonus*, *Martinus Knutzen* n), *Wilhelmus Sherlock* o), ac *Ioannes Guſtavus Reinbeckius* p). Quis vero eum pro facinoroſo & mortis reo habebit, qui fuit Dominus templi, qui miracula edidit, qui ad innocentiam ſuam declarandam a mortuis intra dies tres rediit, qui, inſpectante mira hominum multitudine, in cœlos ſubvectus eſt, qui teſtes reſurrectionis ſuæ habuit, omni exceptione maiores, & qui per ſuos adminiſtros miracula genuina edidit ad veritatem reſurrectionis ſuæ corroborandam, & nemini non aperiendam.

XV. Licet autem Jeſus per ſe & naturam ſuam eſſet ſanctiſſimus, & a peccatoribus ſegregatus; ſuſcepit tamen peccata in ſe totius generis humanii expianda, atque ea ſolvit debita,

n) In *philoſophiſchen Beweis von der Wahrheit der Chriſtlichen Religion Tr. VI pag. 212 ſeq.*

o) In *gerichtlichen Verhœr der Zeugen der Auferſtehung Ieſu*, Lipſ. 1736, 8.

p) *IV Th. der Betrachtungen über die Augſp. Conſ. Medit.* 45 §. 57 *ſeq.*

quæ ipſe haud contraxerat. Factus ipſe eſt pro nobis *ἁμαρτία*, *piaculum*, per voluntariam in ſeſe ſuſceptam peccati alieni imputationem. Non ob ſuam, ſed ob noſtram, iniquitatem & a Deo defectionem vulneratus, percuſſus, & occiſus eſt. *Eſ. LIII, 5, 9.* Qui pendebat in ligno, vel cruce, in Iudæa, is erat maledictus & *κατάρα*. *Devt. XXI, 13.* Execrandus vero eſt, qui legem Dei haud ſervat. *XXVII, 26.* Atqui nullus hominum ſervat Dei legem pro debito. *Pſ. XIV, 3, LIII, 4, Rom. III, 9 ſeq.* Ergo omnes homines ſunt per ſeſe ob contractum & admiſſum peccatum execrandi, & ſempiternæ imprecationis ac pœnæ rei. Chriſtus vero per ſeſe haud fuit execrabilis. Reſtat itaque, ut ipſe vice hominum pœnis ipſi imputatis fuerit obnoxius, & execrationis reus ad tempus. *Gal. III, 13.* Iudæi, Jeſum, exiſtimant, ob crimina ſua fuiſſe punitum, nec ſibi perſuadere poſſunt, vicaria ſatisfactione Deo præſtanda opus eſſe, operibus ſuis bonis ſeſe tuituri haud ſecus ac Naturaliſtæ & Muhammedani. Hinc ipſis doctrina de cruce Chriſti eſt offendiculo. Ignorare ipſi contendunt vim vaticinii *Eſaiæ* & typos ſacrificiorum, quæ per ſe ſuamque indolem Deo minus probantur, ob antitypum vero placuerunt ad tempus. Sociniani autem Jeſum pro divino, ſancto, & innocente, reputant. Deum itaque patrem reddunt crudelem, qui filium ſuum voluerit fieri *κατάραν*, mundique ludibrium præter meritum & cau-

ſam.

ſam. An ob bona ſunt facienda mala? An Deus innocentem ſuppliciis onerat? An iuſtiſſimus poteſt iuſtum punire, pœnisque ſubdere, nullius criminis reum? Nonne & ſtante œconomia priori fuit ſancte hominibus vivendum? Sociniani fingunt, Jeſum ob exemplum patientiæ & virtutis fuiſſe mortuum. Quidni itaque Jeſus eo tempore exemplum hominibus, pœnas ſuſtinendo, præbuit? Sociniani *Paulo* ſuffragantur, qui, Chriſtum pro nobis factum fuiſſe *κατάραν*, tradidit. At quomodo ipſi, eum appellari poſſe *κατάραν*, largientur, qui nec ipſe peccavit, nec, ut ipſi decernunt, vice aliorum pœnas peccatorum luit? Virum innocentiſſimum execratione eſſe plenum, quo modo dici poteſt? Obiicient ipſi fortaſſis, Jeſum pro execrabili ab hominibus per erroris præcipitia fuiſſe habitum, nec tamen talem exſtitiſſe. At hæc ſententia pugnat adverſa fronte cum doctrina *Pauli*, docentis, Jeſum exſtitiſſe ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis*, maledictioni obnoxium, non ſaltem talem fuiſſe exiſtimatum. Reſtat itaque, ut fateantur, nos fuiſſe maledictione dignos, Jeſum vero, per ſeſe innocentem, vice hominum exſtitiſſe maledictioni ac pœnæ obnoxium. Quam ſimul ac ſententiam amplectuntur, largiantur id quoque neceſſum eſt, Jeſum vicariam pro nobis præſtitiſſe ſatisfactionem. Monuerunt id iam viri ſummi in *Sammlung von alten und neuen A. 1736 pag. 778 ſeq.* Tolerabilius certe errant Iudæi, quam Sociniani. Nam pœna peccati con-

 currit

currit undique & incubuit Chriſto. *Eſ. LIII, 5.* Iudæi, pœnam a Ieſu toleratam eſſe, ab ipſo promeritam, præfracte tradunt. At Sociniani, Ieſum, docent, tuliſſe nec ſuam, nec aliorum, pœnam. Reclamant itaque & *Ieſaia* & *Paulo*. Locum *Ieſaiæ* de Chriſto eſſe exponendum, perſpicue docuit *Petrus 1 Epiſt. II, 24,* nec non Ieſuita *Baltus* in libro: *Defenſe des propheties de la Religion Chretienne Tom. I pag. 45 ſeq.* Quare Socinianis aut autoritas ſacri Codicis abiicienda, aut ſententia noſtra de vicaria Chriſti ſatisfactione arripienda eſt. Quomodo enim hæc duo momenta inter ſeſe congruunt, *iuſtum eſſe per ſe*, & *a Deo puniri*, *ſanctum eſſe*, & *maleficis annumerari*, *legis virtutisque eſſe cuſtodem*, & *peccatorem eſſe*, *innoxium eſſe*, & *a Deo exhauriri*, *contundi*, *enervari*, & *puniri*, niſi vicariam Chriſti ſatisfactionem amplexus fueris? Solide igitur *Ioannes Guſtavus Reinbeckius* in *Præf. ad P. IV Meletematum* Germanicorum *ad Auguſtanam Confeſſionem* §. 2 pronuntiavit: *Ingenue fateor, me, ſi divinitatem Chriſti abnuerem, vel in dubitationis moras coniicerem, Muhammedanum, quam Socinianum, eſſe malle.*

XVI. Succurrit tandem mihi meditatio, qua, quid de cæcitate Iudæorum ætatis noſtræ ſit ſentiendum, anxie quæritur. Quoties cogitationem ad Patriarchas, & prærogativas ipſorum priſcas, converto, vicem eorum dolere cogor. Simul ac vero ipſorum in Ieſum iniurias & cavillationes perpendo, dolore iuſtiſſimo in ipſos

accen-

accendor. Palantur ipſi per orbem univerſum, diſſeminantes doctrinam & veritatem V. T. ac præter deſtinationem ſuam præparantes Evangelio viam. Pœnas ferunt ipſi pervicacia & moroſitate ſua dignas. Deus ipſos afficit pœnis, eo quod conſentiunt in facta maiorum, Chriſto adverſantium, & eum indigniſſima ratione tractantium. Tranſit merito in illos pœna, qui malefacta aliorum approbant & ſequuntur. Qui vero aliorum improbitatem imitantur, & perpetuo ſequuntur, oſtendunt produntque ſeſe facti autores, quod legi divinæ repugnat. Et eam ob cauſam eis iure imputatur pœna, facto congruens, quo quis leges Dei negligit & migrat. Voluerunt progenitores Iudæorum improbi, ut ſuum de Ieſu in crucem acto conſilium, & effuſus Ieſu ſanguis, ſibi ſuisque poſteris imputaretur. Premunt poſteri infelicium maiorum veſtigia, ac doctores ipſorum fidem doctrinæ Chriſti noſtri cane peius & angue oderunt. Deſeruit itaque eos gratia Dei extraordinaria, qui haud inviti oculos claudunt & obtegunt adverſus Chriſti Evangelium. Iubet tamen illos perſiſtere & perennare Deus, iuſtiſſimus rerum arbiter, inter gentes terrarum univerſas, quia ita prænuntiavit & prædefinivit. Præmia ipſi ferunt ob ſtultitiam, pœnisque obnoxii ſunt divinis, dum a terra ipſis olim promiſſa ac tradita exulant, eaque carent. Vocat tamen ipſos gratia Dei ordinaria, ſiquidem nonnunquam aliqui ipſorum doctrinam Jeſu arri-

 piunt,

piunt, eiusque ad vexillum ubique ſublatum ſeſe conferunt. Ne vero copioſior numerus eorum ad caſtra Jeſu tranſeat, impedimento ſunt quoque ipſi Chriſtiani, tum per diſſenſiones dogmatum inteſtinas, tum per vitæ peioris exempla, & ob curam de Judæis emendandis, vulgo negligi ſolitam. Obſtat tamen & aliquid, quod ipſis ineſt Judæis, quo minus ipſi luce ſalubriori illuſtrentur. Rudes ſunt fere omnes Judæi notionum, quibus Chriſtiana innititur diſciplina. Intenti ſunt doctores ipſorum opinionibus patrum, in quas cæco ruunt impetu. Sepem traditionum, ſeu ſententiarum, ſacro Codici adſutarum, ſuſpiciunt, ac inviolatam ſervare ſtudent. Ingrata eſt ipſis purior Philoſophia. Negligunt ipſi accuratiorem veteris Inſtrumenti expoſitionem. Logicam amant ipſi impuram. Adminicula ipſi repudiant hiſtorica, critica, & philologica, quibus genuina Codicis ſacri incumbit & innititur expoſitio. Græcum & Latinum ſermonem negligunt. Deeſt plerisque ſincerus veritatis amor. Laborandum eſſet Chriſtianis ſerio & opibus & inſtitutis & precibus & libellis ſolide conſcriptis, ut oves deviæ ad ovile Jeſu deducerentur. Tentavit nonnihil Cel. *Callenbergius* eventu haud prorſus infauſto. Sed opera illa maioribus præſidiis ſumtibusque gravioribus redimenda eſt, ut feliciter ſuccedat. Speramus tamen, fore aliquando, ut Judæorum multitudo ingens donetur iterum gratia affluenti & extraordinaria,

simul

ſimul ac gentium cœtus ampliſſimus ad Chriſtum amplectendum & adorandum confluxit. Poteſt & vult Deus eorum, qui iam pœnis prægravati ſibi placent, miſereri. Jeſus ſanguine ſuo improbitatem eorum expiavit. Utinam Chriſtiani vocatu diligentiori illos allicerent & invitarent! Accedent ipſi profecto ad Jeſum magna ex parte, cum diutiſſime & ſacrificiis & templo & Diis commentitiis fuerunt vacui: Regemque *Davidem* venerabuntur tempore poſtremo. *Hoſ. III, 4, 5.* Vocabuntur illi iterum *populus Dei*, quibus diu inhæſit nomen *Non - populus*, לא *Lo - Ammi. I, 8, 9, 10, II, 23.* Tu vero, Jeſu, fili *Davidis*, miſerere noſtri & illorum!

II.

PETRI ZORNII
DISSERTATIO POSTHVMA
DE
SACRIS ANTELVCANIS IVDÆORVM ET MOHAMMEDANORVM.

I.

Maimonides 1) *orationem matutinam* appellat תפלת השחר, quæ aliis dicitur, uti videre

1) In *Tractatu Tephilla Cap. III §. I.*

videre licet apud *Valentinum Schindlerum* 2) & *Hermannum Witſium* 3), תפלת עור, itemque תפלת בקר. Idem *Maimonides* 4) indicio *Georgii Elieſeris Edzardi* 5) & *Ludovici Marraccii* 6) tradit, *Ezram ſummum ſacerdotem cum Synedrio ſuo conſtituiſſe omnibus Iſraelitis quotidie duplicem orationem matutinam & veſpertinam duplici ſacrificio iugi reſpondentem.* Quicquid eius rei erit, operæ pretium fuerit, audire *Ioannem Jacobum Schudtium:* 7) *Vor allen leuchtet* der Eyffer einiger Iuden herfür, *welche vor allen andern* ſonderlich wollen fromm ſeyn, *dann, da ſonſten die gantze Gemeine Morgends gegen 6 Uhr in die Synagog gehet, ſo ſind einige, die ſich* in eine Geſellſchafft *zuſammen thun, die gehen alle Morgen um 4 Uhr allhier in die kleine Synagog, beten erſt einige Gebeter, darnach ſtudiren ſie unter Anführung eines Gelehrten im Talmud: es*

iſt

2) In *Lexico Pentaglotto in voce* מנח.

3) *Exercitatione V* in *Orationem Dominicam* §. *II.*

4) In *Iad Chazaka* in *Tractatu de Precibus & Benedictionibus Sacerdotum Capite I* §. *IV.*

5) In *Notis ad Codicem Talmudicum Berachoth pag.* 277.

6) *Prodromi ad Refutationem Alcorani Parte IV Capite X pag.* 50.

7) In *denen Iüdiſchen Merckwürdigkeiten Libro VI Capite XXXII.* §. *IV pag.* 218.

iſt auch andern, die in keine ſolche Geſellſchafft nicht gehœren, eben nicht verboten, alsdenn auch für ſich dahin zu gehen, andere gehen um 4 Uhr in die Synagog, und beten einige Pſalmen Davids, und alle dieſe, welche ſo früh zur Schul gehen, heiſt man שומרי בקר, Schomere Bouker, *welche die Morgenſtund beobachten*, Früh-Auffſteher: *und das thun ſie ſo emſig, daſs ſie es nie unterlaſſen, ob ſie gleich gar ſpath ſchlaffen gegangen.* Was fromme Iuden, die ſind gleich Morgends betrübt, wegen Zerſtœhrung Ieruſalems und des Tempels: *daſs ſie aber ſo früh beten, geſchicht, weil* bey anbrechendem Tag die Himmels-Thore, *die bey Nacht (wie etwan die Thore einer Stadt) verſchloſſen geweſen, wieder erœffnet werden, wie dann im Himmel überlaut ausgeruffen wird, ſolche Thore zu erœffnen, das hœren die Hahnen, und Krehen deſwegen, daſs ſie die Menſchen zum Gebet auffwecken: da denn auch der bœſen Geiſter Krafft geſchwaechet wird.* 8)

II. Tranſeamus nunc, neceſſe eſt, ad *Mohammedanos.* Apud hos eſt primum tempus orationis באלפגר, *tempore auroræ*, cum illuxerit aurora ſecunda, quæ eſt albedo conſueta in horizonte, ultimum vero tempus eius, ſeu finis, eſt באלמשרק, *quamdiu non fuerit ortus ſol.* Vide

8) Vid. *Io. Buxtorfius* in *Synagoga Iudaica Cap. VIII.*

Vide ſis *Ludovicum Marraccium*, 9) *Ioannem Henricum Hottingerum*, 10) & *Gabrielem Sionitam* 11).

III. Iam vero *Judæi* & *Mohammedani* pietati concedent Chriſtianorum veterum, quorum antelucana ſacra ab hoſtibus æque ac propriis Scriptoribus ſunt laudata. *Plinius* 12) de Chriſtianis: *Affirmabant* (Apoſtatæ Chriſtiani), *hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem*. *Tertullianus* 13), eandem hiſtoriam recenſens, *Plinium* Traiano ſcripſiſſe, ait, *nihil aliud ſe de Sacramentis eorum* (Chriſtianorum) *comperiſſe, quam cœtus antelucanos* | *ad canendum Chriſto ut Deo, & ad confœderandam diſciplinam*. Idem *de Corona Capite III*: *Eucharistiæ Sacramentum antelucanis cœtibus ſumimus*. Quod ergo *ante lucem convenire Plinius* dixit, *Tertullianus* vocat *antelucanos cœtus*.

III.

---

9) *Prodromi ad Refutationem Alcorani Parte IV Capite V pag.* 12.

10) *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomo VII pag.* 474, 500.

11) In *Tractatu brevi de nonnullis Orientalium urbibus Cap.* 15.

12) *Libro X Epiſt. XLVII ad Traianum.*

13) *Apologetici Capite II.*

III.

PAVLI ERNESTI IABLONSKI

DE

NOMINIS ABRAXAS, VEL

ABRASAX, IN PLERISQVE BASILIDIANORVM ET GNOSTICORVM GEMMIS OBVII, VERA ET GENVINA SIGNIFICATIONE EXERCITATIO.

EXERCITATIONIS CONSPECTVS.

§. I. *Nomen Abraxas, celebratiſſimum hactenus, nondum recte & plene explicatum fuit.* II. *Nominis huius architecti non alii fuere, quam Gnoſtici.* III. *Id probatur teſtimonio unanimi Patrum, & quidem* 1 *Graecorum.* IV. *Atque* 2 *etiam Latinorum.* V. *Baſilides Gnoſticus non tantum nomen Abraxas frequenter adhibuit, verum illud etiam primus excogitavit.* VI. *Quando autem nomen iſtud in gentilium ſcriptis occurrit, tum id ipſi a Gnoſticis mutuo ſumſerunt.* VII. *In gemmis Abraxeis nomen Meſſiae cum Abraxas conjungitur, & alia luculenta indicia Chriſtianae religionis reperiuntur, ex quo liquet,*

liquet, earum auctores fuiſſe Chriſtianos Gnoſticos. VIII. *Quæritur, quidnam Gnoſtici per ſuum Abraxas ſubinnuere voluerint. Afferuntur eruditorum variæ ſententiæ.* XI. *Patres ſatis ſubindicant, Gnoſticos per Abraxas ſuum deſignaſſe Solem.* X. *Re ipſa autem eo deſignarunt Chriſtum, ſolem juſtitiæ.* XI. *Interpretationes etymologicæ literales nominis Abraxas, ex lingua Ægyptiaca, aut Hebraica, aut etiam Græca, rejiciuntur.* XII. *Abraxas literaliter nihil ſignificat, niſi 365, quod ex eo probatur, quod promiſcue, modo Abraxas, modo vero Abraſax, efferatur.* XIII. *Neque minus ex teſtimonio, tum Scriptorum veterum, tum ipſius rei.* XIV. *Et ex eo, quod pro Abraxas ſæpe in gemmis occurrant literæ τξέ, quæ etiam valent 365.* XV. *Abraxas itaque Gnoſticis ſignificabat annum Domini acceptum, Jeſ. LXI, 2, id eſt, tempus miniſterii Chriſti publici.* XVI. *Sed quatenus Chriſtus, Sol juſtitiæ myſticus, annum hunc auſpicatus eſt, & effecit, vel quatenus ipſe eſt annus Domini acceptus.*

I.

Nomine *Abraxas*, vel *Abraſax*, etſi obſcuro, minusque intellecto, jam pridem nihil celebratius

lebratius eſt. Nec eſt quisquam, qui hiſtoriam eccleſiæ primitivæ vel a primo tantum, quod ajunt, limine ſalutavit, cui nomen illud ignotum eſſe queat. Nam & antiquiſſimi Eccleſiæ Chriſtianæ Scriptores, ubi Gnoſticorum, ac ſpeciatim Baſilidianorum, hæreſin attingunt, nominis iſtius mentionem faciunt plurimam, & in gemmis illis, quas ex officina iſtorum hæreticorum profectas eſſe, crediderunt eruditi huc uſque pæne omnes, quarumque collectiones ampliſſimas ediderunt *Joannes Chifletius* & *Bernardus de Montfaucon*, nomen idem illud toties legitur, ut ab eo gemmæ ipſæ non raro *Abraxeæ* nuncupari conſueverint. Et tamen neque a vetuſtis hiſtoriæ hæreticæ compilatoribus, neque a recentiorum quoquam, nomen tam celebre ita explicatum fuit, ut eruditi & cordati rerum æſtimatores in explicationibus illis acquieſcere potuerint. Quare, cum in vera nominis huius interpretatione non parum utique ſitum ſit, tum ad hæreſin Gnoſticorum pernoſcendam, tum ad indolem & ingenium gemmarum Abraxearum dijudicandum, operæ pretium me facturum eſſe ſpero, ſi in rem hanc, attento eruditorum examine non indignam, paulo diligentius inquiſivero. Ut autem argumento huic ab omni parte, quantumvis breviter, ſatisfiat, primo quidem origigines nominis hujus πολυθρυλλήτου conſtituam, deinde vero ad eruendam genuinam illius ſigni-

ficationem operam meam qualemcunque conferam.

II. Quæſtionem de originibus nominis *Abraxas* intactam hic prætermittere non poſſum. Quamvis enim vulgo ad hanc noſtram usque ætatem creditum fuerit, origines illas ingenio Gnoſticorum, ac ſigillatim Baſilidianorum, unice deberi; aliter tamen viſum eſt viris quibuſdam eruditis, cumprimis vero præſtantiſſimo illi, nunc beato, Theologo, qui Hiſtoriam *Manetis* & hæreſeos Manichææ, in qua doctrinæ exquiſitæ copia cum judicii ἀκριβείᾳ, & ingenii elegantia, ſemper de palma certat, haud ita pridem edidit. Is in opere illo laudatiſſimo * ſibi perſuaſit, nomen *Abraxas*, non ſomniis Gnoſticorum, ſed Ægyptiorum gentilium ſuperſtitioni, in acceptis ferendum eſſe, & gemmas, quas dicere ſolemus *Abraxeas*, utplurimum non a *Baſilidianis*, aut aliis Gnoſticorum gregalibus, verum ab Ægyptiis idololatris, & forte diu ante Chriſti ætatem, ſculptas fuiſſe, idque ratione non una adſtruere, nobisque approbare, anniſus eſt. Nec deſunt viri eruditionis fama florentes, qui ſententiæ huic Viri doctiſſimi ſubſcribant, eamque aliis quoque etiam atque etiam commendent. Univerſum hoc argumentum pluribus nunc excutere, & ab omni parte verſare, non licet; quare hic nomini *Abraxas* unice inhærebo, idque rationibus

*) *Hiſtoire de Manichée Liv. IV. Chap. IV. Tom. II. pag. 50, 51,* &c.

rationibus non inidoneis palam faciam, non Ægyptios ethnicos, verum Gnoſticos Chriſtianos, qui Jeſum Nazarenum, tanquam Meſſiam a Deo promiſſum, verumque hominum redemtorem, ſumma religione colebant, nominis huius architectos fuiſſe.

III. Et primo quidem cauſam noſtram non parum juvat, quod illi ipſi, a quibus nominis *Abraxas* notitiam accepimus, venerabiles Eccleſiæ primitivæ doctores, ad unum omnes, *Baſilidem* illius auctorem & artificem fuiſſe, teſtentur. Rem aſſero eruditorum nemini ignotam; ſed quam tamen ſine cauſæ meæ detrimento tacitus prætermittere non poſſum. Paulo obſcurius rem hanc ſuſtinuit *Agrippa Caſtor*, ſcriptor Seculi II egregius, & *Baſilidis* æqualis, ubi apud *Euſebium Hiſt. Eccleſ. Lib. IV Cap.* 7 obſervat, βαρβάρους αὐτοῖς εἰς κατάπληξιν τῶν τὰ τοιαῦτα τεθηπότων ἐπιφημίσαι προσηγορίας, eum rebus *barbara quadam nomina impoſuiſſe* ad *percellendos eorum animos, qui hujusmodi rerum admiratione capiuntur.* An non tale nomen eſt *Abraxas*? Simile omnino illis Prophetarum, quos ſibi *Baſilides* confinxiſſe, illic perhibetur, *Barcabas*, & *Barcoph*, nominibus. Sed aperte, & citra omnes ambages id, quod dicebamus, affirmat *Irenæus*, ſcriptor antiquitatis omnis non leviter peritus, & qui eodem, quo *Baſilides*, Seculo & vixit & floruit. Nam de *Baſilide*, eiusque diſcipulis, hæc refert *Lib. I. adv. hær. Cap. XXIV.* §. 7 edit. ultimæ: *Trecentorum*

autem ſexaginta cœlorum locales poſitiones diſtribuunt ſimiliter ut Mathematici. Illorum enim theoremata accipientes, in ſuum characterem doctrinæ transtulerunt, eſſe autem Principem illorum Ἀβράξας. Conſimiliter *Epiphanius Hæreſi XXIV.* §. 7 de *Baſilide* hæc habet: *Ex virtute & ſapientia ait Poteſtates & virtutes & Angelos prodiiſſe. Sed his omnibus ſuperiorem quandam virtutem ſtatuit ac principium, quod* Ἀβρασὰξ, *Abraſax, appellat.* Eodem Auctor hicce videtur reſpicere, quando §. 2 obſervat, *Baſilidem angelis ſuis hiſtrionico more certas appellationes indidiſſe.* Nam *Abraxas* erat, uti intelleximus; ſecundum *Baſilidem*, Angelorum Princeps. Non aliter *Theodoretus*, vir omni doctrina mirifice perpolitus. Nam & is de *Baſilide* ſcribit *Fabul. hæret. Lib. I Cap.* 4, quod *Angelorum nomina confinxerit — hiſque Principem præfecerit Abraſax.* Docent igitur ſcriptores hi, *Baſilidem* nova & inaudita angelorum nomina fabricaſſe, illisque Principem conſtituiſſe, quem vocavit *Abraſax.* Alios eccleſiæ Græcæ Scriptores, qui hos fere tantum ſequuntur, nunc brevitatis amore libens omitto.

IV. Teſtimoniis his Scriptorum eccleſiæ Græcæ adiungamus quædam Latinorum, ſed ex antiquioribus. In his eſt Auctor vetuſtus Appendicis ad *Tertulliani* librum *de Præſcriptione hæreticorum*, qui *Cap.* 46 iſta ſcribit: *Baſilides eſſe dicit ſummum Deum nomine Abraxan.* Et pauculis interpoſitis: *Et mundum in honore Abraxæ,*

Abraxa, *cuius nomen hunc in ſe habebat* (forte *habeat*) *numerum computatum*, nempe 365. Et rurſus: *Chriſtum autem non ab hoc, qui fecerit mundum, ſed ab illo Abraxa, miſſum, veniſſe in phantaſmate.* Auctori huic jungo *Auguſtinum*, cuius de nomine *Abraxas* verba hæc leguntur in libro *adv. hær.* *Cap.* 4: Baſilides *trecentos ſexaginta quinque cælos eſſe dicebat, quo numero dierum annus includitur. Unde etiam quaſi ſanctum nomen commendabat, quod eſt* Ἀβραξάς, *cujus nominis literæ, ſecundum Græcam ſupputationem, eundem numerum complent.* Similia leguntur apud Auctorem *Prædeſtinati*, a *Sirmondo* editum, *Lib. I. num.* 5. Verba ipſa hic apponere quid vetat? *Tertia hæreſis Baſilidianorum. Hi 365 Cælos eſſe dicunt, & Deum horum Cælorum Abraſax commemorant.* Tacere non poſſum, nominis huius plurimam inprimis mentionem reperiri apud *Hieronymum*, Patrum Latinorum doctiſſimum. Verum & is aliam illius originem invenire non potuit, quam eam, quam ante ipſum tot egregia eccleſiæ præſidia prodiderunt. In *Amoſi Cap. III* (*Opp. Tom. III. col.* 1392. edit. Benedictin.) ea de re hunc in modum ſcribit: *Baſilides omnipotentem Deum portentoſo nomine appellat Abraxas: & eundem ſecundum Græcas literas & annui curſus numerum dicit in Solis circulo contineri: quem Ethnici ſub eodem numero aliarum literarum vocant Mithram.* Nihil clarius dici potuit. Ait enim, *Baſilidem* nomine *Abraxas* id

ipſum innuere voluiſſe, quod ethnici alio nomine, ſed idem valente, *Mithra* ſignificarint. Nam ΜΕΙΘΡΑΣ non ſecus atque ΑΒΡΑΞΑΣ numeros continet 365. Idem *Hieronymus Comment. in Naum Cap. I* (*Tomo* eodem *col.* 1565): *Nonne contra Deum cogitatio eſt Baſilidis impudica, & portentoſum Ἀβραξὰς nomen, quod praefertur Domino conditori.* Alio loco idem, *adverſus Luciferianos Tom. IV. Part. II. col.* 304, *Tunc*, inquit, *Baſilides ſummum Deum Abraxas cum trecentis ſexaginta quinque Æonibus commentatus eſt.* Quid opus eſt pluribus? Tanta eſt, tamque mirifica, veterum omnium in eo conſenſio, ac veluti conſpiratio, *Baſilidem*, gregis Gnoſticorum ductorem inclytum, nomen illud decantatum *Abraxas* omnium primum excogitaſſe, illiusque uſum in Eccleſiam ſuam invexiſſe.

V. Poſſet tamen cuipiam forte in mentem venire, *Baſilidem* quidem nomen *Abraxas* in Theologiam ſectæ ſuæ invexiſſe; ſed acceptum a multo antiquioribus Ægyptiis ethnicis. Verum enim vero an non hæc precario, ſine ulla idonea ratione, & abſque fundamento ſolido, aſſerentur? Ante Gnoſticorum ætatem vox hæc prorſus inaudita fuit, cuius ne veſtigium quidem ullibi a quoquam oſtendi potuit, cum poſt tempora *Baſilidis*, qui ea primum uſus eſt, mentio illius, & in veterum libris, & in gemmis Gnoſticorum, dictis ideo *Abraxeis*, uſque adeo crebra occurrat. Et Scriptores illi eccleſiaſtici,

ſiaſtici, quorum teſtimonia §. *III*, *IV*, congeſſi ſatis ſubinnuunt, *Baſilidem* non modo uſum nominis *Abraxas* in Theologiam gregis ſui transtuliſſe; ſed & ipſum potius vocis huius antea non auditæ auctorem & fabricatorem exſtitiſſe. Verba præſertim *Hieronymi*, adducta §. *IV*, luculenta ſunt, & dubio locum nullum relinquunt. Sed ita tamen pari iure de reliquis etiam Patribus dici poteſt ac debet. Et obſervatione noſtra hic indignum non eſt, quod Scriptores eccleſiaſtici, ubi ipſis Gnoſtici viſi ſunt, quædam ex gentilium diſciplina in ſectam ſuam induxiſſe, id non indiligenter monere ſoleant. Ita v. c. *Agrippa Caſtor*, apud *Euſebium Lib. IV Cap.* 7, de *Baſilide* hoc monet: *Sectatoribus quoque ſuis Pythagoraeorum more* (πυθαγορικῶς) *ſilentium quinquennii indicit.* Plenus eſt obſervationum huius generis *Irenaeus*, quas attentus lector in libris eius facile deprehendet, ne quid nunc de aliis dicam. At vero nominis *Abraxas* originem uno ore cuncti ad *Baſilidem* referunt, neque vel ſuſpicari nos ulla ratione patiuntur, hæreſiarcham hunc vocem alienam, furto ſurreptam, crebro tantum uſu ſuam feciſſe.

VI. Non nego, vocem illam decantatam *Abraxas* etiam in gentilium quorundam ſcriptis legi, & ab illis quoque uſurpatam fuiſſe. Sed illi profecto furti manifeſti tum rei eſſe deprehenduntur. Nam non ab ipſis *Baſilidem*, ſed vice verſa a *Baſilide* eos vocem hanc mutuatos

 eſſe,

eſſe, liquido apparet. Provocatur hanc in rem ad Q. *Serenum Sammonicum*, in cuius poemate *de Medicina* occurrit ſane, ſed miſere corrupta. Verſus eius [*Cap. LII* hunc in modum concepti leguntur:

Mortiferum magis eſt, quod Græcis hemitritæum
Vulgatur verbis, hoc noſtra dicere lingua
Non potuere ulli (puto) nec voluere parentes
Inſcribes chartæ, quod dicitur ABRACADABRA,
Sæpius & ſubter repetes, ſed detrahe ſummam,
Et magis atque magis deſint elementa figuris
Singula, quæ ſemper rapies, & cetera finges,
Donec in anguſtum redigatur litera conum.
His lino nexis collum redimire memento.

A B R A C A D A B R A
A B R A C A D A B R
A B R A C A D A B
A B R A C A D A
A B R A C A D
A B R A C A
A B R A C
A B R A
A B R
A B
A

Serenus hic *Sammonicus*, quod dudum a viris doctis animadverſum eſt, * Romæ claruit ſub Impp. *Septimio Severo*, & *Antonino Caracalla*, a quo poſtremo in cœna occiſus eſt, ** quo tempore Gnoſtici in urbe illa gregem habuerunt, uti videtur, ſatis amplum & numeroſum, unde fieri potuit, ut gemmæ Gnoſticorum, quas ipſi magna cura abſcondebant, quibuſdam tamen forte fortuna innoteſcerent, & ab his pro amuletis, vel phylacteriis, haberentur. Cumque in his, ut credebatur, amuletis vox *Abraxas* toties inſcripta legeretur, illi, etſi penitus ignotæ, & non intellectæ ab hominibus ſuperſtitioſis, e quorum numero haud dubie fuit *Serenus Sammonicus*, magna cœpit adſcribi vis atque poteſtas. Et, uti inventis etiam ſuperſtitioſi mutationes varias inducere ſolent, ita ex *Baſilidianorum Abraſax* ortum eſt *Sereni Sammonici Abracadabra*, vel *Abraſadabra:* nam utroque modo eruditi legere ſolent. Recte hoc vidit *Joannes Chifletius*, qui idcirco Poetam illum Medicum *Baſilidis ſectatorem* non inepte appellat Comment. in *Gemmas Abraxeas pag.* 64. Nam ex Baſilidianorum deliriis ortum eſt

E 5 Poetæ

* *Fabricius Biblioth. Latin. Tom. I pag. 540.*

** Ea de re quædam a me annotata fuere in Exercitatione *de Alexandro Severo Imp. Chriſtianorum ſacris per Gnoſticos initiato* §. *VIII*, in *Miſcellaneis* hiſce *Vol. IV pag. 68.*

Poetæ illius *Abracadabra*. Sed genuinis tamen ſectæ *Baſilidianæ* gregalibus annumerari utique non poteſt: alioquin vocem, hominibus illius gregis notiſſimam, & auſim dicere ſacroſanctam, non adeo turpiter corrupiſſet. Et huiusmodi voces tamen, ſecundum præcepta circulatorum, *efficacia* tum demum *ſunt, ſi pronuntientur quodam ipſis convenienti modo & ordine*, quemadmodum docet *Origenes Lib. I adverſus Celſum pag. 19.* Plus ſatis apparet, *Sammonicum* & veram nominis huius pronuntiationem, & genuinam ſignificationem, ac denique uſum proprium, cui primitus nomen illud conſecratum fuit, prorſus latuiſſe. Ex falſis hominum, ea de re non recte edoctorum, rumuſculis hauſit ineptum ſuum *Abracadabra*, deceptus ipſe, & alios viciſſim decipiens. Similis error obſervari poteſt in gemma quadam, quæ conſpicitur in *Bernardi de Montfaucon Antiquit: Explic. Tom. II. Part. II Fabula LXVII.* Cernitur ibi ſerpens adſcriptis in orbem hiſce verbis: NVMEN DEI ABRESSE. Gemma hæc auctorem certe habet non Gnoſticum, ſed circumforaneum quempiam, qui vocem barbaram, ſibi nullo modo intellectam, & vitioſe expreſſam, gemmæ ſuæ inſculpi curavit, ut pro amuleto hominibus naris obeſæ tanto carius eam vendere poſſet. Confirmabo ea, quæ dixi, verbis *Pauli Colomeſii*, quæ ex eius *Miſcell. hiſtor. pag. 95* huc transſcribi merentur, Latine converſa: *Recentiores Judæi, teſte Bux-*

torffio

torſio filio, Synagoga Cap. 45, aiunt, ad pellendam febrim quartanam inprimis facere pronuntiationem vocis Abracalan, *ſic ſæpius iteratam, ut vox ſemper litera una diminuatur. Iulius Africanus, in prolixo Opere,* * *quod* κέϛες *inſcripſit, quodque in Bibliotheca Regis Hiſpaniarum manu exaratum ſervatur, uti & Serenus Sammonicus in Poëmate de Medicina, virtutem eandem tribuunt nomini Abracadabra, pari modo pronuntiato. Fieri poteſt, ut Iudæi medicamentum hocce ſuum ex alterutro horum Auctorum deſumſerint.*

VII. A corrupta & adulterata hominum huius rei rudium ſcriptione & pronuntiatione nominis *Abraxas*, redeamus nunc ad ſinceram & genuinam, quam eſſe, ut diximus, *Abraxas*, vel *Abraſax*, ex unanimi teſtimonio Patrum omnium, qui rei huius meminerunt, quorumque loca ſupra attulimus, invicte demonſtratur, inprimis ſi quis ipſorum teſtimonia cum gemmis Baſilidianorum, vel Gnoſticorum, quæ *Abraxeæ* dicuntur, comparare velit. Et ex ipſis his gemmis vera nominis *Abraxas* origo omnium optime intelligi, & luculenter oſtendi, poteſt. Nam, eſſe gemmas has a *Baſilidianis* aliisque Gnoſticis profectas, multis indiciis, omni exceptione maioribus, certiſſime confici poteſt, quod in Commentario noſtro ad has gem-

* De hoc Opere conſulere iuvabit meritiſſimi *Fabricii Bibliothecam Græc. Lib. III Cap. XXIV §. VII Vol. II, & Vol. V pag. 268.*

gemmas, ad liquidum perducemus. Et in illis tantum non omnibus *Abraxas*, aut *Abraſax*, inſculptum cernitur. Pervenerunt ad manus meas, ex dono illuſtris cuiusdam amici, tres huiusmodi gemmæ, in quarum duabus nomen hoc ſcite & diſtincte expreſſum legitur. Alias numero ingenti ſuppeditabunt *Chifletius* & *Montfauconius*, in ampliſſimis talium gemmarum, quas ediderunt, Collectionibus, in quibus tamen genuinæ ab adulterinis diſcerni probe poſſunt & debent. Et genuinas quidem, in quibus *Abraxas* inſculptum eſt, a Chriſtianis eſſe fabricatas, vel id argumento eſt ineluctabili, quod Baptiſmi, & Cœnæ Dominicæ, aliorumque religionis Chriſtianæ myſteriorum, mentio in illis deprehendatur ſatis luculenta & expreſſa, quod ſuo loco extra dubium collocabimus. Coniunguntur cum nomine *Abraxas*, non modo nomen *Iao*, quod etiam Gnoſticis fuiſſe proprium, tot Patrum diſertis teſtimoniis nititur, uti hoc alias pluribus probabimus; ſed etiam ſanctiſſima *Ieſu* & *Chriſti* nomina, & alia cognomina honorifica, quibus in Scriptura Servator ornari ſolet. Coniungitur porro cum nomine *Abraxas* ipſum nomen *Meſſiæ*, id eſt, redemtoris hominum, olim per Prophetas promiſſi, & tandem in carne manifeſtati, etſi nomen hoc Commentatores eruditiſſimi, & optime meriti, quantum recordari poſſum, illic nondum viderint, deque eo lectorem monuerint. Id, quod dixi, exemplo aliquo non ignobili comprobabo.

Inter

Inter Gemmas, a *Chifletio* editas, & ex parte explicatas, notabilis inprimis eſt, quæ *Num. LXIX* conſpicitur. In altero illius latere legitur Inſcriptio bene longa, haſtenus a nemine recte explicata. Illius partem tantum priorem, quæ ad negotium noſtrum ſpectat, hic deſcribam:

ΑΓΩCΑCΑΩ ΑΑΩΝΕ
CCΜΕCΕΙΑΑΜ ΑΒΡΑC
CΞΖ ΤΡΡΑΤΗΑΚΡΑΜΜΑ
ΚΡΑΜΜΑ ΚΑΜΑΡΙC CCΕ
ΓΓΕΝ ΒΑΑΦΑ ΡΑΝΓΗC
ΕΜΕCCΙΑΑΜ ΩΒΑΗΜ.

Inſcriptionem hanc *Gothofredus Wendelinus*, vir doctrina præſtanti inſigniter perpolitus, rogatu *Chifletii*, explicandam ſumſit, & partem quidem illam, quam hic deſcriptam dedimus, in *Commentario ad Gemmas Abraxeas pag.* 112, 113, ita interpretatur Græce: ἄγω σὰ, σάω ἃ Α. ω. Νεσε μεσεία ἀμ' ἀβρασὰξ. Ευφράτη ἄκραμμα κραμμά. Καμαρὶς σοὶ ἐγγεν β. ἀλφαρὰν γῆς. ἐμεσσία ἀμ' ὠξαημ. Eaque Latine hunc in modum vertit: *Duco tua, ſalvo quæ ſunt A & O*, (id eſt, *Principii & finis*,) *ego* * *Neſe* (id eſt, *ſerpens*,) *mediatrix cum Abraſax, pervadens ſimplicia & mixta, incur-*

* *Ioſephus Scaliger Lib. III de emendat. temp. p.* 194 ſibi perſuaſit, *Neſi* Ægyptiis ſignificare *ſerpentem*; ſed perperam. Lectio *Horapollinis*, qui ait, ſerpentem quendam ſymbolicum ab Ægyptiis vocari *Meiſi*, vere ſe habet, & a *Scaligero* non erat ſollicitanda, qua de re forte alias plura.

incurvata tibi, usque ad ſecundas partes terræ, educens ſimul obſcurata. Hanc vero verſionem vir doctus tali oratione paraphraſtica illuſtrat: *Ego Chriſtus æterna Dei ſapientia, curam gero rerum tuarum, quantum earum eſt a principio ad finem, o miſer homo. Ego Serpens ille Moſaicus, mediatrix inter Deum & hominem gratia, una cum Abraſax* (S. Trinitatis & paſſionis in cruce efficacia) *pervadens ſimpliciſſimas naturas angelorum, perinde ac concretas ex anima & corpore maſſas hominum. Ultro incurvor tibi, & inclinor, deſcendens usque ad inferiores partes terræ, educens illinc mecum ſedentes in tenebris & umbra mortis.* Interpretatio hæc, quod non invitus fateor, ingenioſa eſt, & eruditionem non vulgarem ſpirat. Sed, quis, quæſo, dixerit, eam eſſe accuratam, & ipſam genuinam gemmæ ſententiam exponere? Si Gnoſtici omnes in hunc mundum redire poſſent, quidam eorum inſcriptionem gemmæ, ut opinor, aſſecuturi eſſent; verum enim vero interpretationem Græcam *Wendelini*, non modo inter Gnoſticos, ſed etiam mortales omnes, neminem plane intellecturum eſſe, audacter affirmabo. Laudo tamen in viri huius docti interpretatione, quod *lin.* 4 literas has A Ω ex *Apocalypſi* deſumtas eſſe divinaverit. Id tantum addo, quod etiam * præſtantiſſimo illi viro, quocum mihi negotium hic eſt, ſuboluiſſe deprehendo, per A & Ω ipſum

* *Hiſtoire de Manichée Tom. II pag. 56.*

ipſum Meſſiam hic deſignari, ex *Apocal.* *I*, *8*, *11*, *XXI*, *6*, *XXII*, *13*. In gemmis *Abraxeis* id frequentiſſime animadvertere licet. Nec minus id in viri eruditi interpretatione magnopere probo, quod ex *lin.* *2* & *3* exſculpſerit ΑΒΡΑ-CΑΞ, quod eodem, & aliis etiam modis, ſæpe etiam nonnihil obſcurius, in gemmis hiſce expreſſum, diligentem earum ſcrutatorem latere non poteſt. Dum porro vir egregius nomen *Abraſax* interpretatur *S. Trinitatis & paſſionis in cruce efficaciam*, ſatis oſtendit, ſe ex gemmis hiſce induſtrie expenſis intellexiſſe, nomen hoc ad Servatorem noſtrum, & ad divina eius beneficia, referendum eſſe. Sed, ut alia nunc prætercam, non vidit *Wendelinus*, uti nec alii, occurrere in hac Inſcriptione nomen *Meſſiæ*. Ubi *lin.* *2* legimus MECϾIAAM, non dubito, quin re ipſa ſcriptum fuerit MECCIAAM. Et ſic plane iterum *lin.* *6* ſcriptum invenimus MECCIAAM. Quæ hoc ultimo loco præcedit vox, prætermitti a nobis non debet, cum ex ea oſtendi queat, obſervationem meam ſolido niti fundamento. Nempe pars hæc Inſcriptionis noſtræ ita ſonat ΦΑΡΑΓΓΗC Є MECCIAAM, ubi literas ita diſtinguendas eſſe autumo : ΦΑΡΑΓΓ ΗC Ε MECCIAAM. *Pharang es e Meſſiam*. Hæc ipſa etiam in aliis gemmis, ſed plerumque parum emendate, leguntur. Apud *Irenæum* vero *Lib.* *I*. *Cap.* *XXI* occurrit aliqua Marcoſiorum Gnoſticorum formula ſacra, lingua fere Syro-Chaldaica, ſed aliis quoque vocibus peregrinis

grinis admixtis, contexta, in qua & iſta leguntur: Μεσσία ὐφαρεγ, vel *Meſſia uphareg*, uti habet vetus interpretatio Latina, quæ *Rhenferdius* in *Opuſculis pag.* 768 ita non ſine veri ſpecie interpretatur, משיחא ופרוקא, *Meſſias redemtor.* Quis non illico perſpiciat, voces has, quas tum ex inſcriptione gemmæ, tum ex formula Marcoſiorum, attuli, parum, aut nihil, inter ſe differre? Sunt nempe deſumtæ ex formula Marcoſiorum, aut generatim Gnoſticorum, ſacra, de qua alio loco plura monebimus. Id iam, opinor, omnes æqui & idonei iudices non difficulter mihi concedent, occurrere hic nomen *Meſſia*. Cum autem & in gemmæ noſtræ, & in aliarum quoque, inſcriptionibus nomen *Abraſax*, vel *Abraxas*, quoque legatur, & cum *Meſſiæ* nomine coniungatur, idque Chriſtianismum nimis aperte redoleat, Patres vero Eccleſiæ, una voce, nomen *Abraxas* Baſilidianis, vel Gnoſticis, tanquam auctoribus ſemper tribuant; non videtur origo eius cuiquam merito amplius dubia eſſe poſſe.

VIII. Pergo iam ad quæſtionem alteram, quæ eſt de vocis *Abraxas* propria & genuina ſignificatione. Ubi in anteceſſum diſpiciendum nobis erit, quidnam ſit, quod per nomen *Abraxas* Baſilidiani, ac Gnoſtici in genere, deſignare voluerunt. Si Patres Eccleſiæ audimus, illi plerumque tradere ſolent, ſingulis cœlis angelos ſuos a *Baſilide* præfectos fuiſſe, horum omnium vero Principem ex eiusdem ſententia eſſe *Abraxan*.

Quod

Quod qua ratione intelligi debeat, mox videbimus. Latet enim hic aliquid veri, quod pii Eccleſiæ priſcæ doctores non ita diſtincte & plene perſpexerunt. Auctor *Appendicis ad Tertulliani librum de Præſcript. haret.* & *Hieronymus*, quorum verba deſcripta ſunt §. *IV*, videntur in ea fuiſſe ſententia, *Abraxan* Baſilidianis ſignificaſſe ſupremum Deum. Et poſſet hoc admitti, dummodo per ſupremum Deum intelligeretur Chriſtus Dominus, Dei filius, idemque verus & æternus Deus. Non nego tamen, Gnoſticos hunc diſtinxiſſe a ſupremo, & inviſibili, & incognito, Deo. *Gothofredus Wendelinus*, quod §. *VII* iam monuimus, auguratur, nomine *Abraxas* Gnoſticos ſubindicaſſe *ſanctæ Trinitatis, & paſſionis in cruce, efficaciam*, qua de re, vellem, vir eruditus mentem ſuam pluribus & luculentius explicuiſſet. Id tamen in eius interpretatione magnopere placet, quod exiſtimaverit, Baſilidianos in nomine *Abraxas* Chriſtum redemtorem, & ſalutaria eius beneficia, venerari voluiſſe, & in eo, ſi quid recte iudico, non procul aberravit a ſcopo. *Chifletius* in *Commentario ad Gemmas Abraxeas pag. 58*, in nomine *Abraxas*, putat, latere Solem ænigmatice adumbratum, cuius ſententiam ſequuntur multi alii, eandemque ornare, novisque rationibus confirmare, aggreſſus eſt acutiſſimus & politiſſimus Autor Hiſtoriæ Manichææ. Et ea digna eſt, quæ nunc diligentius excutiatur.

IX. Scriptores Eccleſiaſtici veteres non

quidem conceptis verbis tradunt, *Abraxan* Baſilidianis deſignaſſe *Solem*; ſed ex iis tamen, quæ dicunt, confici id ipſum facillime poteſt. Rem, quam narrant, aut ſubinnuunt, omnes, qui nugas *Baſilidis* perſequuntur, paucis complectuntur *Auguſtinus*, & Auctor *Prædeſtinati* Sirmondianus, quorum loca exhibui §. *IV.* Poſtremi tamen verba paulo pleniora hic appono: *Baſilides & Baſilidiani 365 cœlos eſſe dicunt, & Deum horum cœlorum Abraſax commemorant. Quod nomen Græca ratio literarum in hanc ſummam ſupputando pertingit.* ΑΒΡΑΣΑΞ — *fiunt in ſumma 365.* Omnium optime & appoſite valde *Hieronymus*, & is iam ſupra ad teſtimonium vocatus, in *Amoſi Cap. III. Baſilides*, inquit, *omnipotentem Deum portentoſo nomine appellat Abraxas, & eundem ſecundum Græcas literas, & annui curſus numerum, dicit, in Solis circulo contineri: quem Ethnici ſub eodem numero aliarum literarum vocant Mithram.* Summa eorum, quæ tradunt optimi Patres, huc redit, *Baſilidem* finxiſſe cœlos 365, ſecundum numerum dierum unius anni, & his cœlis præeſſe Principem, quem appellavit *Abraſax*, ea de cauſa, quod literæ huius nominis Græcæ producant numeros 365. Addit *Ireneus*, ſecundum *Baſilidem* omnibus hiſce cœlis præeſſe quoſdam angelos, quos *Hieronymus* Æonas vocat, omnium vero illorum Principem eſſe *Abraxas*, quod aliis pariter Gnoſticis attribuit *Epiphanius Hæreſ. XXVI §. 9.* Hæreſiarcham hunc cœlos ſibi finxiſſe

365

365, a) ab omni veri ſpecie prorſus alienum eſt. Qui ſententiam adeo inficetam ipſi affinxerunt, mentem eius non pervidiſſe cenſendi merito ſunt. Aut vero dicendum, ipſum nomine cœlorum intellexiſſe *orbes*, *quos motu diurno* per anni ambitum *Sol percurrere videtur*. Ita *Maſſuetus Diſſertatione in Irenæum* prævia I §. 116 *fol. LXI.* Cumque his cœlis *Baſilides* ut Principem præpoſuiſſet *Abraxan* ſuum, quis eſt, qui non intelligat, eo nomine ipſum voluiſſe ſignificare Solem, quatenus motu ſuo diurno, & annuo, annum, per dies 365 diviſum, efficit? Et profecto *Abraxas*, quod mox adſtruemus pluribus, nihil aliud plane, quam 365, ſignificat, id eſt, eum, qui anni per dies 365 diſtributi cauſa eſt. Addit *Hieronymus*, Ethnicos eundem (*Abraxan* nempe Gnoſtico-Chriſtianorum) *ſub eodem numero aliarum literarum vocare Mithram.* Et Perſas quidem Solem coluiſſe ſub nomine *Mithræ*, oppido vulgatum eſt. Græci autem in nomine hoc Perſico, ſed literis Græcis ſic expreſſo ΜΕΙΘΡΑΣ, eundem numerum 365 reperiebant, de quo tamen ipſi Perſæ forte nunquam cogitarunt, neque etiam cogitare potuerunt, quoniam ipſorum Alphabetum

Μ - - -	40
Ε - - - -	5
Ι - - - -	10
Θ - - - -	9
Ρ - - - -	100
Α - - - -	1
Σ - - - -	200
	365

 ab

a) Conferre operæ pretium eſt *l'Hiſtoire de Manichée de Mr. de Beauſobre Tom. II pag. 9.*

ab Alphabeto Græcorum utique vehementer diſtulit. Quod vero *Irenaus* ſcribit, *Baſilidem* cœlis ſuis 365 totidem præfeciſſe angelos, dummodo recte & commode explicetur, verum eſſe poteſt. Ex teſtimonio, tum veterum Eccleſiæ Scriptorum, tum Gemmarum qnoque Abraxearum, ſatis conſtat, plurimam fuiſſe in Theologia Gnoſticorum, ac ſpeciatim *Baſilidis* diſcipulorum, mentionem Angelorum, hoſque ex illorum ſententia pluribus muneribus vacaſſe. Fieri igitur potuit, ut ſingulis anni diebus certi ſui aſſignati & veluti præfecti fuerint angeli. Hoc certe cum Theologia Orientalium, qua Gnoſticos omnes imbutos fuiſſe, eruditi norunt, apprime convenit. Eo putem referendum eſſe, quod de *Orpheo*, diſciplinæ Ægyptiacæ alumno, ſcribit *Lactantius Lib. I Cap. VII*, eum *trecentos ſexaginta quinque* celebraſſe *Deos*. Teſtatur idem hoc *Iuſtinus Martyr de Monarchia Dei*, in *Opp.* edit. Pariſ. *pag. 104*, niſi quod Deos tantum 360 habeat, atque id ætati *Orphei*, qua annus Ægytiorum non niſi dies 360 complectebatur, omnino melius congruit. Forte id quoque de Ægyptiis indicare voluit *Herodotus*, qui *Lib. II Cap. 82* ita ſcribit: *Et hæc Ægyptii invenerunt, cui Deorum unusquisque menſis & dies ſinguli conſecrati eſſent*. Non repugnavero tamen, ſi quis cum eruditorum plerisque hæc de diebus ſeptem hebdomadis, quorum ſuus cuique aſſignatus eſt Planeta, intelligere malit. De Arabibus antiquis

tiquis ſimile quid ex *Al-Iannabio* affert *Poco-ckius Specim. hiſtor. Arab. pag. 98. Erant* (ante ætatem *Muhammedis*) *circa Caabam* (domum ſacram Meccanam) a) *idola ter centum ſexagin-ta — adeo ut Arabibus ſingulis diebus, ſingula, ſi liberet, Numina invocare liceret, aut ſingulos, non ſolum menſium ſuorum, (ut ſolent Perſæ ab Angelis,) ſed totius anni, dies ab idolis denomina-re.* Quoniam in his *Pocockius* mentionem fe-cit ſingulorum dierum, per menſes omnes, adeoque annum quoque totum, ab angelis de-nominatorum, quod ad negotium hoc noſtrum maxime ſpectat, verbo tantum monebo, qu d & præſtantiſſimus Hiſtoriæ Manichææ Autor iam notavit *Tom. II pag. 9*, pluribus rem hanc & accurate perſequi *Thomam Hydium de religi-one veterum Perſarum Cap. XV, XIX, XX.* Poſ-ſent plura etiam rei huius veſtigia ex veterum ſcriptis erui, ſed poſſumus iis, quæ dedi, nunc eſſe contenti.

X. Eſt igitur Gnoſticorum *Abraxas*, ipſis adeo ſanctus & venerabilis, re ipſa Sol cœleſtis, quatenus motu ſuo tum anniverſario, tum di-urno, dies 365 efficit, adeoque anni cauſa ef-ficiens eſt. Sed an credibile eſt, homines, ver-bo Dei fidem habentes, & in Chriſtum, ut Meſſiam & Redemtorem ſuum, credentes, (vid. §. *VII*,) una cum eo, aut cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto, etiam Solem materialem cultu-

a) Vide & *la vie de Mahomet, par Mr.* Gagnier, Tom. II pag. 127.

ros & adoraturos fuiſſe? Id me doctrina horum hominum, ex monumentis ſinceris hauſta, & in toto ſuo ambitu conſiderata, credere prorſus vetat. Recte vetuſti Eccleſiæ noſtræ doctores memoriæ prodiderunt, nomen *Abraxas*, antea incognitum, a Baſilidiano-Gnoſticis confictum eſſe, eoque ſubinnui curſum Solis annuum, ſpatio dierum 365 peractum; ſed pii hi & optimi viri in ſolo cortice doctrinæ Baſilidianorum nobis ſubindicando ſubſtiterunt. Erat enim ipſis negotium cum hominibus, quibus id inprimis curæ cordique erat, ut præcipua doctrinæ ſuæ capita ſollicite occultarent, ac involucris emblematum & allegoriarum pro virili obtegerent. Ideo hanc veluti primam regulam gregi ſuo enixe commendatam cupiebant: *Tu omnes cognoſce, te autem nemo cognoſcat*, teſtibus *Irenæo Lib. I Cap. XXIV §. VI*, & *Epiphanio Hæreſ. XXIV num. 5.* Neque nobis etiam forte ultra corticem progredi liceret, niſi præſto eſſent avthentica fidei horum hominum monumenta, Gemmæ, quæ ſic dicuntur, *Abraxeæ*, ab ipſis Baſilidianis & Gnoſticis profectæ, ænigmaticæ quidem & vehementer obſcuræ, qualia fuiſſe ipſorum myſteria, teſtantur veteres; ſed quæ tamen, adhibito labore debito & ſtudio, aliquatenus intelligi poſſunt. Ex harum attenta inſpectione & meditatione *Gothofredus Wendelinus* iam obſervavit, nomen *Abraxas* ad Chriſtum Dominum referendum eſſe, quando illud interpretatus eſt *S. Trinitatis &*

paſſionis

paſſionis in cruce efficaciam. Vide §. *VII*. Ego vero, poſtquam Gemmas easdem ſcrupuloſa diligentia undecunque excuſſi, aliter ſtatuere non potui, quam *Abraxas* fuiſſe in ſecta Gnoſticorum nomen Chriſti Jeſu, Domini & Redemtoris noſtri, ſymbolicum & emblematicum. Hinc vidimus §. *VII*, in Inſcriptione haud dubie Gnoſtica, *lin.* 2. & 3, ſic duo hæc nomina, *Meſſiam Abraſax*, coniungi, ut manifeſto appareat, intelligi non niſi perſonam unicam. In iisdem porro Gemmis ſæpiuſcule nomen hoc *Abraxas*, vel *Abraſax*, coniungitur etiam cum nominibus *Jeſu Chriſti*, cum nominibus *Jao*, & AO, de quo poſtremo §. *VII*, & aliis præterea huius generis pluribus, quæ ſectæ illius homines Servatori noſtro tribuere conſueverant, de quibus omnibus aliquando prolixius ad ipſas has Gemmas agemus. Nempe in ſymbolica denominatione & repræſentatione ſui *Abraxas* Gnoſtici venerari voluerunt Chriſtum Dominum, ut c) *Solem iuſtitiæ*, d) *orientem ex alto*, e) *lucem veram mundi*, f) *quæ illuminat omnem hominem, venientem in mundum*, qui, ex cœlo ortus, auſpicatus eſt g) *annum acceptum Domini*. Hoc verum eſt myſterium, quod in nomine *Abraxas* latet. Poſſunt ea, quæ hic diſputavi, non

c) *Malach. IV*, 2.
d) *Luc. I*, 78.
e) *Io. VIII*, 12, *IX*, 5.
f) *Io. I*, 9.
g) *Ieſ. LXI*, 2.

mediocriter illuſtrari ex Gemma *Chifletiana* XXXIII, in cuius altero latere figura ſe offert non honeſtiſſima, ſed moribus gentis Ægyptiacæ plane attemperata, & quæ illic neminem offendebat. In altero latere Inſcriptio, ex vocibus Ægyptiacis & Hebraicis compoſita, cuius poſtrema pars ita habet:

ΦΡΙΜΝΤ
ϾΜϾϹΙΕ
ΜΕΘΙ.

Si in prima linea, pro eo, quod editum eſt, liceret legere ΦΡΗΝΤ: quales emendationes in Inſcriptionibus minus correcte editis ſæpe neceſſariæ ſunt, & præſertim in Abraxeis, ubi tamen ſphalmata nonunquam ſtudio affectato admiſſa videntur; tum, nullo prorſus apice immutato, verba hæc id ſonabunt: *O Sol veritatis*, (vel *qui es verus Sol,*) *prodi in medium.* Eſt hæc precatio quædam ad Solem myſticum. In Gemma vero XXXVIII legitur in latere averſo alia Inſcriptio, qua Sol videtur ad hanc precationem reſpondere:

CE
MEC
ΕΙΛΑ
ΜΥ.

Nam id verba ſignificant: *Ego Sol illuceo*, vel *illuceſcam.*

XI. Hæc, quam nunc dedi, eſt ſymbolica & emblematica nominis *Abraxas* interpretatio. Reſtat autem, ut de literali quoque paucis agam.

Salmaſius,

Salmaſius, vocem iſthanc ex lingua Ægyptiaca formatam eſſe, autumavit. *Ægyptiacum nomen eſſe, alibi oſtendam*, inquit *de Annis climact. pag. 572.* Verum haudquaquam miror, virum prodigioſe doctum hoc nunquam oſtendiſſe. Nam *Abraxas* profecto nihil Ægyptium ſonat. Ultima vocis huius litera ξ, nunquam Ægypriis propria, ſed a Græcis poſt regum *Ptolemæorum* tempora, & poſt admiſſa Chriſtianorum ſacra, invecta, & ſic ab incolis Ægypti adoptata fuit. Sed uſus illius eſt tantum in vocibus Græcis, Ægyptiacæ linguæ admixtis. Magnus *Scaliger*, cum Gemmarum Abraxearum collectiones locupletes nondum proſtarent, viſa una tantum & altera, vocem *Abraxas* h) ex lingua Hebraica explicare conatus eſt. Sed, quoniam aut Gemmæ, quas ſubinnuit *Scaliger*, vitioſe ſculptæ erant, aut non recte ex mente Gnoſticorum lectæ, ad quod ſane exercitio & experientia opus eſt, illa vocis depravatæ ex Hebraico interpretatio ſuccedere utique non potuit, eamque *Salmaſius* non immerito repudiavit *loc. cit.* Aliter rem aggreſſus eſt *Gothofredus Wendelinus*, nobis ſupra aliquoties, nec ſine laude, commemoratus. Is enim in Epiſtola ad *Chifletium*, quæ huius Commentario in Gemmas *Abraxeas* inſerta eſt, *pag.* 112 &c. hariolatur, nomen *Abraxas*, ex Hebraico partim, partim

F 5 tim

h) In *Epiſtolis*, ſubiunctis editioni *Opuſculorum Scaligeri*, a *Caſaubono* A. 1610 Pariſiis procuratæ, *pag.* 569, 571, 572.

tim ex Græco, ſermone conflatum, literas continere, quæ totidem vocum integrarum initiales cenſendæ ſint, idque hunc in modum:

A	אב	Ab	*Pater*
B	בן	Ben	*Filius*
R	רוח	Ruach	*Spiritus*
A	הקדש	Acados	*Sanctus*
S	Σωτηρία	Soteria	*Salus*
A	Ἀπὸ	Apo	*A beneficio*
Ξ	Ξύλα	Xylu	*Ligni*

Non deſunt inter eruditos alii, qui ſimiles explicationes nobis obtulerint. Et mihi quoque una atque altera nominis huius ex idiomate Hebraico interpretatio olim in mentem venit. Sed diſſimulare tamen non poſſum, me, poſtquam omnia ſtudio expendi, huiusmodi interpretationibus plane nihil tribuere. *Baſilidem*, primum nominis illius architectum, & diſcipulos eius, nihil tale ſomniaſſe, mihi quidem certum atque exploratum eſt. Haud ita pridem vero ingenioſus Scriptor Hiſtoriæ Manichææ novam eiuſdem nominis ex Græco explicationem eruditis propoſuit i). Exiſtimat nempe, *Abraſax* compoſitum eſſe ex ἁϐρὸς, quod *magnificum* interpretatur, & σάω, *ſervo*, unde Ἀϐρασὰξ ipſi exponi poſſe videtur *magnificus Servator*. Non diffiteor, novam hanc nominis *Abraſax* interpretationem difficultates mihi obiicere plures, easque non leves. Sed unius nunc tantum mentionem faciam, quæ ſimul

i) *Hiſt. de Manichée, Tom. II pag. 55, 56.*

mul manifeſtum faciet, nullas iſtius generis originationes, ſive ſint Hebraicæ, ſive Ægyptiacæ, ſive, denique Græcæ, locum hic habere, & a nobis admitti, poſſe.

XII. Eſt nempe vox *Abraxas*, ſive *Abraſax*, nam hoc perinde eſt, non ex aliis vocibus, aut vocum radicibus, ſive ſint Ægyptiæ, ſive Hebraicæ, ſive denique Græcæ, analogice derivata, formata, & compoſita, ſed mere artificialis, quæ, ſi ad ſyllabarum ſonum & ordinem attendas, nihil omnino ſignificat, & in qua ſolus literarum, ex quibus conſtat, valor numericus ſpectatur. *Abraxas*, vel *Abraſax*, nihil aliud ſignificare aptum natum eſt, quam 365. Hoc vel ex eo invicte colligitur, quod eadem vox modo *Abraxas*, modo vero *Abraſax*, efferatur. Quia eædem ſemper manent literæ, adeoque idem ſemper earum valor numericus exit, talis literarum permutatio, ſi vel eſſet adhuc notabilior, rei detrimentum nullum affert. Illa ſemper eadem manet. Sed id locum non haberet, ſi vox eadem ex aliis vocibus analogice derivata, & regulariter formata eſſet. Si v. g. nomen hoc ſemper ἀβρασὰξ efferretur, poſſet etymologiæ illi, quam §. XI ultimo loco attuli, aliquis color induci. At qua ratione dici poterit, Ἀβραξὰς compoſitum eſſe ex ἁβρὰς & σάω. Non equidem ſum neſcius, *Baronium* in Appendice ad *Tomum II Annalium*, & *Salmaſium de Ann. climact. pag. 571*, ſcriptionem nominis huius *Abraſax* præferre,

repu-

repudiata altera illa *Abraxas*. Cuius rei nullam aliam fuiſſe cauſam reor, quam quod Viri hi celeberrimi copioſas illas Gemmarum Abraxearum collectiones, quæ nunc editæ ſunt, oculis ſuis ſubiicere non potuerint. Ex illis enim confeſtim intellecturi fuiſſent, vocem hanc promiſcue, modo *Abraſax*, modo etiam *Abraxas*, idque ſæpiſſime, ſcribi. Ipſe duas huiusmodi Gemmas præ manibus habeo, in quarum altera, ABPACAΞ, in altera vero ABPAΞAC, diſtincte & ſatis nitide ſculptum legitur. Et Cardinalis *Baronius* quoque *ad An. Chriſti CXX num.* X Gemmam ex Amethyſto Romæ effoſſam profert, ubi in una linea & Ἀβραξὰς & Ἀβρασὰξ legitur, argumento invicto, nominis huius architectis perinde utique fuiſſe, ſive hoc, ſive illo modo, vox ſcriberetur. Quando *Salmaſius* porro contendit, *Latinos Auctores Abraxan cum vitio vocaſſe*, *ſed Græcos* Ἀβρασὰξ, & in eo fallitur. Illa enim veterum loca, quæ ſupra §. *III*, *IV*, congeſſi, ne de aliis dicam, quæ prætermiſſa ſunt, palam faciunt, tam Græcos, quam Latinos, vocem hanc nunc *Abraxas*, nunc *Abraſax*, pronuntiaſſe. Ex Græcis *Irenæus* habet Ἀβραξὰς, *Epiphanius* vero & *Theodoretus* Ἀβρασάξ. Ex Latinis vero Autor, qui *Tertulliani de Præſcriptione hæreticorum* libro adiungitur, uti & *Auguſtinus* & *Hieronymus*, ſcribere ſolent *Abraxan*; ſed Autor *Prædeſtinati* poſuit *Abraſax*. Uno verbo, utravis pronuntiatio recte ſe habet, eodem redit, & a veteribus promiſcue adhibe-

adhibetur. Quod vero *Salmaſius* præterea *pag.* *572* addit, Ἀβραξὰς *eſſe græcanicæ terminationis*, ſed Ἀβρασὰξ *Ægyptiacæ*, precario & ſine ulla ratione aſſeritur. Nec hæc, nec illa, vox eſt ſermonis Ægyptiorum genuini, nihilque ipſis utraque ſignificat.

XIII. Non mediocriter ea, quæ nunc adſtruxi, vocem Ἀβρασὰξ eſſe tantum artificialem, non analogice formatam, ex eo confirmantur, quod præſtantiſſimi veteris Eccleſiæ Scriptores, qui omnium primi nominis huius notitiam ad nos transmiſerunt, quoties de eo loquuntur, non obſcure ſubinnuant, nihil in eo niſi valorem numericum ſpectandum eſſe. Scimus, ipſis ſolenne fuiſſe, ut, quando nomina barbarica, in ſectis Gnoſticorum uſu diuturno recepta, qualia ſunt *Achamoth*, *Prunicos*, *Barbelo*, *Caulacau*, & his conſimilia alia, commemorant, etiam ſubinde eadem interpretari & explicare ſoleant. Non negaverim, eorum interpretationes eruditis noſtris ſæpius videri parum commodas, & ieiunas; ſed id ſibi tamen negotii datum eſſe putant, ut voces tales qualitercunque interpretentur. At non reperias, eos nomen *Abraxas* unquam etymologice interpretari; monent potius, tantum non ſemper, quoties eo delabuntur, literis his ſubeſſe numerum 365. Videri eam in rem poſſunt loca *Auguſtini*, *Prædeſtinati*, & *Hieronymi*, adducta §. *IV*, quibus conſentanea fere ſcribunt reliqui

reliqui omnes. Et vere dici poteſt, fuiſſe hanc communem veterum omnium ſententiam, quam etiam res ipſa evidenter confirmat, uti id ex adſcriptis in margine ſatis intelligi poteſt.

α	1
β	2
ρ	100
α	1
σ	200
α	1
ξ	60
	365

XIV. Novum illius rei, quam adſtruxi, argumentum nobis ſubminiſtrant Gemmæ Baſilidianorum Abraxeæ, in quibus non infrequenter literæ hæ leguntur τξέ, quæ conficiunt pariter numeros 365. Agnovit illas *Gothofredus Wendelinus*, vir excellentis ingenii, & iudicio acer, in Gemma *Chifletiana* LXIX. Illic in altero latere conſpicitur ſerpens in ſe ipſum revolutus, id eſt, ore caudam apprehendens, in cuius medio hos expreſſos videas characteres ZΞE, & de illis ita iudicat *Wendelinus* apud *Chifletium* in Commentario *pag. 112, quod non aliæ ſint* literæ, *quam* TΞE, *numerum exhibentes 365 dierum in anno.* Rectiſſime omnino, neque hic diſſentiente celeberrimo Autore *Hiſtoriæ Manichea Tom. II pag. 56.* Hoc *Wendelinum* docuit induſtria Gemmarum illarum inveſtigatio. Easdem literas, ſi occaſio tuliſſet, profecto etiam deprehendiſſet in antecedente Gemma LXVIII, & in multo pluribus aliis, ubi eas tamen non facile agnoſcet, niſi qui legendis Gemmis his iam aſſuevit, & in ſenſu earum eruendo operam

non

non perſunctoriam collocavit. Reliqua in eodem circulo non æque feliciter expedire potuit vir doctus, qua de re nos alio loco plura. *Wendelinum* ceteroquin literas has τξὲ, pro eo, quo valebat, acumine, recte perſpexiſſe, & vere interpretatum eſſe, docet etiam ſerpens in ſe revolutus, qui eas ambit, & in ſe complectitur. Gnoſtici, quorum plerique & præcipui a medio circiter Seculo II inter Ægyptios vixere, ex eorum ſacris ſymbolum hoc in ſuam Theologiam ſymbolicam transtulerunt. Symboli illius ſignificationem ſuppeditat nobis k) *Servius* ad *Virgilii Æn. V*, 84: *Annus, ſecundum Ægyptios, indicabatur ante inventas literas picto dracone caudam ſuam mordente.* Serpens igitur, quem hic cernimus, ſymbolum eſt anni. Et id ipſum luculentius adhuc declarant literæ inſculptæ τξὲ. Quæro iam, quid literæ hæ, in Gemmis Abraxeis ſæpius viſendæ, ſubinnuant. An non, cum Ἀβραξὰς toties in eisdem offendatur, cum unanimi Patrum Eccleſiaſticorum teſtimonio conſtet, & res ipſa id clare loquatur, nomen hoc valere 365, & idem plane ſignificent literæ τξὲ, an non exiſtimare proclive eſt, Gnoſticos per vocem Ἀβραμσαξ, & per literas τξὲ, quæ re ipſa idem valent, rem quoque unam tantum eandemque deſignare voluiſſe? ΤΞΕ igitur Gnoſticis id ipſum deſignavit, quod Ἀβραξάς.

XV. Oſtendi ſupra §. *X*, Baſilidianos nomine

k) Alia vide apud *Scaligerum de emend. temp. pag.* 194, 195.

ne *Abraxas* deſignare voluiſſe Chriſtum Dominum, nomen vero hoc rite exploratum nihil aliud ſubinnuere, qaam Solem, cauſam anni per dies 365 diviſi, aut annum diebus 365 conſtantem. Non abs re erit adhuc, in rationem inquirere, ob quam Gnoſtici tale nomen Chriſto, Filio Dei, & Redemtori hominum, proprium eſſe voluerint. Certum mihi eſt, atque indubium, Gnoſticos, quando Redemtorem noſtrum emblematice vocarunt *Abraxas*, in animo habuiſſe propheticas quasdam Vet. Teſtamenti de Meſſia prædictiones, quas in Jeſu noſtro impletas fuiſſe, Evangelium docet. Inter has eſt illa, quæ apud *Malachiam* legitur *Cap. IV*, 2, in Græca verſione, qua utebantur potiſſimum Gnoſtici, ita ſonans: Ἀνατελεῖ ὑμῖν τοῖς φοβουμένοις τὸ ὄνομά μου ἥλιος δικαιοσύνης, καὶ ἴασις ἐν ταῖς πτέρυξιν αὐτοῦ. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & Sanitas in alis eius*, ad quod vaticinium reſpicit etiam Gemma, quam exhibui §. X. Cum hac *Malachiæ* prædictione iungebant illam, qua *Jeſaias* populo Dei vaticinatur *Cap. LXI*, 2. Meſſiam illis annuntiaturum eſſe ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτικόν, *gratum acceptumque annum Domini*, quod vaticinium Meſſias ipſe, ſub initia muneris ſui in terra publici, in ſe iam completum eſſe, omnibus declaravit *Luc. IV*, 17—21. Promiſit itaque Deus timentibus nomen ſuum, ceu veram iuſtitiæ ſolem, annum lætitiæ, iucunditatis, & ſalutis, in terra non modo pro-

mulgatu-

mulgaturum, ſed etiam re ipſa auſpicaturum eſſe. Vetuſtiores trium primorum Seculorum doctores *annum* hunc *acceptum*, vel *complacentia divina*, nimis ſtricte interpretantur de tempore miniſterii publici, a Chriſto Domino in terra peracti, quod nimium anguſtis unius tantum anni limitibus circumſcribunt. Ita l) *Clemens Alexandr. Stromat. Lib. I pag. 340*: *Et quod anno ſolo* Chriſtum *oporteret prædicare, hoc quoque ſic ſcriptum eſt: Annum acceptabilem Domini prædicatum miſit me. Hoc & Propheta dixit & Evangelium.* Vide & eundem *Lib. V pag. 564*, quem locum mox huc transſcribam. Neque aliter Valentinianos Gnoſticos illud Prophetæ vaticinium explicuiſſe, ex hiſce *Irenæi Lib. I Cap. III §. 3* diſcimus: *Chriſtus ſecundum Valentinianos duodecimo menſe paſſus eſt. Eum duntaxat unum a baptiſmo annum prædicationis munus obiiſſe volunt.* Vero perquam ſimile eſt, ita cenſuiſſe Gnoſticos omnes; nam, myſteria in eo quæſiviſſe, docet *Irenæus*, & ab iis hæc, uti alia quoque, in Ægypto potuerunt accipere *Clemens Alexandrinus*, & *Origenes*. Hunc igitur *annum Domini acceptum*, ut fontem cognitionis Dei ſalutaris, ac beatitudinis omnis, quæ in Eccleſiam N. Teſtamenti redundat,

l) Eadem legas apud *Origenem Lib. IV* περὶ ἀρχῶν *Cap. I*, & *Tertullianum adv. Judæos Cap. VIII pag. 215* edit. *Rigalt.*

Benevolo Lectori!

Tuo iudicio plane ſubmitto Specimen primum Gloſſarii Harmonici Græco-Phœnicii, aut, ſi mavis, Græco-Arabici, aut Hebræi. Priori nomine uſus ſum, quod generale eſſe videtur, diverſas Orientis dialectos ſub ſe comprehendens. Omnem vero iudicii vim adhibeas, oro quæſoque, & tum demum definias, num illi recte viderint, qui longe ante me & mecum, integram Græcam linguam in Orientalibus contineri, ſibi perſuaſerunt, quorum Catalogum exhibuit B. Wolfius in Bibliis Ebræis. Dicas, velim, ingenue, num in tanta vocum convenientia materiali & formali caſus aliquis fortuitus, fortuita quædam adliteratio, locum habere queat. Aut nonne potius multitudo vocum harmonicarum vel invitiſſimum adiget, ut in ſententiam eorum diſcedat, qui linguarum Europæarum origines in Orientalibus quærunt. Hanc, *inquit veriſſime eruditiſſ. Wachterus in Præf. Gloſſ. §. 18,* utriusque linguæ harmoniam, (*loquitur de harmonia Germanicæ cum Scythica & Perſica;*) quæ omnibus temporibus doctiſſimos viros in ſtuporem rapuit, ſi quis caſu factam contendet, næ ille parum harmonice factus eſt. *In præſenti tamen mihi perinde*

inde erit, ſive Occidentales linguas ex Orientalibus, ſive has ex illis, cum Goropio Becano derives. Satis mihi nunc erit, ſi harmoniam, quod ad maximam partem attinet, ſi mutui ſubſidii in explicandis vocibus neceſſitatem, demonſtravero. Primum hocce ſpecimen plura inſequentur, tum ex Græca, tum ex Germanica & Anglica, petita, dummodo Deus vitam & horulas nonnullas ſucciſivas ſuppeditaverit, nec tibi, L. B. ſcopus & modus tractandi plane diſplicuerit. Etenim, memet in ingratum ſtudiorum genus, quod mihi ipſi olim faſtidio fuit, qua ratione, amplius fere ipſe neſcio, delatum eſſe, probe intelligo; attamen & rei utilitas & veritatum maximarum, inde pendentium, momentà, nec non amicorum ſtimuli, memet in opere ſuſcepto adhuc detinuerunt. Ceterum ea tantum usque hunc laborem continuabo, quo uſque eum ad propoſitam demonſtrationem, linguas nimirum Europæas, Græcam inprimis & Germanicam, veluti matres reliquarum, Sarmatica, ſeu Sclavonica, excepta, utpote quæ mihi plane ignota, in Orientalibus contineri, neceſſarium exiſtimavero. Errores ac hallucinationes, quæ forte irrepſerunt in hoc ſpecimen, benevole excuſes, rogo. Labor hicce illius eſt indolis, ut prima ſpecimina ab hallucinationibus

ſere nequeant eſſe immunia. Accedit, quod mihi per labores alios haud liceat in omnium linguarum adyta penetrare. Exempla denique vocum harmonicarum, in hoc ſpecimine allata, ita ſunt fere ad unum comparata, ut ſine regularum etymologicarum ſubſidio plurima queant dijudicari. Animus his præparatus facilius admittet, quæ operoſioris ſunt indagationis, & quæ longius nonnunquam repetenda. Coniecturas rarius interſperſas haud in malam vertes partem, ſiquidem illis in explicandis vocibus antiquiſſimis carere haud poſſumus. Ecquis enim certo definire poterit, quid nomini Aſiæ, Europæ, Africæ, ſubfuerit? Illa itaque coniectura rem proxime tetigiſſe cenſenda, quæ rationibus maxime probabilibus eſt ſuffulta. Aliorum laboribus ac luminibus nunquam fere in hoc ſpecmine uſus ſum, immo vel illos conſulere fere piguit. Meis oculis cuncta uſurpare atque dijudicare, ſatius eſſe duxi. Fraudi ſane non erit hiſce diſquiſitionibus, ſi peritiorum ſuffragiis confirmatæ deprehendentur. Nec refellendis aliorum coniecturis etymologicis hoc ſpecimen deſtinavi. Iniquum foret, in eiusmodi literarum ſtudiis, tot difficultatibus adhuc circumſeptis, alios culpare!

Linguæ, ex quibus mea depromſi, ſunt

Ebræa,

Ebræa, Chaldæa, Syra, Arabica, Perſica, Samaritana, & Æthiopica. Optarem, ut Armenica, cujus ne characteres quidem novi, ſimili ratione conſuleretur. Certus ſum, multas voces in ea obvias futuras, quæ ex ante memoratis eruderare plane nequivi. Quod in linguis Celtico-Germanicis, idem in illis, eveniſſe certum eſt. Conſervavit e. g. Islandica voces, quæ in reliquis omnibus nunc exulant. Americana inprimis, ſeu vetus Britannica, quæ vel ſono ſtatim affinitatem linguarum Germanicarum prodit, maximam exhibet vocum copiam, quæ Germanice quidem ſonant, de cetero autem nobis plane ſunt peregrinæ ac inauditæ. Et, ſi ab Arabica diſceſſeris, quantillum, quæſo, eſt, quod de Æthiopica nobis innotuit? Quot radices antiquiſſimæ hujus & per tot terrarum ſpatia hodienum uſitatæ linguæ, cui unus non ſufficit Ludolfus, abditæ adhuc jacent? De Perſica ac Parthica, illiusque filiabus, idem eſt judicandum. Celeberrimus atque eruditiſſimus Schulzius, Evangelii olim apud Indos præco fidiſſimus, nunc Halæ vivens, & in transferendis in Indicas linguas Bibliis, typisque exſcribendis, occupatus, in Grammatica ſua Hindoſtanica plures voces pure Germanicas, in lingua Hindoſtanica obvias, obſervavit.

vit. Ecquis autem ſcit, per quæ immenſa Aſiæ ſpatia lingua Phœnicia ſit diſſeminata, & quot ejus fortaſſis adhuc exſtent dialecti, a nobis ignoratæ? Vale, L. B. & ſevere cenſe ac judica, æquitatis tamen lege ſervata, & partium ſtudio præjudicatisque opinionibus ſepoſitis. Æquo monitori non ero aſper.

GLOSSARII HARMONICI GRAECO-PHOENICII

SECTIO I,

EXHIBENS VOCES, QUARUM CONVENIENTIA MATERIALIS ET FORMALIS CUM ORIENTALIBUS EST MANIFESTA ET CERTA.

Alpha. 1) Nomen primæ literæ. Orientalibus *eliph*, *eleph*, *olaf*, &c. 2) principium. Ἄλφω, ἀλφάνω, ἀλφάζω, ἀλφέω, invenio, excogito. Ἀλφηστής, inventor, excogitator, qui ſcientias invenerunt.

Ineſt notio excogitandi, inveniendi, & eruendi. Et ſic convenit verb. Ebr. Chald. Syr. *alaph*, אלף, ſtuduit, didicit, docuit, inſtruxit. *Alluf*, doctor, præceptor, dux. *Ulphan*, doctrina, inſtructio. In Arabica eſt a verbo *alafa*, h. e. aſſuevit, copulavit, convinxit, iunxit duas res, collegit in unum, compoſuit uti librum, &c. Subſtantivum *muwaliſon*, compoſitor & auctor libri. *Taliſon* compoſi-

compoſitio ut libri, *σύνταξις*. Qui vult res novas invenire & excogitare, illum alias jungere oportet. Sed non opus eſt hac ſimilitudine; etenim verbum cognatum Arab. *Lafa* (*lam, fe, elif,*) ſignificat *invenit*, aſſecutus eſt, aſſequi ſtuduit. *Caſt. pag.* 1953. Ceterum Germanicum *Alfanz* convenit cum Græco, hodie pro ſtulto, olim generatim pro callido, vafro, callide rem ſuſcipiente, &c. adhibebatur. Conf. *Friſch Lexic. Etymol. Lingua Germanic. pag.* 17.

Ἄβαξ. Lat. Abacus, tabula mathematica, aleatoria, item caniſtrum.

Habent Rabbini *abak*. Vid. *Caſt.* adverb. *abak* אבק.

Ἀβροτέω, pecco, noctu occurro. Ἀβροτίνη, peccatum. Ἀβροτάζω, aberro a via. Ἀμβρότω, aberro. Manifeſte ab Ebr. Chald. Syr. & Arab. *Abar*, עבר, tranſiit, transgreſſus eſt, prævaricatus eſt, violavit fœdus. *Abirah*, transgreſſio, iniquitas, peccatum.

Hebræis *abar*, ſeu *ebaer*; tranſitus, latus, item trans, ultra, cis, citra. Hinc Germanorum *über*, aut, ſecundum dialectum Saxonicam infer. *abær*, *benæber*, h. e. *hinüber*, &c.

Ἀγαθός, bonus, probus, utilis. Convenientia cum voce Germanica *Guth* eſt manifeſta. Utraque deſc. ab Arab. גאד, *gaada*, h. e. liberalis fuit & *benefecit opibus ſuis*. *Bonus & egregius fuit*. Arabes inde formant ſequen-

G 5

m) In Coniug. IV adſciſcit *Elif* in initio, unde *alafa*, *alfa*, quod ipſiſſimum Græcum.

quentia: *goudon*, *guwadon*, *gewoudon*, *gaudaton*, & *guwdahton*. *Goudon*, bonitas. *Gajidon*, bonus, præſtans ingenio. *Gijadu* & *agwadu*, optimus.

Gawadon, plur. *guwdon* & *guwudon*, item *guwadaon*, *agwadon*, & *agawidon*, beneficus, liberalis. *Caſt.* ad ע. גוד. En itaque originem *a* initialis in Græco. Ex *agawidon* ſine coactione *agadon*, aut *agathon*.

Patet ex his ſimul, Saxones inferiores una cum Anglis recte producere monoſyllabam vocem *guth*, & literam *h*, velut indicium vocis producendæ, recte in fine adjici. Id ſane origini eſt conforme. Hinc quoque Angli duplex *o* adhibent, ſcribuntque rectiſſime *good*. Dialectus Saxoniæ ſuperioris, vocem *gut* corripiens, nimis recedit ab origine. Hinc patet verus ſignificatus nominis *Gott*. Ita dictus, tam quod ſua natura egregius & præſtantiſſimus, quam quod opibus ſuis bene nobis faciat, & liberaliſſimus ſit. Interim non ſilenda alia etymologia nominis *Gott*, & quidem Perſica. His *Chud*, ſeu *Chod*, חוד, ille, ipſe, ſui, ſuus, ſibi, ſe. *Chod bin*, φιλαυτός, ſe ipſum ſolumque videns, ſibi placens. *Choddar*, qui ſua ſorte contentus eſt. *Chodraj*, ſui conſilii homo, phantaſticus. *Chodrew etru*, per ſe natura ſua pulcher, proprio ornatu elegans. *Men. Theſaur. pag.* 1966. Huic additur in fine Elif, quod annexum nomini ſignificat *veniens*, ac efficit compoſitum, ut

Chuda,

Chuda, חודא, *Deus*, dicitur eſſe pro חודא, *Choda*, h. e. ex ipſo veniens, nempe a nullo factus, aut proveniens. *Men. Theſ. pag. 2.*

Verbum Arab. habet adhuc aliam notionem, quam Latini ſoli retinuiſſe videntur. Eſt is, multa ac copioſa fuit pluvia, rigavit terram largiter, &c. Hinc Latinorum *Gutta*, h. e. id, quod terram rigat.

Ἀγάλλω, orno, exorno, ἀγάλλομαι, glorior, orno me, &c. Huc refer etiam ἀγλαὸς, ſplendidus, fulgens, ἀγλαΐα, ſplendor, &c. Samaritani & Arabes exhibent originem גלל *Galla*, magnus & illuſtris fuit, eminuitque dignitate & majeſtate, magnificavit, magnum & illuſtrem habuit, majorem dignioremque ſe geſſit.

Galalon, magnitudo ac honor Dei, nobilitas. *Galilon* & *gulalon*, plur. *agillaon*, magnus, illuſtris. *Agallu*, & Poetæ inprimis *aglalon*, major, dignior, locupletior.

Num nomen *Gallorum* inde ſit, alibi diſquiram. Id potius a verbo *galah* (gimel, lamed, he,) h. e. migravit, ſponte migravit & abductus eſt. Idem tamen verbum in Chald. ſignificat quoque *ſplenduit*. Nec omittendum verbum Ar. *gala*, גלי, clarus fuit, nitidum clarumque reddidit, manifeſtavit ſe, rem detexit; item exceſſit patria, migravit, & exulavit. Unde *Galaon*, res clara, item migratio, exilium. *Aglaj*, ſplendidior, illuſtrior, &c. Optime a verbo *gala*, גול, *gaulon*, *gowlon*, oberravit

vit valde per regionem, obivitque, circumivit. Conſpirat nomen Gallicum *Gaulois*.

Hinc etiam vox Hiſpan. Ital. *Gala*, qua Galli, Germani, aliæque nationes, etiam utuntur. *Galla*-Kleider, in *Galla* ſeyn, h. e. veſtibus ſplendidis comparere in aula. Hinc quoque voces *Galant*, *Galan*; &c Num Germanicum *Gold* inde ſit, non decidam. Forte a ſplendore, ut Latinum aurum ab אור, or, aur, lucidus fuit, ſplenduit. Sed hæc in transcurſu.

Ἀγαλλιάω, exulto, geſtio. Ebr. גול, *gul*, exultavit, exiliit, gaudii ergo, *gil*, exultatio. Idem verbum in Arab. format *agwalon*, pulvis agitatus.

Ἀγανακτέω, doleo, indignor. Ἀγανάκτησις, dolor, indignatio, &c.

In Chaldaica & Syriaca dialecto vox ſolum ſuperſtes eſſe videtur. Verb. Chald. *ganach*, גנח, ululavit, lamentatus eſt cum ejulatu, ſuſpiravit, ejulavit, commotus, compunctus eſt, item tuſſivit, exſcreavit cum vi & tuſſi. *Genicha*, *ginnücha*, it. *genichut*, lamentatio, ejulatus, ſuſpirium, item tuſſis, aſthma. At vero adeſt quoque in Arab. verbum *hhanika*, indignatus & ira percitus fuit. חנק, *hhanakon*, ira vehemens, indignatio, cum quis ringitur, & furibunde. *Hhannikon*, ira percitus, indignabundus, crudeliſſimus. Alpha initiale, ut in ἀγαθὸς & ἀγάλλω, adjectum.

Ἀγαπάω, amo, diligo. Ἀγάπη, amor, &c.

Ebr.

Ebr. *agab*, עגב, adamavit, amaſium egit. Arab. miratus, admiratione ductus fuit; placuit; jucundus fuit; lætatus fuit; adamavit. *Agabu*, amor, admiratio ſui ipſius. *Ogabon*, mirum, portentoſiſſimum; *aguwbabton*, miraculum; *mugibon*, ſibi ipſi placens, admirator, oſtentator; *mugabon*, admirabilis, glorioſus. *taaggubon*, admiratio, &c.

Ἄγγαροι, tabellarii, ἀγγαρεία, ſervitus tabellarii, ἀγγαρεύω, ad iſtud miniſterium cogo, & generatim cogo. &c.

Vox pro Perſica ab Etymologiſtis venditatur. Eſt omnino Orientalis.

α) Ebr. אגר.

Agar, collegit, congregavit, congeſſit, comportavit. Hinc 1) ἀγείρω, colligo, congrego. Ἀγερμός, ἄγερσις, congregatio.

2) ἄγυρις, cœtus, multitudo collecta. Ἀγυρέω, congrego. Ἀγύρτης, congregator, circulator.

b) Idem verbum in Chald. Samar. Syr. Arab. ſignificat mercede conduxit, mercedem rependit, mercede, pretio, locavit, mercenarius factus eſt. *Agar*, *agra*, merces, *agir*, *agira*, mercede conductus. Hinc ἀγορά, forum, concio. Ἀγοράζω, emo in foro, &c. ἀγορασία, mercatura.

c) Idem in Ebr. Chald. & Syr. ſignificat epiſtolam. *Iggæret* (ſeu *aiggæret*) epiſtola, literæ. Chald. *iggærat* & *iggarta*, idem.

Hinc *Aggarorum*, ſeu *Angarorum*, nomen

ab

ab epiſtolis ferendis. Generatim reddi poteſt, quod ſit is, qui operam ſuam in quacunque re, ſpeciatim in epiſtolis perferendis, alteri mercede addixit. Arabibus *Agiron* eſt mercenarius, pretio ad operam conductus; operarius publicus, conductitius ſervus. *Meninsky pag.* 3343 ſcribit: *Ænkarija*, h. e. *angaria*, Fron-Dienſt, *charge des payſans*. Ital. *Angaria*. Polon. *Angaria*. Hinc notio coactionis, quam ſecundariam eſſe cenſeo, facile promanat. Add. ex *Meninsky pag.* 59. *Egr*, Perſice *myzd* & *mujd*, (unde Gr. μισθὸς,) merces, præmium, remuneratio, ſtipendium, meritum, locarium, pretium conductæ rei.

Arab. *Agara* (ain, zym, re,) eſt cognatum. Significat cito præteriit, aufugit. Sic a pernicitate curſus dicti. Habet *Golius* & *Men. ægred*, levis, celer, *pag.* 3221. Significatui coactionis denique reſpondet Ar. *ygbra*, a verbo *gara*, impulſus, inſtigatio, concitatio. *Igbraſi ile*, impulſu ejus. In Chald. *angaria*, h. e. angaria, adactio, coactio ad (עגרא *gain*) ferendum onus, aut faciendum opus publicum. Vid. vox אגגא.

* Αγρὸς. Lat. *ager*, Germ. *Acker*, Gall. *acre*, Goth. *akrs*, Anglo-Sax. *acer*, *accer*, Franc. *akar*, Alam. *achra*.

Ebr. Syr. & Arab. notionem agri plane exhibent. Ebr. *ikkar* (aleph, caph, reſch,) quaſi

aikkar

aikkar, agricola. In Arabica propria notio verbi *akar* eſt fodere agrum frugum ferendarum cauſa. *Taakkara*, foveam fodit, terram fodit in foveam, ibi arboris plantandæ ergo. *Akkaron*, foſſor terræ, agricola. *Muwakkaraton*, cum aliquis alteri colendum dedit agrum pro parte proventus. *Gigg. Caſt.* Non poſſum tamen non huc etiam referre Arab. *igra*, a verbo *gari*, productio, (גרי,) executio. Verbum: facere, ut quid procedat, emanet, fluat, producere in medium, proferre, promovere, præſtare, exequi. *Men. pag. 59. Egra* in apprecationibus ſignif. proferat, producat, promoveat, fluidum reddat. Sic ager a producendo. Latinum *Agere* cum his conſentire videtur.

Liceat hic intercalare vocem Lat. *Æger*. Habent Turcæ vocem *Agbry* (elif, gain, re, je,) h. e. dolor. *Karn agbryſi*, dolor, ſeu tormina, ventris. *Men. pag. 302.*

Ἀγκὴ, ulna; item ἀγκάλη. Ἀγκαλίζομαι & ἀγκάζομαι, ulnis amplector. Ἀγκάλισμα, amplexus. Huc refero 2) ἀγκονίζω, amplector. Ἀγκοίνη, ulna. Ἀγκὼν, cubitus, flexura brachii (quia amplectitur). Ἀγκωνίσκος, tortura. 3) Ἄγχω, ſtrangulo, ſuffoco, item coerceo, cogo, affligo. Ἀγχόνης, ſuffocatio, reſtis, &c. Cum his convenit Germ. *Angſt*, & Latin. *Ango*.

Huc

Huc ex Oriente ſpectat verbum *Anak.* עָנַק Ebr. Chald. Arab. amplexus fuit, tenuit. Chald. conſtrinxit, coegit. Inde *anak*, *anakin*, *anakaia*, torques. *Unka*, collum. Arab. amplecti, collum apprehendere, manibus collo iniectis ad ſe adducere, præ amore, aut in pugna; item collari ornavit, cinxit.

Aenakon, ſeu *anak*, longitudo colli & inceſſus camelini, ſeu equini, genus, qui portento fit collo. *Unk*, *unuk*, *unak*, & *anyk*, plur. *anak*, collum, cervix. Convenit Germanicum *Anke*, h. e. collum. Vid. *Friſch Diction. Etymol.* Item proceres hominum, principes. *Men. Caſt.* Hinc quoque aliæ res proceræ, velut montes, dicti *ankan*, *anakin*, &c.

In Aethiop. *inaka*, collo circumdedit (torquem, iugum,) *aynaka*, monile, ſeu iugum, collo circumdari iuſſit.

Omnes adſunt ſignificatus Græcæ vocis. Dum collo iugum applico; coercendi, aut ſtrangulandi, ergo fit. Dum vero fauces conſtringo, aut frango, ango.

Ad hanc & ſequentem refer quoque Ar. *akala* (ain, kuf, lam,) detinuit, conſtrinxit, conſtrictus, adſtrictus fuit, vinculis conſtrinxit in cruce, &c.

Ἀγκύλη, iaculi genus, anſa jaculi, item contractio digitorum. Ἀγκυλέομαι, jaculum teneo, vibro, &c.

Huic

Huic reſpondet Arab. *nakala*, tranſtu- נקל
lit, elevavit *Naklaton*, cuſpis brevis ac lata, canna. *Nakilaton*, telum latum & breve. Aleph autem initiale e coniugatione orientali eſt derivandum. Conf. quoque verb. orient. *Anak*, (aleph, nun, kuph,) ubi plura, huc referenda, & apud Talmudiſtas obvia, deprehendes. Vid. *Caſt*. & *Buxt*.

Ἀγκύλος, tortuoſus, aduncus, curvus. Ἀγκυλόω, incurvo. Ἀγκύλωσις, incurvatio (digitorum). A verbo *akal* עקל eſt in Ebr. *meükkal*, perverſum, obtortum. *Aklaton*, tortuoſus. *Akalkalot*, tortuoſa. Chald. & Syr. pervertit, funis contortus. *Ikkul* (unde facile *inkûl*, ſeu *ainkul*,) tortuoſitas, tortuoſus locus in flumine. *Ikal*, tortuoſum habens pedem. Notandum, verbum ab *ain* inchoare, quod, ſi cum pleno gutture rite pronuntiatur, literam *n* gignit pronuntiando. Arabica conſentit, *akalan*, diſtorſio, divaricatio in pedibus. *Akkalon* (ſeu *ankalon*) claudicatio, nervorum rigor, &c. ut angelus ab ἄγγελος. Huc quoque pertinet verb. Ar. *chala* (cha, lam, ain,) luxavit. *Chalân*, dislocatio, luxatio. *Inchilaon*, dislocatio extremitatis coxæ, eluxatio. *Onchalaon*, paralyticus, dislocatus, &c. Unde ἀγκύλωσις.

Hinc & Gigas *Enceladus* forte dictus ab

Arab. עקלתון, *akalathon*, i. e. tortuoſum σκολιὸν, quia monſtrum hoc, teſte *Apollod. I*, ἀπὸ μηρῶν σπείρας εἶχεν ὑπερμεγέθεις, *infra femora habuit immenſas viperarum ſpiras*. Conf. omnino *Bochart. Chanaan Lib. I Cap. 28 pag. 580 ed. 4.*

Ἄγκυρα, ἀγκύριον, dim. ἀγκυρόω, ancora firmo. Lat. *Ancora*. Germ. *Anker*. Belg. *Anker*. Angl *Anchor*. Suec. *Ankar*. Cambr. *Angor*. Vid. *Wacht.* Gloſſar. ubi varias coniecturas etymologicas deprehendes. At vero eſt ab Arabico-Perſico *angaron*, Perſ. *ankar*, ſeu, ut *Men.* ſcribit, *Enker*. Vid. *Caſtell. pag. 156*, *Men. pag. 466*. Neuter radicem ſubiunxit. Forte deperditis accenſenda, aut in dialecto quadam adhuc latitat.

Ἀγέλη, armentum, grex (boum), ἀγελαῖος, gregalis, armentalis. Ἀγελαιών, locus, ubi armentum congregatur, &c.

Arab. *iglon*, אגל, plur. *agalon*, agmen boum. *Aggalon*, cervi, cervorum agmen. *Agilon*, collecta in unum locum aqua, congeſtus limus, &c. a verbo *agala*, concluſit, continuit, collegit, adduxit, congregavit in unum locum, in agmina diviſi fuerunt, vel catervatim convenerunt, boves, oves, cervi.

Idem verb. in Chald. ſignif. ſordidavit, inquinavit. Hinc Germanis *Igel*, *ein Schweinigel*, animal & homo ſpurcus, &c. dialecto ruſtica. *Egel*, ſeu potius *ægel*.

Vox Lat. *Agilis*. Gall. *agil*, eſt a verbo עגל

Ar

Ar. *agila*, properavit, ſeſtinare iuſſit, inſtigavit, velox, citus fuit, &c.

Ἅδος & ἁδοσύνη, voluptas, lætitia. Cum his iungere haud dubito ἥδω, delector. Ἡδύνω, ſuave reddo, exhilaro. Ἧδος & ἡδονὴ, voluptas, lætitia, ἕδανος, &c.

Ebr. *adan* עדן, unde *adna*, voluptas, oblectatio. In Chald. *edan*, *iddon*, oblectatio, voluptas. Conſentit Æthiopica.

Ἄδην & ἄδδην, abunde, affatim. Ἀδινὸς, confertus, frequens.

Arab. *adda* (ain, dal geminat.) numeravit, numeroſum effecit. *Iddon*, multitudo, numeroſus; *adijdabton*, multa, &c.

Ἀδὴν, glandula. Ἀδενώδης, glandulosſus.

Arab. *gadda* עדד (gain) peſte corruptus fuit (glandula lethali). *Idda*, ſeu *gidda*, h. e. Aden, glandula, ſimilisve nodus in corpore, qui adipe cingitur, *ganglion*, ſcrofula, &c. Vid. *Caſt.* ad voc. עד. Gain vero Arabicum ſæpe in aliis dialectis Orientis tranſit in Ain & in ſimplex Alpha.

Ἄδω, ſatio, ἄδος, ſatietas, tædium, ἀδαῖος, abundans, ſatietatem afferens, &c.

Subiiciunt huic verbo etiam ſequentia.

a) ἄση, faſtidium, nauſea; ἀσάομαι faſtidio, nauſeo.

b) ἀσηρὸς, faſtidium movens, moleſtus, ἀσηρῶς, moleſte.

c) ἀσιώδης, faſtidio & nauſea laborans.

d) ἆτος pro ἄατος, inſatiabilis.

Huc pertinent

1) Arab. *adana*, עדן, repletus fuit, potator, paſtus fuit. Adeſt notio ſatiandi.

2) Ar. *aſaa*, אזא, ſaturavit & paſtu implevit.

Literam *ſ* in *t*, vel *d*, mutari in omnibus linguis, neminem fugit. Quare non dubito, plures adhuc ſupereſſe voces in linguis orientalibus, quæ huc referendæ; at moræ nimiæ me tædet. Convenit Germanicum *Aſen* & *eſſen*, de quibus in Specimine Germanico. Saxonice *æten* pro *eſſen*.

Ἁδρὸς, magni abundans, craſſus. Ἁδρότης, abundantia, robur. Ἁδρύνω, craſſum reddo, craſſeſco. Verb. Ebr. *adar* (aleph, dalet, reſch,) habet notionem magnitudinis, atque, obſervante *Caſtello*, ad qualitatem & quantitatem refertur. Hinc *adær*, magnificentia. *Addir*, amplus, validus, magnificus. In Ar. verbum *adira* (ain, dal, re,) abundavit, abundare fecit. *Adaron*, *adron*, & *oddron*, robur, audentia.

Ἆθλος, & ἄεθλος, certamen, labor, ærumna.

Ἄθλιος, miſer. Ἀθλεύω, certo, mala perfero, &c.

Arab. *atala*, עתל, violenter, graviter, traxit, impulit, & abſtulit; præparavit & præceps irruit ad inferendum malum. *Atilon* & *itilon*, feſtinans ad malum, pravus, ſceleſtus. *Atijlon*, gravis morbus, operarius, bajulus. *Atsjalon*,

lon, malo habitu ſtatuque fuit, macer evaſit.

Syris & Chaldæis *athleta* & *athleti* dicuntur athletæ. Vid. *Caſt. pag.* 253.

Ceterum notandum hac occaſione, Arab. *atala*, ſeu *atſalà*, (elif, thſe, lam,) firmus, conſtans, fuit; radicalem, firmum & nobilem, ac origine inſignem, eſſe, dixit; collegit & congeſſit opes; magnus & magnificus evaſit; gloria & dignitate eminuit, & ſemet pro tali geſſit.

Atalon, gloria & nobilitas; gloriam conſequi & nobilitari. *Atilon*, radix, origo; radicibus bene actis ſtabilis fuit; egregia origine nobilis.

Hinc manifeſte Germanorum *Adel* & *edel*. Gloria autem ac nobilitas olim apud Germanos non niſi virtute fuit comparata. Hinc notio certaminis in Græca, & nobilitatis in Germanica, velut cauſa & effectus cohærere videntur.

Ἀείδω, cano, carmine celebro; ἀοιδή, contr. ᾠδή, oda, cantio, fama; ᾠδικός, canorus, &c. b) ὁδὸς, via, mos.

Ar. *ada*, עאד, ſeu עדד, rediit; celebravit feſtum. *Odon*, cum repetitis vicibus redit. *Auwdon*, ſeu *audon*, ſeu *odon*, chelys, fides, lyra, tibia, pſalterium. *Aijdon*, plur. *acadon*, quicquid reducit ad ſe hominem a mœrore & ſollicitudine, pecul. feſtum, feſtivitas, dies

feſtus. *Awwadon*, citharœdus, tibicen, qui teſtudinem pulſat.

Nemo de origine vocis Græcæ dubitabit. Eſt nimirum, quod ad pulſum citharæ aliusve inſtrumenti canitur: id, quo hominis animus ad lætitiam reducitur, &c. Ex natura literarum Arabicarum עוד patet ſimul diverſa ratio ſcribendi apud Græcos.

Ab eodem verbo deſcendit Græcum ὁδὸς, via, ratio, vitæ inſtitutum, viæ auxilium, ὁδεύω, iter facio, &c. Etenim Arab. ſignificat rediit, reverſus eſt, reduxit, conſuevit, frequentavit, aſſueſcit rei, pro more habuit, exercuit, edocuit, morem introduxit. *Awdon*, antiqua & trita via. *Adabton*, conſuetudo, uſus, mos receptus.

Αἱρέω, capio, prehendo, in fut. αἱρήσω. Ἅιρεσις, expugnatio, it. hæreſis, dogma. Αἱρεσιώτης, hæreticus.

Ar. *araza* (ain, re, ze,) ערץ, corripuit, violenter detraxit, it. durus, difficilis, vehemens, aſper, fuit, averſus, adverſus, infeſtus, fuit. Hinc notio hæreſeos: eſt doctrina alteri contraria. Item ſe recepit, ſe adſtrinxit. Adeſt quoque notio prehendendi, inprimis eſt illa prehenſio, quæ fit violenter.

Αἱρέτης, elector, αἱρετὸς, electus, optabilis; αἱρετίζω, eligo; it. ſectæ hæreticorum adhæreo; αἱρετίζομαι, eligo, malo, ſatius duco, &c.

Solent hæ voces plerumque præcedenti ut derivata ſubiungi. At, cum literæ *ſ* & *t* diſcri-

men

men indicent, nec notiones omnino conſpirent, ab Arabico *ara* (ain, re, vav, vel elif,) malo derivare. Inde *arahton* (per gain) pulcher, *arijon*, pulcher, elegans vir, *arin*, elegantia, *aurwahton*, res cara, præſtantior, quam quis poſſidet, &c. In Æthiop. *haragu* (chet, reſch, jod,) elegit, delegit; *hharagi*, electus, &c. Convenit plane cum *αἱρέω*, quod & ipſe *Caſtellus* ad h. v. obſervavit.

"Αἴρω, tollo, attollo, aufero, occido, capio.

"Αρσις, elevatio, ablatio, detractio.

'Αρτῆρες, maſſæ metallicæ, anſam habentes, ut commode poſſint elevari.

Verb. Arab. præcedens ſignificat etiam, anſulas accepit, anſatum reddidit quid. *Aurwaton*, anſa. Anſæ vero rei adduntur, ut capi & attolli queat. Nec capiendi notio verbo Ar. deeſt. Inter alia ſignif. *correptus eſt* febri, deſiderio rei *captus eſt*. Inprimis Syriacum *Aro*, ערא, omnes notiones verbi Græci exhibet. Signif. prehendit, tenuit, continuit; prehenſus, captus, elevatus, elatus eſt; it. Ebr. *arah*, ערה, abſtulit, effudit, nudavit; it. *araza*, ערץ, violenter detraxit, corripuit. Denique Ebr. *arab*, ארה, carpſit, decerpſit.

'Αείρω, attollo, eveho, affero, excito. 'Αερέθω, erigo, ſuſpendo. 'Αερτάω, tollo, porto. Convenit cum præcedentibus.

"Αελλα, turbo, procella; ἀελλής, procelloſus; ἀελλέω, convolvo, ſpiro.

Syriaca & Chaldaica exacte refert. *Aleel*

bine, procellis, agitavit. *Aliul*, ſeu *alula*, turbo, procella. Vid. *Caſt.* ad verbum *alal*, עלל (ain, lamed geminat.). In Arab. *taalala*, conturbatus fuit; *alula*, conturbatio, prælium; *alolvlon*, tumultus, commotio, pugna. Vid. quoque Ebr. & Arab. *alah* (ain, lamed, he).

In Arab. *alla* (elif, lam,) cito ivit, properavit, concuſſus, commotus, & perturbatus fuit: impulit, propulit. Hinc vocula impellendi Germanis uſitata: *Allo*. Verb. Gall. *Aller* huc etiam eſt referendum.

Ἀετός, aquila, faſtigium ædis. Item αἰετός. Αἰετόεις, ex aquilarum genere.

עית Ebr. *aith* (ain, jod, thet,) in hiph. *heit*, involavit, avis rapacis more, irruit, invectus eſt in aliquem, inhiavit. *Aith*, avis rapax.

Verba Arabica huc quoque referenda. *'Atta* (ain, ta,) vicit, ſuperavit. Inde *atato*n, vir ſtrenuus, audax, leo. *Gatato*n (gain in initio) avis *Katha*; item verbum

עתא *ataa* (ain, ta, elif, vel he,) caput manusque ſuſtulit ad capiendum quid, vicit, ſuperavit, vervos intendit; arroganter egit. Item *gataa* (gain, ta, elif,) elata fuit, extulit ſe res, ſuper rem aliam exſtitit; rem extulit. Atque hinc notio faſtigii in Græca.

Denique

Denique apud *Galium* *pag.* 684 occurrit *Chatijahton*, h. e. aquila.

Ἄζω, vel ἄζομαι, veneror.

Ar. *azza* (ain, ze,) rara, cara, eximia, fuit res, gloria polluit, in honore fuit, incomparabilis fuit. *Azzon*, honor, potentia, victoria; *izzon*, gloria, dignitas, potentia, &c. Verbum Ebr. *aſas* eſt plane idem; at in hac lingua tantum idea roboris ſupereſt, & arctioribus conſtricta limitibus.

Ἄζω, arefacio, ſicco; ἀζαλέος, aridus, ſiccus.

Ar. *aſa* (ain, ſin, elif, vel je,) exaruit, firma, dura, evaſit res; conſenuit, decrepitus fuit, craſſa, obſcura, fuit res. Item *Aſſa*, ſeu *aſchſcha*, (ain, ſchin gemin.) ſiccus evaſit, aruit terra, extenuavit, macrum reddidit. עזא עשש

Ἀήρ, *Aer*, it. caligo, aer tenebroſus; ἀέριος, aerius, matutinus; ἀερία, caligo.

Sic notio in Græca eſt duplex, aut triplex. Signif. aerem, caliginem, tempus matutinum.

Ebr. *Or* (aleph, vav, reſch,) luxit, illuxit, lucidus fuit. *Or*, lux, ſplendor, corpus lucidum, &, addita mentione lunæ, ſol, fons lucis, unde & *Apollo* Ωρος dicitur; it. lux matutina, mane, diluculum. *Ur*, ignis. Unde Latinorum *Uro*. אור

 In

In Chald. idem. Apud Talmudiſtas *Urta*, pro lumine ſtellarum, ſive ſtellis, i. e. veſpera, occurrit. Item *Urja*, occidens, plaga occidentalis mundi ab ortu & luce ſtellarum pro illuſtranda nocte. Hinc notio tenebrarum in Græca patet. Denique in Syriaca & Chald. occurrit notio aeris. Chald. *aveir*, aer, *aveiri*, aereum, aere plenum. Syr. *Oar*, ſeu *Ojar*. In Arab. *airon* (elif, je, re,) ventus mane flans, Eurus. *Ijaron*, aer, aura; *aiariſown*, aereum.

Ad Græca etiam pertinet verbum Ebr. *Ur* (ain, vav, reſch,) evigilavit, excitatus fuit; item cæcus.

Arab. *gara* (gain, vav, ſeu elif, re,) occidit, ſub horizontem demerſus fuit ſol.

Ἀήσυλος, inconveniens.

Arab. *Aslathathon*, ſermo confuſus, inconcinnus, abſque ordine & numero. Vid. *Caſt.* ad voc. *aſala* (ain, ſin, lam).

עזל Arab. *Azala* (ain, ze, lam,) repudiavit, removit; declinavit, deſcivit; inde paſſ. remotus, reiectus fuit. Generatim, ſi quis in re ſecedit a regula, ab ordine, ab officio.

Ἀθρόος, denſus, confertus. Ἀθρόοτης, denſitas, univerſitas. Ἀθροίζω, coacervo, congrego; ἄθροισμα, multitudo, congeries, &c.

Ebr.

Ebr. *atar* (ain, tau, reſch,) denſitas, עתר multitudo. *Atarat*, abundantia. In Chald. ditatus, locupletatus eſt. *Otar*, *otra*, *ütra*, divitiæ, opes, facultates.

'Αθρέω, video, conſidero. 'Αθρεῖ, videre cupio. Compoſ. attente perſpicio, circumſpicio, conſidero.

Arab. *atara* (elif, thſe, re,) *intendit*, אתר operam dedit ac *ſtuduit*, elegit, voluit, *exiſtimavit*, putavit.

Αἴ, heu, eheu.

Ebr. Chald. Syr. *Oi*, ſeu *aoi*, (aleph, vav, jod,) væ, ehem. Arab. *aja* (elif, je gemin.)

Αἴγλη, ſplendor, fulgor. Vid. ſupra αἰγλαός.

'Αἴζηός, juvenis.

Arab. *Aiſanon* (ſeu *gaiſanon* ob gain,) iuventus, vigor, acrimonia. *Gaiſanahton*, flos juventuſis. *Aiſanijon*, pulcher flo- עין rentis erectique rami inſtar. Vid. *Caſt.* ad v. *aſa* (ain, je, vel elif, ſin,). Ex Ebr. huc forte referendum verbum *aſas* (ain, עזז ſain gem.) roboravit, robuſtus fuit, Arab. *azza* (ain, ſad gem.) idem. Sic juvenis a robore juventutis dictus eſſet.

'Αιθήρ, Æther. 'Αιθέριος, æthereus.

Αἴθρος, pruina.

Αἴθρινός, matutinus. Αἴθριος, ſerenus.

Varias notiones iunctas vides ſupra ad vocem *Aër*.

In Arab. verbum *athara*, (elif, thſe,

re,)

re,) elegit, ſelegit. *Æthron*, præſtantia, excellentia. *Athuron*, eximius, excellens; item butyrum purum & ſincerum. En notionem puritatis & ſerenitatis. *Athijron*, idem, quod Chald. *jattir*, (jod, tau, jod, reſch,) electus, exquiſitus, excellens, ſpeciatim electus & intimior amicus; item *æther*. *Caſt. pag. 260.* Sic *æther* a præſtantia præ aere craſſiori & a puritate.

עתר Hac occaſione notes, quod Lat. *Ater* ſit ab Arab. *atara*, ſeu *gatara*, (gain, te, re,) inde *atrahton*, tenebræ, color ſubniger.

Ἄιθω, uro, incendo, ardeo. Ἀιθάλιον, ardens. Ἀιθολόω, uro, &c.

Arab. *Atha*, ſeu *gatha*, (gain, elif, vel je, da,) excanduit, ſuccenſuit, iratus fuit, ferbuit.

Ἄινος & αἴνη, laus, αἰνέω, laudo, &c.

ענה Ebr. & Syr. *anah* (ain, nun, he,) laudavit, collocutus eſt, reſpondit. Arab. *anija*, ſeu *ganija*, (gain, nun, je,) cecinit illi carmen, cantavit carmine, cantu affatus fuit, celebravit aliquem; item ſatira inſectatus eſt, &c.

Ἀινὸς, gravis, horrendus. Ἀινῶς, graviter. Ἀινότης gravis.

Præcedens verbum in Ebr. & Chald. etiam ſignificat, afflixit, oppreſſus fuit,

oppreſſit

oppreſſit jugo ſervitutis. *Ani*, afflictus, pauper, miſer.

In Arab. verb. *Anaj* (ain, nun, je,) difficilia ac gravia eum præſtare coegit, gravis fuit, duriter ſe oppoſuit. *Anij*, cura vexatus. *Anaon*, difficultas, moleſtia, labor. *Maanahton*, cum aliquis ſe alteri gravem ac durum exhibet. עני

Ἆινος, fabula, apologus. Ἀινίσσομαι, obſcure ſignifico. Ἄινιγμα, dictum obſcurum, ænigma, &c.

Idem verbum præcedens etiam hunc in Orientalibus habet ſignificatum. Ebr. *anah*, reſpondit; unde *maaneh*, ſermo, reſponſio. Arab. *Anaj*, (ain, nun, je,) voluit, intendit aliquid dictis ſuis, ſignificavit. Inde *manaon*, ſignificatio, ſenſus, quod ſignificatur, verborum vis, mens, &c.

Si præcedentem ſignificatum huic jungamus, patet, ejuſmodi ſignificationem & animi declarationem hic eſſe intelligendam, quæ alteri moleſtiam faceſſit, quæ difficulter poteſt capi.

Ἄινυμαι, capio. Ἀπαίνυμαι, aufero, detraho. Ἐξαίνυμαι, eximo, aufero.

In Arab. *anima*, ſeu *ganima*, (gain, nun, mim,) diripuit, pro præda quid abſtulit, citra laborem. ענם

Ganijmon, direptio, præda, ſpolium; *ganimon*, prædo; *tagnimon*, rapinæ, &c.

Celtæ

Celtæ Græci *gain* mutarunt in *α*. Germani, literam Gain ob difficiliorem pronuntiationem plane abiicientes, inde forte fecere ſuum *nemen* h. e. capere, *wegnemen*, &c.

Ἀιονάω, aſpergo, perfundo. Ἐπαιονάομαι, irrigo, perfundo.

עין Vox orientalis *Ain* (ain, jod, nun,) ſignificatum præcipue habet duplicem: 1) Oculus, 2) Fons. In Arab. *aana*, vidit & manavit fluxitque aqua, pervenit fodiendo ad aquæ ſcaturiginem.

Ainon, plur. *ojoωnon*, *aajunon*, & *aajanon*, oculus, viſus, adſpectus; (hinc Germanorum *Oje*; etenim ruſtici & Saxones inferiores dicunt: *mien oje*, ſeu *Oge*,) item fons, ſcaturigo, vivæ aquæ fluxus, pluvia dierum aliquot minime interrupta. Item potior ac præcipua rei pars, res eminentior; item *Gemma arboris*. Sic adhuc Germani *die Augen*.

Ἄιξ, caper, capra. Ἄιγειον, caprinus. Ἀιγὶς, pellis caprina; ſcutum, ægis. Ἄιγιλος, herba capris grata.

עקץ Arab. *Akaza* (ain, kaf, jad,) torſit comam, inflexum fuit capri cornu circa aures. *Ikazahton*, *akijzaton*, cincinnus, torta, aggeſta in capite mulieris coma. *Aakazu*, cornibus pone aures inflexis *caper*. Contracte inde *akz*, ſeu *ax*. *Mikazon*, ovis cornibus retortis. Huc quoque

que Ebr. pertinet *agaſch*, (ain, gimel, ſchin,) cornu petiit, feriit. *Aggiſch*, cornupeta, impetens cornibus.

Item Ebr. *akko*, rupicaprà, hircus ſylveſtris.

Akika, herbæ nomen, item *aka*, *ika*, hircus. Vid. *Caſt.* ad v. *akak*; (aleph,) kuph gemin.) item Ebr. *as* (ain, ſain,) capra.

Αἰόλος, varius, variegatus. Αἰόλλω, αἰολέω, vario. Αἰολίζω, vario, verſute ago. Αἰολάω, vagor, erro. Hinc αἴολος de Muſicis & cantu, quia pererrant chordas. *Vann. Crit. pag.* 154 de voc. diſcrimine.

Æthiop. *ayula* (ain, jod, lamed,) ſeceſſit. *Ayyula*, ſecedere, emigrare, coegit, migravit. Elatus, fuga, migratio.

Arab. *aala* (ain, je, vel elif, lam,) peragravit regionem; decepit. *Ailon*, pardus.

Gala (gain in initio,) tenuis, ſubtilis fuit, decepit eum, circumvenit. Cónvenit cum Græco ratione verſutiæ. *Gailon*, ſ. *ailon*, ora *verſicolor* panni, notæ ac ſigna in veſte.

Αἰπύς, αἰπὸς, αἰπύτιος, altus, excelſus.

Αἶπος, altitudo, cacumen, labor, &c.

Verbum Arab. *abba* (ain, be gem.) עבב procera effecta eſt res. *Aibabton*, ſuperbia, jactantia, gloria. *Obabon*, maior,

tumen-

timentior pars aquæ, cum torrens intumeſcit, primordia (& maximum) rei. *Aibijahton*, elatio animi. *Aiaabon*, vir longus, procerus. *B* autem & *P* facile ſecum commutantur.

Ἄιρα, malleus; item lolium. Ἀιρικὸς, αἴρινος, ex lolio.

a) Arab. *Ara* (ain, je, vel elif, re,) percuſſit, ictus inflixit. En notionem mallei. Significat 2) abiit per terram, huc illuc vagatus fuit, vitium in illo deprehendit, opprobrio affecit, muſco & alga obducta fuit aqua. *Airon*, locus, ubi nil boni, fibræ in medio folii, locus, qui pæne ſterilis effectus. Hinc lolium nuncupatum, quod ſit herba vitio quaſi laborans, cui nil boni ineſt, aut quod per terram huc illuc vagetur ac ſerpat, terramque ſic malo afficiat, ac ſterilem efficiat. Aut forte notione lolii eſt a verbo αἰρέω, aufero. In Ebr. a verbo *arab* (ain, reſch, he,) effuſus eſt, in Hitp. Part. *Mitarah*, diffundens ſe, graminetа virentia dicuntur *arot*, & *maara* eſt graminetum. Adeſt adhuc verbum עור, in Arab. *ara*, perdidit, corruptus fuit; inde *awaru*, pl. *ouron*, pravus; de quavis re; item ſtipula. Vid. Partem Teutonicam in voce *Aar*.

ערק b) Ἀιρικὸς deſcendit ab Arab. *araka*, (ain,

(ain, re, kaf,) abiit per terram, iners fuit, *terra radices avulſit*, radices egit planta, ſeque per terram diffudit. *Arakabton*, radicitus exſtirpavit. ערק

Αἶσα, fatum, item Parca, ſeu Dea fati præſes; item officium. Αἴσιος, fauſtus, auſpicatus. Αἰσίως, auſpicato, decenter. Αἴσιμος, fatalis, decens. Αἰσιόω, fauſtum reddo. Αἰσιμία, divinatio.

Varii hi ſignificatus inſunt fere omnes verbo Arab. *azza*, (ain, ze gem.) ſignificat. עזן

1) Competivit, convenit, quod ſui muneris eſt. Hinc notio ejus, quod decet:

2) *Azza*, h. e. rara, cara, eximia, fuit res, gloria polluit, incomparabilis fuit vir, in honore fuit. *Aizzabton* (ſeu *yzzabton*) nobilitas, laus, gloria, potentia, victoria. Quæ ſi quis impetrat, is fauſtus celebratur.

3) Corroboravit, vehemens, durus, gravis, fuit, potens magnusque fuit. Convenit plane cum Ebr. roboravit. *As*, robuſtus, obfirmatus, fortis, durus, ſævus. In Arab. porro: eximius, potens, ac validus, evaſit, ſe illo potentiorem, illiusque victorem, aſſeruit, vicit; item magnus, glorioſus, eſt. Sic *bekk azze* עזן

gzzihhi, Deus, cuius gloria eſt incomparabilis. Item *azze we gelle* & *azza viſmihhi*, optimus, maximus, altiſſimus, glorioſiſſimus. *Meninsk*. Hinc olim *Jupiter Aſius* explicari poteſt, cuius vetuſtiſſimum fanum in Creta fuit, teſte *Stephano*, ſic dictus, ex huius ſententia, ab *Aſo*, Cretæ oppido, quo in loco celebratus. At, oppidum a cultu *Jovis Aſii*, h. e. Optimi maximi, nomen potius habere, cenſerem. Hinc quoque patet, qui nomen *Azz*, ſeu *As*, ſeu *Aſa*, factum fuerit nomen Dei. Ita borealibus noſtris olim, teſte *Verelio* in *Ind.* Deus dictus *As*, *aſamann* Dii, *askymdur*, divinæ originis, ex origine Aſarum. Hetruſcis quoque, teſte *Suetonio* in *Vita Aug. Cap.* 97, Deus olim *Æſar*. Αἴσοι, θεοί, ὑπὸ Τυῤῥηνῶν, *Æſi*, Dii apud Tyrrhenos. *Heſych.* Ebræi & Chaldæi ſimpliciter Deum appellarunt *El* (aleph, lamed,) h. e. potens, fortis, ab *aial*, virtus, vires. Conf. *Wachteri Gloſſ. Germ.* qui nomen Aſiæ interpretatur Deorum patriam, ſeu partem mundi divinam. Nec id quidem male. Vi notionis Arabicæ ego verterem *Regionem eximiam & longe optimam*, laude, gloria, potentia, illuſtrem. Appoſita tamen & gentium originibus conformis eſſet explicatio, ſi nomen Aſiæ ab Arab. *azaba*, (ain, ze, he,) deducerem. Inde formant Ara-

Aſia. עזה

bes

bes *aſabon*, *azjon*, *azin*., &c. Sic de formatione grammatica conſtaret. Significat: Pertinuit (ad eum patrem), ex eo genus duxit, relatus ad eum eſt. *Aſaon*, cum quis ad alium refertur. Et ſic Celtis Europæis Aſia idem fuit ac patria, ſeu regio, quo genus retulerunt. Sic e contrario nomen *Europ* forte deſcendit ab Arab. ורב (waw, re, le,) *wariba*, unde formatur *wariben*, pl. *awrabon*, ſeu *uruben*; item *wirben*, *irbon*, *warabon*, *tawribon*, &c. Inde videre eſt, quomodo vox *awrub*, *uwrub*, & *Eurup*, naſci potuerit. Significat autem: Corrupta, depravata, fuit ſtirps; item elongavit a loco; item oblique ſitus eſt; item ſubducere ſe & declinare a re, &c. Et ſic ratio nominis *Europa* petenda foret inde, quod progenies hæc ſe elongaverit, ſe ſubduxerit a patria; quod ob vitæ genus depravatum, & a cultu Aſiatico deſciſcens, velut ſtirps depravata & declinans a moribus avorum habiti fuerint Europæi ab Aſiaticis. Poteſt quoque eſſe a radice orientali ירב, *irab*, (jod, reſch, beth,) quæ quidem in Ebr. & Chald. nunc deſideratur, in Syriaca autem *Irob* ſignificat magnus, excellens, præſtans, fuit, qui magna patrat, magnifice agit. Hinc in Æthiop. ab eadem radice eſt *yarabiky*, h. e. *Europa.*

heros, gigas, *ſtrenuus, bellator.* Et ſic *Eurôpæi* a virtute & ſtrenuitate in bello nomen haberent, quemadmodum *Germani* ex eadem ratione, nimirum a virtute bellica, ab aliis Orientalibus ſunt nuncupati, ſiquidem Germanus eſt vir bellator, ſcilicet ab Arab. *Gerrar*, h. e. ſtrenuus miles, unde *askerri gerrar*, bellicoſus & numeroſus exercitus, *gera*, ardor cordis & animi, &c. Vid. *Meninsky*. Quodſi quis tamen nomen *Europ* ab Arab. *arab* (ain, re, be,) deducere malit, non pugnabo. Significat in Ebr. obſcuratus, obtenebratus eſt, adveſperavit, *erab*, veſpera. In Chald. Syr. & Æthiop. *occidit ſol.* In Arab. gain in initio adſciſcitur. *Garaba*, occidit, in occidentem tetendit, abiit, & quidem longius in occidentem, occubuit. *Gurbon*, occaſus ſolis. Item *uurowbon.* Hinc facile patet, qui inde *Eurob* ſit prognatum. Hac ratione Europæis ab Orientalibus ideo hoc nomen fuit inditum, quod in terras occidentem ſpectantes demigrarint.

Africa. Cum ſemel coniecturis hiſce etymologicis indulſerim, nomen *Africa* inexplicatum non erit prætermittendum. Multi iam in hanc arenam deſcenderunt ante me. Et 1) quidem a verbo *Pharak*, פרק, Ebr. rupit, diſrupit, abrupit, ſeparavit. Idem Chaldæis, Syris, Samaritanis, & Arabibus. In Arab. *firkaton*, plur. *firakon*, & *afrakon*, & *africaaon* & *afarikon*, diviſio, diſſidium,

ſecta

ſecta hominum. *Iſtirakon*, ſeparatio. Et ſic ratio denominationis videtur eſſe maxime naturalis, ſiquidem *Africa* ab Aſia & Europa mari eſt ſeparata, nec niſi parvo terræ tractu Aſiæ cohæret. Hanc itaque coniecturam *Caſtellus* ſequitur. Vid. eum ad vocem אפר & ad verbum פרק *num. 36.* Auctores Arabes ſcribunt *Iſrykyjahton.* Chaldæi ſcribunt *Aphrika.* 2) Nomen *Afer*, quo incolæ apud Auctores Latinos veniunt, poteſt etiam eſſe a verbo *Aphar*, עפר, Ebr. Chald. & Arab. pulverem ſparſit, pulveravit, in pulvere ſub ſole ſiccavit, pulvere inquinata fuit res. Ebr. *afær*, pulvis. *Aphra*, pulverarium. Arab. *iſron*, *afaron*, pulvis; item arenoſa quædam regio, &c. Et hæc denominatio rei naturæ eſt admodum conformis. Etenim iam olim *Manil. Aſtron. Lib. IV:* Benus arenoſis Afrorum pulvere terris exſiccat populos. Et apud *Syneſium Ep. 67* διψηρᾶς Λιβύης, h. e. ſiticuloſæ & aridæ Libyæ, nomine venit. 3) Liceat quoque novam ſubiicere etymologiam. *Africa* iam olim ob leones & pantheres Libycos, omnium feriſſimos, ſatis fuit famoſa. Hinc animalia illa ferocia ἐξοχικῶς *Africana* fuere dicta. Ita *Plinius Lib. VIII Cap. 17* refert: *Senatusconſultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam advehere.* Libyca fera aliis Auctoribus ſæpius memorata. Propter has rationes percommode etiam deduci poteſt ab

 alia

alia vocis *aphar*, עפר, ſignificatione, quæ eſt, *fuit potens*, abripuit eum leo, diſceptavit cum alio de dominatu, eique ſuperior evaſit; hinc *yfron*, malus, terribilis, callidus (homo), *üfron*, robuſtus, ſtrenuus, audax. *Afiron*, leo fortiſſimus, validiſſimus. Item vir perditus, proclamatæ impietatis, vir rem calamitoſe percipiens (hic nova emergit coniectura, & ad *Chami* ſortem ob impietatem nos dededucit, ut ſic a primis terræ colonis *Africa* dicta fuerit terra impio cedens,). Hinc porro *üfritaton* & *ufarrijaton*, res ſtupenda quævis, immanis, terribilis. *Yfrinon* & *afrinon*, locus alens leones. *Caſtell.* apud *Men. pag. 3287*, *Æferna*, leo validus & vehemens. *Yfrit*, plur. *afarit*, Dæmon gigantea forma, res immanis & terribilis, & adject. ferus, vafer, malus, & feritas, ſævitia, &c. Sic patet, *Africana* fuiſſe vetus nomen generale leonum, & quorumvis animalium ſæviſſimorum & terribilium, ex Libya importatorum in Italiam. 4) Eruditiſſimus *Bochartus*
פרך deducit a *pharacha*, פרך (fe, re, kef,) ſpicam confricuit, hinc *pharikon*, fricabilis ſpica, cuius grana confrictu exeunt, &c. Et ſic a multitudine ſpicarum, aut fertilitate, nomen eſſet. At vero, hanc eſſe paulo alieniorem ab indole regionis, cuilibet facile patebit. Id tantum adhuc

ſub-

ſubjicio, vocem Latinam *frico* ab hoc verbo Arab. eſſe.

4) In viam mihi eſt redeundum, & explicandum, unde fatum & fati Dea ex Oriente fluat. Verb. idem *aſſa* ſignificat etiam durus, gravis, vehemens, fuit; mortem illi intulit Deus. *Azazon*, viri potentes & eminentes. *Azijzon*, potens, invictus, item difficilis. *Azzaon*, gravis & infauſtus annus; item mulier valida & vehemens. *Aazon*, fortis mulier & potens; item nomen idoli Coreiſiitarum & Githſanidarum Arabum. Et, hanc mulierem eſſe Græcorum αἶσαν, fere inducor, ut credam. Parça eſt mulier illa dura ac potens, cuius imperio hominum vita ſubiacet. Ab eodem verbo eſt ſubſtantivum *moaizon*, qui vim honoremque impendit ſervo, quem voluerit. Huic & antecedentibus ineſt quoque notio fati; illud enim eſt durum & inexorabile, ac pro arbitrio agens.

Αἰσάλων, accipitris ſpecies. A verbo Arab. *azala* (ain, ze, lam,) eſt *azlani*, duæ plumæ in extrema cauda aquilæ, ſeu vulturis. Hic convenientia non adeo clara. Forte a plumis iſtis hæc accipitrum & aquilarum ſpecies nomen habet. Ab eodem eſt *Azalon*, h. e. poſtica pars aſini. Attamen nomen German. *Eſel* עזל

mallem derivare a verbo Ebr. *azal* (ain, tzade, lamed,) tardus fuit, pigruit, *azel*, piger, Arab. tardavit.

Αἰσιμόω, impendo, inſumo. Arab. *aſama*, (ain, ſin, mim,) concupivit, acquirere quid ſtuduit, *operam dedit*, ſemet *impendit* rei. *Aſimon*, qui labore ſuis victum quæritat.

עשם

Αἴσυλος, iniquus, nefarius. Verbum *aſal* (ain, ſain, lamed,) in Ebr. & Chald. & Syr. abiit, receſſit. In Arab. *izlon*, mendacium, falſitas. Item *aslon*, (mi, ſin, lam,) adminiſtrator, curator rei. *Aſilon*, vir probus. Sed *aslakon*, ſeu *aſalikon*, malus indole, pravitas naturæ, vulpes, lupus. Forte inde Germ. *Heslich*, malus, pravus. Adſpiratio in Germanica eſt ab Ain.

עזל

Αἶσχος, turpitudo. Manifeſta eſt convenientia cum voce Germanica *eiſch*, h. e. *garſtig*, turpis, ſordidus. Vid. *Wacht. Gloſſ.* Porro Αἰσχέω, dedecoro. Αἰσχρὸς, turpis. Αἰσχύνη, pudor, dedecus.

Arab. *Azabha* (ain, ze, ha,) defecit, receſſit, retroceſſit. *Aſowchon*, (ſeu, ſi contrahas, *aſchon*,) qui defecit ab egregiis & liberalibus factis, illiberalis, avarus, tenax.

עית Verbum *Atza* (ain, je, vel elif, thſe,) corrupit, depravavit, religionem depravavit, depravatæ religionis fuit. *Aitzon*, depra-

depravatio, corruptio. Item a verbo *azza* (ain, ſad,) eſt *izzon*, ſ. *aizzon*, improbæ naturæ, avarus, aſtutus. Conf. quoque verbum *aza*, (ain, ſad, elif,) res futiles protulit, mentitus eſt. עזץ

Cetera te, Lector, exſpectare proxime iubemus.

V.

FRID. OTTONIS MENCKENII LIBRORUM, HAUD ITA DIU AB INVENTA ARTE TYPOGRAPHICA EDITORUM, QUIBUS SUPPLERI POSSINT ANNALES TYPOGRAPHICI MAITTAIRIANI, DECAS QUARTA, EIUSQUE PARS POSTERIOR.

Cum nihil magis acuere induſtriam noſtram, nihil currentibus acriores ſtimulos addere ad proſequendum curſum ſuum, quam eorum, qui de rebus noſtris iudicandi facultate pollent, certus & non ſimulatus favor, poſſit; de meo autem, artis typographicæ primordia illuſtrandi, inſtituto ita exiſtimare Lectorum multos intelligam, non id ſuavitate ſua, nec, quod maius eſt, utilitate, deſtitui; hinc mihi bene videor, & eorum, qui elegantiora amant ſtudia, bona cum

gratia, facturus, ſi, quoad fieri id poſſit, & aliquid nobis copiarum ſuppetat, augendis *Maittairii Annalibus* operam adhibere ſtudiumque pergam. *Quarta* igitur librorum, ante complures annos editorum, *Decadis priori Parti*, nuper demum ante oculos Lectorum expoſitæ, iam, ne mutilus ſit labor noſter, *poſterior* ſuccedat.

I. *Petri Pauli Vergerii, Juſtinopolitani, de ingenuis moribus ac liberalibus ſtudiis libellus. Sancti Baſilii de liberalibus ſtudiis & ingenuis moribus liber, per Leonardum Aretinum ex Græco in Latinum converſus. Hoc opus impreſſum eſt Mediolani per Uldericum Scinzenzeler anno Domini MCCCCLXXXX, die* XVII. *Decembris.* 4.

Duos eodem volumine libellos, quisquis is eſt, qui curam edendi ſuſcepit, complexus eſt, argumenti, ut videtur, ſimilitudine & quaſi cognatione adductus. Tale enim ex Præfatione, qua, ut ornamentis aliis omnibus, caret liber, nihil diſcas. A nobis igitur, ut eius hominis, ad quem gloria edendi ſpectat, indicium faciamus, nemo exſpectet. Id certo ſcimus, nec a *Vergerio*, nec ab *Aretino*, quidquam operæ hic præſtitum, quippe quorum utrumque diu ante annum 1490 exceſſiſſe e vivis conſtat. Nec hæc pri-

ma

ma horum opuſculorum editio fuit, ſed iam ante variis in locis, nunc ſeorſim, nunc coniunctim, prodierant. Ut alias taceam, vel in ipſa urbe Mediolanenſi duas horum Scriptorum, ſed ſingulorum, non uno coniunctorum volumine, editiones, alteram A. 1474 prelo neſcio cuius, alteram A. 1477 *Philippi Lavaniæ* officina, exiiſſe, *Joſephus Ant. Saxius* in *Hiſtoria literario-typographica Mediolanenſi*, præmiſſa *Tomo primo Bibliothecæ Scriptorum Mediolanenſium*, a *Phil. Argelato* editæ, *pag. 560* & *568*, &, quod ad illam anni 1477, *Mich. Maittairius* in *Indice Annalium typographicorum T. II pag. 319*, teſtantur. His addi inprimis meretur *Baſilianæ Orationis*, Latine ab *Aretino* redditæ, editio antiqua, & anni & loci indicio deſtituta, cuius mentionem facit *Jo. Alb. Fabricius* in *Bibl. Gr. Lib. V Cap. 19 Vol. VIII pag. 74*, & qua ſe uſum profitetur *Jo. Henr. Maius*, Theologus Giſſenſis, in Præfatione, præmiſſa *Baſilii Magni de legendis gentilium libris Orationi, cum interpretatione gemina Hugonis Grotii & Leonardi Aretini, Notisque Jo. Potteri*, ab ipſo editæ Francofordiæ A. 1714; niſi forte, quod facile crediderim, hæc illa ipſa eſt editio, quam *Saxius* excuſam Mediolani A. 1474 ſcribit, quippe quam & ipſe ait nota anni & typographi carere, coniectura autem non adeo improbabili ductus, huic & anno & typographo tribuendam putat. Sed exſtat etiam, teſte *Maittairio*, utriusque operis, *Kergeriani* & *Baſiliani*, inter ſe coniuncti, editio antiqua,

Brixiæ

Brixiæ A. 1485 prelo *Bonini de Boninis de Raguſia* emiſſa, cui acceſſerunt *Guarini Præfatio in Plutarchum*, *Plutarchi libellus de puerorum educatione*, & *Hieronymus de officiis liberorum*. Nihil igitur novi in hac, de qua ſermo nobis, editione Mediolanenſi præſtitum, & unius forte conſilium typographi fuit, bene hac ipſa de libro diu ante cognito merendi. Minime autem dubitaverim, editionum, quæcunque prodierunt unquam, hanc rariſſimam omnium dicendam, non ſolum quod incognita *Maittairio* fuerit, ſed potiſſimum etiam ob id, quod, qui libros, ab A. 1465 ad 1500 Mediolani excuſos, diligentiſſime collegit, & operis *Vergeriani*, præter duas illas, paulo ante nominatas, alias duas editiones, A. 1495 & 1500 in officina *Scinzenzeleri* adornatas, adduxit, in *Hiſtoria literario-typographica Mediolanenſi*, doctiſſimo opere, *Saxius*, de noſtra hac mentionem nullam fecerit, fortaſſe mihi de hoc operis ſui ſupplemento gratiæ non omnino nihil habiturus. Patet hinc, quam curta rei literariæ ſupellex fuerit *Gerb. Jo. Voſſio* & *Petro Balio*, qui antiquiorem operis *Vergeriani* editionem haud ſciverunt illa, quæ cum *Commentariis Joannis Bonardi*, Veronenſis, & aliis aliorum de puerorum educatione opuſculis, Venetiis A. 1502 prodiit. Vid. illius librum *de Hiſtor. Lat. pag. 552*, huius *Diction. hiſt. & crit. Tom. IV pag. 2802*. Sed divites hos dicemus, ſi cum *Conr. Geſnero* comparentur, qui eam tantum, quæ poſtrema omnium

fuit,

fuit, in *Bibliotheca univ.* nominat editionem, Baſileenſem nempe, prelo *Roberti Winteri* A. 1541 excuſam, cui adiectus eſt *L. Vitruvii Roſcii de docendi ſtudendique modo, & claris puerorum moribus*, libellus. De illa *Jo. Bonardi* editione, eiusdemque ad librum *Vergerii* Commentariis, habeo, quæ doceam Lectores, hiſque riſum movere poſſint. Jocularis eſt, & vix ab homine ſano exſpectanda, huius Commentatoris Præfatio: *Anno a nativitate Domini 1493, 7 Kalend. Decembris, ad honorem omnipotentis Dei, & Virginis glorioſæ matris Dei, & Sanctæ Katherinæ Virginis, & Martyris, Advocatricis noſtræ, cuius hodie ſolemnia celebramus, & totius Curiæ cœleſtis; & ad honorem & augmentum noſtræ illuſtriſſimæ dominationis Venetiarum, cui Dominus totum terrarum orbem ſibi ſubiiciat; ad decorem magnifici Domini Joannis Malipetri, Patricii digniſſimi, cui hoc breve Opuſculum tradidi; ad honorem Veronenſium, eorumque, qui me hortati ſunt, & meorum ſcholarium, qui me rogaverunt, ad utilitatem, novum opuſculum inchoo ego Joannes Bonardus, Presbyter Veronenſis, indignus, Grammaticos & Poetas legens Liniaci, quod amore patriæ, cuius ſum, volo hoc nomine nominari, expoſiturus dictum Opuſculum Petri Pauli Vergerii, in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Sed Præfatione multo pleniora ineptiarum ipſa ſunt Commentaria, quorum lectio talia te docebit, quæ vix aliunde didiceris; tormenta nempe bel-

lica

lica ideo vocata, quod *tormentent mutos*; *Lycurgum Legiſlatorem* idem eſſe, quod *Doctor Lycurgus*, quia *legiſlator* & *Doctor legum* ſint unum idemque; *calculos & conchulas in littoribus maris lectitare* idem eſſe, quod libros legere, agentes de ludo Scachico, & tabulis, ad ludendum aptis, quia *Calculi* (ita ait) *ſunt libri, qui tractant de Scacis, & Conchulæ ſunt libri tractantes de tabulis ad ludendum aptis;* Imperatorem *Titum* deviciſſe Jeruſalem, *quæ Chriſtum crucificavit; C. Marium* fuiſſe filium porcarii; *Julium Cæſarem* in Hiſpania & Gallia *ſtetiſſe* CXI *annos, antequam potuerit ſubiugare;* fuiſſe hunc magnum Oratorem & Philoſophum, & *feciſſe Commentarios*, qui nunc vocentur *Commentaria Cæſaris*, *de quibus feratur*, *quod magnus Turcus quotidie faciat legere talia opera; clepſydram arenariam* eſſe *granellas pulveris*, *quæ deſcendant, & nunquam revertantur;* & quæ alia ſunt infinita, etiam his, qui prorſus rudes literarum ſunt, non ſine faſtidio legenda. Curioſus harum ineptiarum obſervator eſt *Bern. de la Monnoye* in *Menagian. Vol. IV pag.* 22, cuius verba in *Annales* ſuos transſcripſit *Maittairius Tomi II Parte I pag.* 159 *not.* (*e*). Meliore certe dignus Commentatore videri poterat *Vergerius*, quippe in ſtudiis humanitatis ſatis pro illorum temporum ratione diligenter verſatus, & libro hoc, ſermone non minus caſto, quam eleganti, ſcripto, utiliſſima tractandæ educandæque iuventutis præcepta complexus. Huic igitur libro,

partim

partim quod magna in eo dicendi facultas eniteat, partim quod ſit prudenter ſcriptus, ut alii multi, ita inprimis *Paulus Jovius* commendat, hunc *lectum ſe puero in ſcholis* teſtatus in *Elog. doctor. vir. Cap. CI pag. m.* 240. Duæ quaſi libelli, *Ubertino*, Carrarienſi Principi, inſcripti, partes ſunt, quarum altera, *qua ratione in parvis ingenia dignoſcantur, & qua tractanda ſint*, altera, *quæ ſint liberalia ſtudia, quibus inſtitui adoleſcentes debeant*, nos docet. Poſterior hæc liberalium artium, quocunque demum nomine vocentur, velut quoddam armarium haberi poſſit, abundans inprimis optimis exemplis, ex veterum Græcorum Romanorumque memoria petitis. Plura de libro, ſatis fortaſſe Lectorum meorum nonnullis cognito, non commemoro; hoc autem, pro meo in teneram iuventutem ſtudio, libere profiteor, cum, quæcunque unquam de educatione puerorum ſcripta prodierunt, vel ob id inprimis, quod ea in re potiſſima rerum publicarum ſalus ſit poſita, omnium verſari manibus, & ab omnibus legi, ſint digniſſima, optime mihi videri facturum, ſi quis hunc etiam librum, quem ego ob rerum utiliſſimarum copiam facile præferendum ſimilibus multis duxerim, & iuventuti, & eius magiſtris, notiorem, quam huc uſque fuit, nova eius editione effecerit. De vita *Vergerii*, ortu Juſtinopolitani, qui in Græcis literis *Emanuelem Chryſoloram* Venetiis, Florentiæ autem in Jure Canonico *Franciſcum de Zabarellis*,

præcepto-

præceptores habuit, &, iudicio *Raph. Volaterrani* in *Commentar. urban. Lib.* XXI *pag.* 773, *Juriſconſultorum ſuo tempore eloquentiſſimus, ſive mavis dicere eloquentium Juriſconſultiſſimus, ſimul & Philoſophus*, fuit, mortuus, eodem *Volaterrano Lib. IV pag.* 43 teſte, in Pannonia, *contubernalis Sigiſmundi Imperatoris*, (non Patavii, ut in *Lexico eruditorum vernaculo* docemur,) præ ceteris legendi ſunt *l. c. Balius*, & *Lud. Ant. Muratorius*, Celeberrimus Vir, in Præfatione, *Vergerii Vitis Principum Carrarienſium*, editis *Scriptorum rerum Italiæ Tomo XXI*, præmiſſa; quibus etiam ex fontibus ſcriptorum, quæ *Vergerius* præter hunc libellum varia & doctiſſima edidit, haurire notitiam licet. Habet inprimis, cur multum ſe obſtrictum *Maittairio* profiteatur, literatus orbis, de editis in egregio *Scriptorum Italiæ* corpore *Vergerii Vitis*, quas dixi, *Principum Carrarienſium*, eiusdemque *Epiſtolis variis hiſtoricis*, utroque opere ad hunc diem eruditis incognito, ſed meliore ſorte digniſſimo. Inter *Epiſtolas* memorari inprimis merentur duæ, altera *Colutii Florentini* ad *Vergerium pro Libro Vergerii de ingenuis moribus*, altera *Vergerii* ad *Colutium*, *ſive Reſponſio ad Epiſtolam Colutii, pro defenſione libri ſui de ingenuis moribus;* in quarum altera *Colutium* modeſte accuſantem, altera *Vergerium* docte defendentem, admireris. *Vergeriano* Opuſculo aliud, ut diximus, adiunctum eſt, Auctorem habens *Baſili-*

ſilium Magnum, Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopum, interpretem autem *Leonardum Aretinum*, non uno nomine inter præcipua Italiæ & Seculi XV decora numerandum. Inſcriptus eſt, ut vides, hic libellus in editione noſtra: *De liberalibus ſtudiis & ingenuis moribus*; at notat *Laurentius Mehus*, præclaræ doctrinæ Vir, in *Vita Aretini*, huius *Epiſtolarum*, quæ Florentiæ editæ ſunt A. 1741, *Tomo I* præmiſſa, *pag. 70*, quot diverſi exſtent illius operis Codices MSti, tot fere diverſos ei a librariis titulos datos, ut in alio legatur: *Magni Baſilii Liber, per Leonardum Aretinum de Græco in Latinum translatus, ad juvenes religioſos, quibus ſtudiis opera danda ſit*; in alio: *Magni Baſilii ad iuvenes religioſos, quibus ſtudiis opera danda ſit*; in alio: *Baſilii Oratio de ſtudiis ſecularibus, traducta per Leonardum Aretinum*; in alio: *Liber Baſilii Magni, quo pacto gentilium libros inprimis Chriſtianos legere oporteat, translatus per Leon. Aretinum*; in alio: *Baſilii Magni libellus, qui inſcribitur de capeſſendis artibus, a Leon. Aretino translatus*; in alio denique: *S. Baſilii Magni liber ad nepotes, ex Græco in Latinum translatus*. Deceptus hac inſcriptionum diverſitate notiſſimus ille Vitarum ſcriptor, *Niceronius*, diverſas duas opuſculorum *Baſilii* interpretationes, alteram *de liberalibus & ingenuis moribus* libelli, alteram libri *de legendis antiquorum libris*, *Aretino* tribuit in *Memoires pour ſervir a l' hiſt. des homm. ill. dans la rep. des Lettr. T. XXV pag. 287*. Optime, & ad

mentem *Baſilii* accommodate inprimis, librum inſcripſerunt alii interpretes: *Ad adoleſcentes de gentilium libris cum fructu legendis.* Sunt enim Græca *Baſilii*; Πρὸς τὰς νέας, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων. Verterunt hunc libellum plures alii, *Raph. Volaterranus*, *Janus Cornarius*, *Juſtinus Goblerus*, *Franc. Craneveldius*, *Martinus Hayneccius*, & *Hugo Grotius*, de quorum laboribus, quod ſatis eſt, docemur a *Jo. Alb. Fabricio Biblioth. Græca Lib. V Cap. 19 Vol. VIII pag. 74.* Præcipuam autem præ his laudem *Aretinus* habet, non ſolum quod omnium primus illam vertendi curam ſuſcepit, atque adeo, in quo inſiſteret, veſtigium non habuit, ſed quod elegantiæ etiam magis, quam ceteri, ſtudioſum ſe præbuit. Quamvis enim adhuc iuvenis laborem hunc perfecerit, eo nempe tempore, quo Græcis literis operam dabat Florentiæ, maturitatem tamen doctrinæ, miramque elegantiam, doctiſſimi quique in eo agnoverunt. Tale eſt iudicium *Poggii Bracciolini* in *Oratione funebri in obitu L. Aretini*, præmiſſa *Tomo I Epiſtolarum Aretini*, a *Laur. Mehus* editarum, *pag. 122: Cum adhuc Græcis Auctoribus Florentiæ vacaret, tranſtulit. Sermonem quendam B. Baſilii, quem habuit ad diſcipulos inſtituendos, mira dicendi ſuavitate, ut non traducta Oratio, ſed a ſe profecta, videatur.* Recte etiam *Fabricio l. c. diſerta & elegans* hæc *Aretini* interpretatio, ipſe autem *Aretinus M. Ant. Coccio Sabellico* in *Dialogo de Lat. lingua reparat. gravis ac denſus in*

hoc

hoc Baſilii opuſculo *interpres*, vocatur, nec minus ille hoc labore, quam ceteris, quas dedit, Scriptorum Græcorum interpretationibus, meruit, ut *verus & fideliſſimus Græcorum librorum interpres Andronico Theſſalonicenſi* diceretur. Ipſa *Huetii*, cui hoc *Andronici* iudicium, neſcio unde, fuit cognitum, verba dabimus ex *Lib. II de Interpretatione pag. 266: Erat Vallæ æqualis Leonardus Aretinus, de cuius facultate præclarum erat Andronici Theſſalonicenſis iudicium; verum eum quippe & fideliſſimum Græcorum librorum interpretem ſolebat appellare, ceteros autem magis Paraphraſtas.* Idem igitur, quod dicere me alio loco de *Xenophontei libri de vita tirannica* interpretatione, ab *Aretino* adornata, memini, iam quidem profiteri mihi de opuſculo hoc liceat *Baſiliano*, doctis hominibus minus id eſſe, quam meretur, cognitum, nec parum ab his gratiæ initurum, ſi quis de eo denuo edendo cogitaverit. Vetuſtiſſimæ enim, atque adeo inventu rariſſimæ, quæcunque exſtant, huius opuſculi, eleganti ad *Colucium* epiſtola ornati, editiones ſunt, præter unam illam, quam Francofordiæ A. 1714 *Jo. Henr. Maius* curavit, ſed quam nunquam, mallem, quam talem, prodiiſſe, ut hinc famæ partim *Aretini*, partim legentium utilitati, parum ſit proſpectum. Nam, cum ea ſit ad fidem editionis, etſi ſatis antiquæ, minime tamen probæ, ſed erroribus pæne infinitis, quibus tollendis *Maii* nec induſtria, nec acumen, ſuffecit, expreſſa, hinc

ſit, ut, qui ea utuntur ubique fere offendant, &, Latina hæc cum Græcis comparantes, negligentiſſime verſatum in vertendo *Aretinum*, ſibi perſuadeant. Multo autem editione illa melior, & plenior & emendatior, noſtra hæc *Mediolanenſis* eſt, quam qui edidit, videtur mihi in Codicem, ipſius ſcriptum manu Auctoris, incidiſſe, aut propria induſtria id effeciſſe, ut, ſublatis, qui in priorem editionem (illa enim, quam ſecutus eſt *Maius*, poſteriorem noſtram eſſe, haud abnuerim,) irrepſerant, erroribus, magis hæc deinde, quam olim, & integra, & ad mentem Auctoris expreſſa, interpretatio legeretur. Horum errorum unum & alterum non infeliciter ſubodoratus ipſe *Maius* eſt, nec hanc ei laudem negabimus, quod in notis, margini adſcriptis, ſatis acuti emendatoris perſonam ſuſtinuit; at ulcera, quam ille ſanavit, longe plura ſuperſunt, quibus niſi manus medica adhibeatur, aegrum, & tanquam ſanie infectum, totum illud corpus erit. Id ut certius intelligant Lectores, & integritati ſuæ reſtituatur, quæ ex illa *Maii* editione haud parum periclitatur, fama *Aretini*, denique ut futurus aliquis editor hæc edendi a nobis ſubſidia habeat, variarum lectionum, quæ nobis, editionem utramque diligenter conferentibus, ſunt collectæ, quendam velut indicem hic dabimus; qui quo moleſtior labor eſt, hoc maiorem nobis de eo gratiam habituros Lectores confidimus.

EDIT.

EDIT. MAI.	EDIT. MEDIOL.
In PRAEFATIONE ARETINI AD COLUCIUM SALUTATUM:	
Ubi eiuſcemodi rerum	*Ubi eiusmodi rerum.*
Neque enim idnunc ago	*Nec enim i. n. a.*
Summis erga me officiis ſatisfacere poſſi	*Summis erga me beneficiis ſ. p.*
Deguſtationem aliquam	*Deguſtationem quandam.*
Cuperem pro tuis ſingularibus meritis	*Cuperem tuis ſ. m.*
*Hunc * tibi librum transſcripſi.*	*H. t. l. transmiſi.*
Et iam non parvis munuſculis, ſed maioribus, tecum agam	*Et iam non parvis, ſed maioribus, tecum agam muneribus.*
Sed ad vertendi laborem referri volo.	*S. a. convertendi l. r. v.*
Ei adiicit Baſilii nomen	*Ei libello a. B. n.*
Ceteris ferme omnibus exiſtimetur præcellere.	*Ceteris omnibus fere exiſtimetur excellere.*
Hunc potiſſimum delegimus, maxime cum conducere ad ſtudia noſtra arbitrati ſumus.	*H. p. d. quod r a i ne eum c. a. ſt. n. a. ſ*

Quod bis contingit fere, qui ea.	Quod iis contingit fere omnibus, q. e.
IN PROLOGO BASILII.	
Quippe & huiusmodi ætas.	Q. e. huiuſcemodi æ.
Quod omnia maxime docet.	Q. o. m. decet.
Quam tutiſſime proficiſcuntur.	Qua t. p.
Nemo eſt propinquior.	N. e. vobis p.
Erga vos nec minus benevolentiæ.	E. v. non m. b.
Niſi forte me veſtra fallit opinio.	Niſi forte mens veſtra me fallit.
Sin minus, ego ſane nil moleſtum dicam.	Si minus, ego ſane nihil moleſtius dicam.
CAP. I.	
Nos quidem, o filii.	Nos quidem, filii.
Neque appellandum.	Nec a.
Ad hanc vitam conferunt.	A. h. v. conferant.
CAP. II.	
Quænam tamen iſta ſit, & quo pacto.	Q. t. i. ſ. vita, e. q. p.
Ad percipiendum.	Ad præcipiendum.
Sed ab illius vitæ bono.	Sed a minimo i. v. b.
Humana ſimiliter collecta.	H. ſimul c.

Quantum

Quantum in omni re.	Quanto i. o. r.
CAP. III.	
Per aetatem nobis.	P. æ. vobis.
Eos imitantes.	Illos i.
Cuius gratia cuncta tentanda.	C. g. omnia t.
Ut in delebilis ſit apud nos probitatis ſententia.	U. indebilis ſ. a. n. p. ſcientia.
CAP. IV.	
Convenientia utriusque.	C. utrinque.
Ad potioris vitæ confirmationem.	Ad potioris confirmationem.
Animæ quidam præcipuus fructus eſt.	A. præcipuus quidem f. e.
In ſapientia nomen.	In Philoſophia nomen.
Quam in Ægyptiorum.	Quam Ægyptiorum.
Eadem ferunt de Daniele.	E. f. poſterius d. D.
CAP. V.	
Quales illi fuere.	Quales ipſi fuere.
Cum vera in improborum.	Cum vera improborum.
Non igitur laudabimus poetas.	N. i. laudamus p.
CAP. VI.	
Verum iter vitæ elegimus.	V. i. vitæ e.

Interdicta ſunt mendacia.	*I. ſ. iudicia.*
Oratores amplectemur.	*O. complectemur.*
Nihil ſumunt præter colorem	*N. ſ. præter odorem atque colorem.*
Apes vero & mella.	*A. v. etiam m.*
Qui non ſolum verborum feſtivitatem.	*Q. n. ſolam v. f.*
Cum id exceperimus.	*C. i. excerpſerimus.*
Dorico proverbio dirigentes.	*D. p. redigentes.*
CAP. VII.	
Plena eſt via.	*Plena via.*
Ad cacumen evadere.	*A. culmen e.*
Ut via illa levis ſit.	*U. v. i. lenis ſ.*
Acutiſſimus habetur.	*A. habebatur.*
Niſi quid interdum.	*Niſi ſi quid i.*
Naufragio eiectum, tam ſpectabilem fuiſſe.	*N. e. tantum abfuiſſe.*
Illum dixit honoratum: ut primum regina reverita ſit eum.	*I. d. ornatum: & primum regina eum reverita ſic.*
Ab Diis.	*A Diis.*
Solebat ille Poetarum interpres hoc in loco clara voce clamare.	*Aiebat i. p. i. h. i. l. Homerum c. v. c.*

S. vo-

Sit nobis cura.	S. vobis c.
Huc illucque.	Huc & illuc.
Divitias affluere.	Divitiis affluère.
Hæc eadem a Prodico.	H. e. fere a. P.
Herculem, cum is adoleſcens eſſet, veſtræ ferme ætatis, diu ſecum multumque dubitaſſe.	H. c. i. admodum a. e. & v. f. æ. d. ſ. m. cogitaſſe.
Fluentem deliciis.	Fluentem divitiis.
Talia e contra dixiſſe.	T. & c. d.
Herculem ſecutum fuiſſe.	H. ſ. f. dicit.

CAP. VIII.

Ut quisquis maxime potuit.	U. quisque m. p.
Lyram ſibi diſſonari.	Liram ſ. diſſonare.
Neque vitam.	Nec v.
Bonus videri.	Bonum v.

CAP. IX.

Cum facta maiorum.	Cum autem præclara (ſ. m.
Conſervata ſunt.	Conſervata ſint.
Utilitatem negligimus.	U. negligemus.
Nihilo eſt iratus.	Nihilo irritatus.
Proſecutus eſt ipſum.	Perſecutus é. i.
Quam longa eſſet.	Quam longa eſſet hæc.
Facturum iuramento	F. eſſe i.
Ne ſibi infenſus foret.	N. ſ. infeſtus f.

Quod operæ pretium eſt.	*Quam o. p. e.*
Iam ita efferveſcenti um.	*Iam ira e.*
Nequaquam eſt credendum.	*N. e. ſimpliciter c.*
In inimicos armabit ira manus.	*Inimicas a. i. m.*
Attractionis freno moderandum eſt.	*At rationis f. m. e.*
Se permiſit.	*Seſe p.*
Nihil aliud egit, quam quod fronti ſuæ inſcripſit. Voculam *quam* omiſſam ab *Aretino* ait *Maius* in nota, margini adiecta; at in editione *Mediolanenſi* pro *quam* legitur *niſi.*	*N. a. e. niſi q. f. ſ. i.*
Benigne illas.	*Et b. i.*
His poſtea præceptis.	*Is p. p.*
Ut ab omnibus prædicabatur.	*Et a. o. p.*
Non; conſumet.	*Non conſumat.*
Quia ad id concupivit.	*Quia id c.*
Non data opera.	*Non dedita o.*

CAP. X.

Nobis percipienda ſunt.	*Nobis recipienda ſunt.*

Sed

Sed tamen utilia. Ubi recte *Maius* in nota coniicit, legendum *tantum*, quod eſt in *Mediolanenſi* editione.	*Sed tantum utilia.*
Abſurdum eſt.	*Abſurdiſſimum eſt.*
Quibus animus alitur, rationem nullam habere.	*Quibus alitur, eius r. n. h.*
Nos ab eiusmodi.	*Hos ab huiusmodi.*
Finis aliquis eſt.	*Finis aliquis.*
In vitæ iactemur.	*In vita iactaremur.*
Nec Milo.	*Neque Milon.*
Milo vero.	*Milon vero.*
Placida deliniret.	*Placida leniret.*
Ad comiſſationes epulasque.	*Ad comeſſatores e.*
CAP. XI.	
Pugilum exempla.	*Pugilum mentionem.*
Victitarint.	*Victarint.*
Ita inſtituti.	*Ita inſtituti ſint.*
Donentur, victoresque a præcone.	*Donentur. Victores a p.*
Altera manu capeſſere.	*A. m. capere.*
Sane eſſet inertia.	*Sane etiam i.*
In hac vita ſimile.	*I. h. v. eſſe ſ.*
Non igitur deſidendum.	*N. i. diffidendum.*

Niſi velimus convicia.	*N. v. & c.*
CAP. XII.	
Curam animæ habendum.	*C. a. habendam.*
Summa coget neceſſitas.	*S. cogit n.*
Artibus imbuenda.	*A. i. eſt.*
Graviſſimo domino.	*Et g. d.*
Virga ignem dividentes.	*Vere i. d.*
Reſtide amiciatur. Ubi elegans *Maii* coniectura eſt, *Xyſtide* legendum.	*Xyſtide amiciatur.*
Ne quid ſupervacui moliamur.	*N. q. ſupervacue m.*
Nec intelligentis ſapiens illud.	*N. i. illud ſapiens præceptum.*
CAP. XIII.	
Dixiſſe dicitur.	*Iusſiſſe dicitur.*
Corrupta & ſalubri Muſica. Ubi pro & legere *aut* iubemur a *Maio*.	*Corrupta, an ſalubri.*
Qui odorem delectent, aeri miſcere.	*Qui odoratum delectent, aeri immiſcere.*
Quæ geſtu, aut tactu, fiunt. Ubi recte *Maius*, pro *geſtu* legendum *guſtu*, ſuadet.	*Q. guſtu a. t. f.*

Niſi quis caveat.	*N. q. eas c.*
Femini ſervire nos.	*Femori ſervire eos.*
CAP. XIV.	
Tantum indulgendum.	*Tantum ei i.*
Platoni & Paulus monet.	*Plato & P. m.*
Negligunt, nihil.	*Negligunt, hi nihil.*
Quam optime habeant.	*Quam optima h.*
Exercitationibus.	*Exercitationibusque.*
CAP. XV.	
od ſi corpus contemneremus, quid opus eſſet divitiis, ſi voluptates corporis aſpernaremur. Ipſe hic, omiſſa quædam, ſubodoratur *Maius;* ſed, quæ deſunt, haud ſupplet.	*Quod ſi corpus continere aſſuefacti eſſemus, parum cetera huius vitæ admiraremur. Quid enim tibi opus eſſet divitiis, ſi voluptates corpori aſpernarere.*
Sufficientia autem non ipſa libidine.	*S. a. ipſa non l.*
Utendum eſt.	*Utendum.*
Adſint talenta.	*Adſunt talenta.*
Oportet autem.	*Oporteret autem.*
Faſtidio quodam.	*Et f. q.*
Alter Iunonem effinxit. Omiſſum *Argivis*, bene ſuſpicatur *Maius.*	*Iunonem Argivis effinxit.*

CAP. XVI.	
Oportet autem veram rationem.	*Non autem v. r.*
Ipſe modo laudabit.	*Ipſe quoque modo l.*
Colorem mutat.	*Colorem permutat.*
Sententiam mutabit.	*Variabit ſententiam.*
CAP. XVII.	
Addiſcemus perfectius.	*Dicemus perfectius.*
Si parvum parvo addas.	*S. p. p. ſuperaddas.*
Augmentum recte dictum.	*Augmentum dictum.*
Unus e ſeptem.	*Unus ex ſeptem.*
Spatio definivit.	*S. definiunt.*
Apud nos Mathuſalæ.	*Apud noſtros Matuſalem.*
CAP. XVIII.	
Sequi aggrediamur.	*S. aggrediemur.*
CONCLUSIO.	
At hi, qui.	*At ii, qui.*
Quod vos non patiamini.	*Quos vos n. p.*

Sunt in his, fateor, lectionibus, quarum diverſitatem noſſe, parum intereſt Lectorum; nec ubique præferendam editioni *Maianæ Mediolanenſem* contenderim, quippe quæ & ipſa ſuis paſſim maculis, etſi valde modicis & tolerabilibus, laborat; at illud tamen facile omnes intelligunt, plurimis in locis ex noſtra hac *Mediolanenſi* ſatis feliciter emendari illam *Maii*

poſſe,

poſſe, & iniuſte facturum; ſi quis librariorum errores, & ſcripturæ illa vitia, quæ in *Maianam* editionem magno numero irrepſerunt, ipſi tribuenda *Aretino* duxerit. De vita & ſcriptis *Aretini* tam copioſe actum eſt, ut alios taceam, a *Laurentio Mehuſio*, doctiſſimo Viro, in *Vita Aretini*, huius *Epiſtolis* præmiſſa, ut, ad hanc legendam invitaſſe Lectores meos, idem ſit, ac hiſtoriam meritorum *Aretini* pleniſſimam tradidiſſe.

II. Juliani Ducienſis de Imola Oratio, pro principio inclyti Bononienſis Studii habita anno Domini MCCCCLXXXXII, regnante ill. Jo. Ben. ſecundo. Bononiæ, impreſſum accuratiſſime per Hieronimum de Pullis & Joannem de Mazochis, Anno Domini MCCCCLXXXXII, regnante inclito Principe Joanne Bentivolo ſecundo, pacis & concordiæ auctore. 4.

Quis ſit *Julianus* ille *Ducienſis de Imola*, cuius hæc eſt Oratio, nec ego ſcio, nec Lectorum meorum fortaſſe unus. Obſcurum id nomen Biographis, etiam his, qui minutiſſima quæque conſectantur. Legum in Academia Bononienſi Profeſſorem publicum fuiſſe, ipſa hæc docet Oratio, quippe ſub muneris Academici auſpiciis recitata. Nulla autem eius, aut certe valde exigua, in Academiam Bononienſem merita fuiſſe, inde colligo, quod nec *Orlandus* in opere, *Notizie degli*

de gli Scrittori Bologneſi inſcripto, nec *Alidoſius* in ſimili, cui titulus eſt: *I Dottori Bologneſi di Teologia, Filoſofia, Medicina, ed Arti liberali, dall' anno 1000 per tutto Marzo del 1623*, nec ſi qui alii doctorum Bononienſium hiſtoriam ex inſtituto tradiderunt, ullam eius hominis mentionem fecerint. Nec ſane dignus is fuit, cuius memoria ad poſteros transmitteretur, ſi quidem præter hanc Orationem ſcriptorum nihil edidit, & ex una hac de doctrina eius iudicium ferendum eſt; nec digna hæc eſſet, de qua tria verba faceremus, Oratio, niſi partim ab antiquitate, partim ab eo, quod *Maittairio* fuit incognita, partim etiam a nomine typographorum, quos & ipſos ignorat *Maittairius*, aliquantulum ei eſſe pretii videretur. Ineptiſſima, ſi qua alia, & bono ſenſu vacua, Oratio; in qua argumenti ſatis vulgaris, & ante *Julianum*, a maximis Oratoribus multo excellentius explicati, puerilis quædam ac pæne ſcurrilis tractatio, floſculorum, undecunque decerptorum, malus odor, intoleranda dictionis barbaries, & elumbes putidæque formulæ, inter ſe quaſi de palma certant. Nimirum legum demonſtrandam excellentiam ſumit Orator noſter, auditores nos ad plaudendum faciles habiturus, ſi id pro dignitate rei præſtiterit. Id agens, cum *nulla aſſertionis imbecillitas ſacra valeat enumerare myſteria, niſi ſuperno fuerit erudita magiſterio*, cumque *principium cuiusque rei potiſſima ſit pars, maſculus* autem *ex foemina non ſuccedat in feudo*,

do; *quia habili initio caret*, ideo initium dicendi a precatione facit, *Deorum potentia futurum ſperans*, ut *vires ſibi augeantur, timor evellatur, levior* iſte *labor fiat*. Hos igitur, quaſi furore quodam actus, Orationi verſiculos intexit:

Phoebi magna parens ſalve, cœlique potentis
Et decus & ſplendor, nunc mihi caſta fave.
En miſer huc venio: ſupplex quoque limen adoro:
Diva potens ſacrum, tu miſerere mei.
Non quæruntur opes, non pondera vana metalli,
Sed petimus veniam, virgo beata, tuam.
Ergo adſis, &, quæ toto veneraris in orbe,
Oranti faveas: en Julianus ego.

Sic, *fretus cœleſti auxilio, ad operis conſtituti expeditionem fidentiori feliciorique animo condeſcendit*, primo, *multiplicem eſſe legem*, dicens: aliam divinam, quæ natura; aliam humanam, quæ moribus, conſtet; aliam antiquiorem, quæ dicatur teſtamentum; aliam naturalem, quæ faciat omnia communia; aliam ſpiritus, quæ inſtinctu Spiritus ſancti cordi inſeratur; aliam carnis, quæ absque culpa ſit in

corpore non ſentientis; aliam privatam, quæ idem ſit, quod lex ſpiritus; aliam publicam, quæ a ſanctis Patribus ſit tradita, ut lex canonum; aliam denique coniugii, quæ in baptiſmo non diſſolvatur. Inde in primos legum conditores inquirens, longo ordine antiquiſſimarum gentium legislatores perſequitur, ſed vera ubique anilibus fabulis miſcens, quas vel dupondii noſtri cum riſu & faſtidio excipiant. Ad Romanam rempublicam delatus, nihil eorum, quæ ipſi de ea comperta fuerunt, ignorare nos patitur, varias eius ab ipſa inde origine ad ultima uſque Imperatorum tempora mutationes, & varias legum ferendarum rationes, percenſens, & parte hac Orationis integram Juris Romani hiſtoriam, ſed eheu! quam macilentam, & ex fœtidis hauſtam fontibus, complectens. Tum legum originem ipſi Deo tribuit, idque ſic demonſtrat: *Lex enim donum eſt perfectum, ut Martianus, Juriſconſultus optimus, ff. de Legibus inquit. Omne bonum perfectum deſuper eſt datum, a patre proveniens: ab eodem ergo leges provenire, iure dixerim. Similiter legitur Eccleſiaſtici primo Capitulo: omnem ſapientiam a domino Deo eſſe, & cum illo ſemper fuiſſe. Lex autem bona eſt ſapientia, ergo a domino eſt tradita.* Nec ita multo poſt Deum ipſum legem dicit, his utens, exquiſitiſſimis nempe, rationibus: *Interpretantur namque ſacra ſcribentes, quod mandatum eſt lucerna, lex vero lux eſt & via vitæ. Quid enim aliud eſt lux, niſi ipſe Deus*

us

us & Ieſus Chriſtus, *teſtante Evangeliſta: Ambulate*, *dum lucem habetis*. Quæ deinde de excellentia legum dixit, deſumta ſunt ex dictis aut Scripturæ ſacræ, aut Patrum, aut Jureconſultorum veterum, hic in quendam velut acervum conſtipatis, &, ſi utendi rationem ſpectes, crudeliſſime tractatis. Non his recitandis, quæ parum iucunditatis habent, & vix digna ſunt illis Gothorum ac Longobardorum tenebris, delicatas Lectorum aures fatigabimus, qui, neminem, putamus, lectis his, quæ modo ſunt allata, cupidum ſciendi cetera futurum. Si quem ego harum rerum ſenſum habeo, digniſſima deformi illo habitu, quem ei addidit typographus, Oratio eſt, digna etiam, cuius, ſi qua, præter hoc noſtrum, exſtant, exemplaria vermibus in prædam cedant, ut ſic pereat memoria ſtupidiſſimi ingenii, quod in illo legum publico doctore fuit, nec Italia, doctis hominibus, etiam illa ætate affluentiſſima, de miſerrimo hoc Muſæ invenuſtæ fœtu iniuſtas ſeræ poſteritatis reprehenſiones incurrat.

III. Baptiſtæ Guarini funebris Oratio in excellentiſſimam Reginam Eleonoram Aragoniam, inclyti Ducis Herculis Eſtenſis coniugem, habita quarto idus Octobres MCCCCXCIII. 4.

In eo ſimilis hæc *Guarini* Oratio illi alteri *Juliani* eſt, quod plurimorum, qui de vita

& ſcriptis *Guarini* ex inſtituto commemorarunt, nec horum tantum, ſed ipſius etiam *Maittairii*, vetuſtiorum librorum conſervatoris, notitiam effugerit. Exſtare Orationes *Guarini*, multi ſcribunt, ſed, quæ ſint illæ, qua occaſione ſcriptæ, quo tempore & loco editæ, nemo docet. Unus *Scipio Maffæus*, cuius haud vulgaris eruditio ſatis cognita omnibus eſt, hanc nominat Orationem in *Verona illuſtrata P. II. Lib. III pag. 82*, ſed nominat tantum, nihil de ea præterea notatu dignum profert. Tales autem Orationes, qualis hæc eſt, præ ceteris vindicari ab interitu, &, ſqualore vetuſtatis purgatas, ad lucem revocari & nitorem, cuperem, non ſolum quod ex his exempla peti, præſtantiſſimorum hominum res geſtas condigna laudatione proſequendi, poſſint, ſed inprimis etiam ob id, quod hinc lucem accipiat ſuperiorum temporum hiſtoria, & res maxime illuſtres, quas non ignorari, omnium intereſt, ſæpiſſime aut cognoſci hinc primum, aut melius, quam aliunde, intelligi, aut certe illuſtrari, poſſint. Orationem hanc *Guarini* duo maxime commendant: *Ciceroniani* ſermonis gravitas, & argumenta laudum a rebus geſtis, non ab oratoriis pigmentis, petita. Ita enim hic delineata *Eleonoræ*, quæ, *Herculi*, Duci Ferrarienſi, nupta, ideo, quod *Ferdinandi*, Regis Aragonii & Neapolitani, filia, *Alphonſi* autem, Regis item Neapolitani, ſoror, fuit, *regina* dicitur Auctori, imago exhibetur, ut ad vivum expreſſa, non

ex

ex ingenio confiſta, videatur, nec, fidem habere dictis Oratoris, etiam prolixiſſime laudantis, difficile ſit lectori, quod per ſe laudabilia, quæ narrantur, facta ſint, eademque publice & ante oculos omnium geſta. Docent hæc facta, præclariſſimis & vere regiis virtutibus ornatam fœminam fuiſſe, ſuæque genti candidiſſimo exemplo præluxiſſe. Cetera, quæ in ea magna & egregia fuerunt, hiſtoriamque fatorum eius, concinne in nervum contraxit *Guarinus* ea oratione, qua fingit morientem reginam adſtantes allocutam: *Ego, altiſſima ſtirpe orta, in illuſtriſſimam Eſtenſem domum, cuius res geſtæ totum orbem gloria compleverunt, tradita ſum; clariſſimo Principi & optimo coniugi nupta fui; ſobolem pulcherrimam, & præſtanti ingenio præditam, genui; filias excellentibus imperio, & omni laude cumulatis, Principibus collocavi; ex filiis unum Cardinalem vidi; alium apud Sereniſſimum Galliarum Regem non mediocri cum dignitate victurum ſpero; eum vero, qui eſt omnium natu primus, maximo & Cæſareæ maieſtatis Imperatori Maximiliano ac potentiſſimis Ducibus affinitate coniunctam intueor, eundemque parentis hæredem ſucceſſoremque fore, non ambigo. Nihil eſt amplius in fortunæ bonis, — — quod longior mihi vita poſſit afferre.* Unum eſt, in quo aut ſuperſtitioni, aut oratoriæ licentiæ, nimium a ſe datum, ipſe fortaſſe agnoſcat, ſi quidem tale quid exſpectare ab homine in mediis ſuperſtitionis tenebris vivente liceat, *Guarinus* noſter. Inaudita, ſi eum audias, mortem

Reginæ prodigia præceſſerunt, ſol ipſo meridie obſcuratus, per totam Italiam largiſſimi imbres, inſolitæque fluminum inundationes. *Harum*, inquit, *virtutum magnitudinem ea res etiam facillime comprobare poteſt, quod non modo a Mathematicis prænuntiatus fuerat Eleonoræ ipſius interitus, ſed etiam ſol ipſo meridie obſcuratus, & tota ferme Italia tum largisſimis imbribus, tum fluminibus reſtagnantibus, inundata, ac pæne demerſa, aliquid ſignificationis portenderunt. Solent enim ſanctarum excellentiumque perſonarum obitus prodigiis aliquando cæleſtibus præmonſtrari: quaſi dolentibus ipſis quoque aſtris, divinos homines tam cito a miſeris & ope indigentibus mortalibus ſeparari atque divelli.* Ceterum id maxime Oratione hac *Guarinus* egit, ut pro immortalibus beneficiis, quæ in ſe collata ab illuſtriſſima hac Principe ſcribit, aliquod grati animi documentum ederet. Subiectum eſt Orationi Epigrammá eiusdem *Guarini*, quo & ipſo laudes *Eleonoræ*, etſi breviter, ſatis tamen eleganter, complexus eſt;

Quid quaſi defunctam luctu decoratis inani?
Non obiit, cuius gloria tanta manet.
Vivit forma decens, animo coniuncta pudico;
Vivit Aragoniæ Nobilitatis honor.
Vivit clara fides, probitas, clemensque poteſtas;
Et comis gravitas, ingeniique vigor.

In

Inque Deum pietas, & caſtus coniugis ardor,
Paupertatis amor, munificæque manus.
Denique, dum patriæ matrem bona fama loquetur,
Vivet apud populos Eleonora ſuos.

Quo aut loco, aut anno, quicquid eſt huius libelli, prodierit, non ei ſubnotatum invenio. Itaque coniicere nobis liceat, cum A. 1493 Ferrariæ dicta ſit Oratio, editam eodem & anno & loco fuiſſe, nec typus literarum alius eſt, ac in pluribus libellis, ſub Seculi XV exitum excuſis. Duas autem maxime A. 1493 Ferrariæ officinas floruiſſe, alteram *Andreæ Galli*, alteram *Laurentii de Valentia & Andreæ de Caſtro novo*, diſcimus ex *Maittairii Tomo II Indicis Annal. typ. pag. 387*; quarum alterutri tribuemus typographicum hunc fœtum, uſque dum certiora aliunde quis attulerit. Auctorem Orationis, *Guarinum*, doctiſſimi parentis, *Guarini Veronenſis*, æque doctum filium, ſtrenuum literarum elegantiorum in Italia vindicem, amicum & æqualem *Politiani*, *Herm. Barbari*, *Jo. Pici*, & ſimilium multorum, fama denique doctrinæ & ſcriptorum clariſſimum, ſi quis forte, quod minime puto, ignorat lectorum, is, lectis iis, quæ præter alios diligentiſſime tradita ſunt a *Girol. Ghilini* in *Teatro d' huom. lett. P. I. pag. 27*, *P. Bælio* in *Dict. hiſt. & crit. T. II pag. 532*, *Scip. Maffæo l. c. Jo. Alb. Fabricio* in *Bibl. med. & inf. Lat.*

Lib. VII pag. 351, & *Ferrante Borſetti Ferranti Bolani* in *Hiſtoria almi Ferrariæ Gymnaſii P. II pag. 41*, non magis memoriæ excellentis Grammatici, quam mihi ipſi, illam hic renovanti aliqua ex parte, atque adeo poſteris commendanti, favebit.

IV. *Ludovici Imolenſis, ex Ordine Minorum Theologiæ Profeſſoris, Oratio ad populum Bononienſem tempore, quo generale Fratrum Minorum Concilium in civitate Bononienſi eſt celebratum Anno MCCCCLXXXXIV. 4.*

Ad cives Bononienſes, atque adeo in ipſa urbe Bononia, cum habita ſit Oratio; in eadem editam fuiſſe, non eſt dubium. Nomen autem typographi, cuius officina exiit libellus, cum ſui ipſe nullum hic fecerit indicium, nemo a me cognoſcet. Typographos Bononienſes ad annum 1494 varios nominat *Maittairius* in *Indice Annal. typ. P. II. pag. 389*; ſed, cui horum recte hunc fœtum tribuas, non hinc intelliges. Eidem *Maittairio* incognita, certe haud notata in *Annalium* opere, iſta *Ludovici* Oratio fuit; atque hæc cauſa eſt, cur eius non prætermittendam hic mentionem duxerim, quantulumcunque demum ſit, quod de ea commemorari poſſit. De Auctore eius nihil mihi aliud dicere, quam quod ipſa Orationis docet

in-

inſcriptio, licet fuiſſe Ordinis Minorum ſocium, & Theologiæ in Bononienſi, ni fallor, Academia Profeſſorem. Cetera in obſcuro latent, nec quisquam eſt ſcriptorum, ſive Bononienſium, ſive qui fata doctorum hominum ex inſtituto tradiderunt, cui vel nominatum inveniam hunc *Ludovicum*. Unus eſt *Waddingi de Scriptoribus Ordinis Minorum* liber, unde facile putem hauriri huius *Ludovici* notitiam poſſe: nihil enim facile, quod ſpectet ad literariam illius Ordinis hiſtoriam, ſcriptor iſte præterire ſilentio ſolet, at neſcio, quo meo fato fiat, ut iam nunc negetur mihi uſus huius libri ab his, qui olim ſæpiſſime permiſerant. Sufficiat igitur, indicaſſe fontem, quo alii, ſi quidem poſſunt, felicius utantur. Fortaſſe cognatione iunctus fuit *Ludovicus* iſte *Imolenſis Iuliano* illi *de Imola*, paulo ante nominato, cuius & ipſius famam inter eruditos dixi nullam eſſe. Sed maiori, ni fallor, iure illius memoria contemta poſteritati iacet, quam *Ludovici* huius, Oratoris quippe ſatis facundi, et, ut ineptiarum, quæ ſunt in illa *Juliani* Oratione innumerabiles, minus ſtudioſi, ita ad veterum maxime Oratorum, ſive res, ſive verba, ſpectentur, exemplum ſe componentis. Habendæ huius Orationis inde nata Auctori occaſio eſt, quod generale (ita dicitur) Concilium habituram A. 1494 religioſam Minorum ſocietatem, ſuis penatibus hoſpitioque liberali exceperant Bononienſes cives, ac per omne illud tempus, quo celebratum eſt Con-

cilium, victum ei, & quæcunque ad neceſſitatem vitæ pertinent, large lubenterque præbuerant. Quod ut apud homines gratos collocatum beneficium oſtenderent Minores, uni ex ſociis ſuis, *Ludovico* nempe *Imolenſi*, communi quodam decreto in mandatis hoc dederunt, ut iſtam civitatis Bononienſis de Ordine ſuo bene merendi facilitatem publica Oratione celebraret, hisque, totius Ordinis nomine, felicitatem, &, quæcunque a Superis proficiſci ſolent, bona, precaretur. Itaque factum hoc a *Ludovico* Oratione præclara, atque tali omnino, qua perſuaderi facile audientibus poſſet, non ſolum pie laudabiliterque a Bononienſibus numeroſum illum pauperrimorum hominum exercitum beneficiis & alimentis donatum, ſed bene etiam in poſterum facturum, ſi quis, imitaturus nobile hoc Bononienſium exemplum, ſimili liberalitatis genere eundem ſibi Ordinem devinxerit. Partes Orationis duæ ſunt, quarum altera de Bononienſis urbis dignitate & excellentia, deque feliciſſimo eius ſtatu, altera de beneficii, Ordini Minorum a Bononienſibus præſtiti, magnitudine, agitur, & pro æterna urbis fortuna vota nuncupantur. Meretur inprimis ea ex parte ab omnibus legi Oratio, qua hiſtoria urbis, antiquitas, fata, memorabilia multa, maxime vero ſtatus literarum, exponuntur, ſimulque viri docti, qui Bononiam ſcriptis ſuis illuſtrarunt, condignis laudibus celebrantur. Sunt hæc breviter, ſed ita, ut ſufficere illarum rerum

rum curioſis poſſint, ceterum eleganter etiam, atque dicendi genere tam caſto & polito, narrata, ut, in Oratorum minime vulgarium numero ponendum hunc *Ludovicum* eſſe, haud difficile hinc poſſit intelligi.

V. Gregorii Amaſëi, Utinenſis, Oratoris facundisſimi, Oratio de Laudibus ſtudiorum humanitatis ac eloquentiæ. Impreſſa Venetiis per Bernardinum Venetum de Vitalibus, Anno Domini MCCCCCI die XV menſis Januarii. 4.

Quod ſæpius me conqueri, bone Lector, de vulgaribus, qui magno numero exſtant, & noſtris curioſe manibus tractantur, Biographis meminiſti, mancam mutilamque eſſe horum in conſervanda virorum haud vulgariter de literis meritorum memoria induſtriam, hisque plurimorum, qui magnam ſua ætate doctrinæ & ſcriptorum famam habuerunt, ſive fata, ſive res præclare geſtas, indigniſſimo ſilentio premi; id ipſum conquerendum mihi hoc in loco vel maxime intelligo, quo de vita & meritis unius ex clariſſimis Academiæ Venetæ Profeſſoribus, & in ſtudiis humanitatis prorſus excellenter verſati, ita negligenter, video, ut de nullius æque, commemorari. *Romulum Amaſeum*, nobilem Seculi XVI Grammaticum, omnes norunt, omnes iis, quas me-

retur,

retur, laudibus condecorant; at patrem eius *Gregorium*, æque illuſtrem Seculi XV Grammaticum, atque hoc magis poſteritati commendari dignum, quo maiori ipſe iure inſtaurati in Italia literarum decoris ſibi vindicat gloriam, qui memoret, aut nemo oſtendi, aut certe pauciſſimi, poterunt. Uni ex illorum grege *Joſiâ Simlero* in *aucta & recognita Bibliotheca Conr. Geſneri pag.* 20 tria hæc verba exciderunt: *Gregorius Amaſeus Fori Julii tabulam deſcripſit, quam ab Auctore ſe habuiſſe, inquit Leander in ſua Italia*; unde, quis genere, quis patria, quis dignitate, quis meritis, fuerit *Gregorius*, tu, ſi id potes, diſces, Lector. Ignavum hoc Scriptorum, quos vel maxime decebat in notandis *Amaſei* rebus diligenter verſari, ſilentium meam vel maxime accendit induſtriam, ut, ſi quid mihi ex æqualibus *Gregorii* ſcriptoribus, aut aliunde, cognoſci poſſet, id curioſe veſtigarem, & ſupplemento aliquo, ſi fieri poſſet, literariam hiſtoriam augerem. Quo meo ſtudio, etſi non tantum, quantum optaveram, effeci, impetraſſe tamen mihi illud videor, ut de fatis *Gregorii* bene multa, de doctrina & ſcriptis eius non omnino nihil, docere Lectores poſſim. Utiliſſima mihi eam in rem Orationis, quam manibus tenemus, lectio fuit, quod de ſuis ipſe rebus ſatis in ea diligenter commemoret, omnemque ſtudiorum ſuorum quaſi formam & rationem deſcribat. Hæc igitur cum ſint plene & accurate enarrata ab Oratore noſtro,

noſtro, nec quemquam putem futurum Lecto-rum meorum, qui non ex ipſis hæc malit Auctoris verbis, quam ex meis, intelligere, eam Orationis partem, qua hæc pertractantur, inprimis cum ſit continua, nec rebus alienis interrupta, haud incommode huc transſcribemus. *Quibus* (liberalibus artibus), ait *Amaſeus*, *cum me ab ineunte ætate penitus mancipaſſem; Grammaticis primo, mox Poetis, Hiſtoricis, ac Oratoribus, addictus, non multo poſt (utpote qui nondum exceſſerim ex ephebis,) eximio Viro, Marco Antonio Sabellico, in diatribam ſucceſſi; cui quidem ætate noſtra ſingulari naturæ munere datum eſt, ut & antiquos elegantia carminum provocaret, atque eisdem (quod ſummi eſt artificii) pedeſtri oratione non cederet. Cœpi itaque in propria patria, atque in ipſius patriæ noſtræ metropoli, Utini, publico ſtipendio profiteri, ubi quantum profecerim, aliorum fuerit de me iudicium. Quo ſolutus officio, cum ſapientiſſimorum virorum auctoritate intelligerem, ita inter ſeſe colligatas eſſe diſciplinas, ut inſeparabili catena coniunctæ diſſolvi non poſſent, adeo ut viro ſummo aut omnes habendas, aut ſaltem tanquam per transſennam perſpiciendas, eſſe colligerem; neque unam aliquam, quamcunque velis, perfici ſine reliquis poſſe; cum unum ſit ſolidum atque indiſſolubile corpus, ſicut mundus hic, quem videmus, ſicut ipſius hominis unum ex ſuis membris corpus. Decrevi igitur neutiquam ſolis Poetarum Oratorumque ſtudiis invigilare; præſertim vero cum ea ſic ſe habeant,*

ut alia omnia ſibi adſciſcant, inque omnibus rebus ſemper & ubique negotientur. Quare percitus Patavini Gymnaſii fama, eo convolavi. Ubi primo Dialecticis ac Philoſophicis operam dedi: indeque me ad Juriſperitiam contuli: unde poſtremo ſolitis de more inſignibus præditus, in hanc potentiſſimam admirandamque urbem (Venetias) commigravi: ut apud eos forenſibus actionibus exercerer, quos præcipue colerem iam pridem ab avo paterno innata veneratione: quandoquidem eius perſuaſionibus Utinum in veſtram pervenerit ditionem. Cum vero ob interitum Georgii Vallæ, eruditiſſimi viri, omnique literarum genere ornatiſſimi, (ſi modo is, cuius gloria perpetuo in hominum memoria permanebit, interiiſſe putandus eſt,) alter in Academia Veneta locus vacaret, cœptumque eſſet de eo quæri, qui tanto viro ſuccederet; adhortarenturque me ad id ineundum complures ſummi ac nobiliſſimi viri, noſtrique amantiſſimi; diu ſane multumque dubitavi, quid potiſſimum eſſet agendum. Et quidem plura me diverſum trahebant. Nam & ipſius rei gravitas ac amplitudo obverſabatur animo, quæ tum multiplici diſciplinarum me premeret cumulo: tum vero præſtantiſſimorum virorum auctoritate deterreret, qui eandem cathedram profitendo contrivere. Contra vero inſurgebant amici, neminem repente ſummum evaſiſſe identidem iactitantes; omnium eſſe debiliora principia; quæ, ſi modo felicibus auſpiciis fuerint inchoata, breviſſime coaleſcant; non licere inerti otio torpere diuturnos labores meos; alioquin fruſtra ſtuduiſſe tam diu;

ea

capeſſerem itaque caſu oblatam provinciam. Sed præ ceteris me perturbabat maxime, ac pæne ex propoſito dimovebat, illa non ſapientum quidem, at ſtolida imperitorum, opinio, qui non ex merito, verum ex temporum iſtorum perverſitate, diiudicant, non decere ſcilicet aliquem doctorum (ut aiunt) inſula inſignitum hæc (ſicut temere ipſi exiſtimant) ſtudia ignobiliora tractare: ac ſi huiuscemodi profeſſione ſacrata contaminentur inſignia. Quibus ſi addideris, inſipido horum iudicio me levitatis crimen incurrere; quaſi vero ab optimo agendarum cauſarum propoſito recederem, longeque diverſam aggrederer vitam. His illa accedant, quæ deinde in ipſo Orationis decurſu leguntur: *Tantum abeſt, ut mihi ignominioſum putem; qui, cum in prima adoleſcentia fuerim humanitatis Profeſſor, deinde, pluribus interiectis annis, in alienis conſederim auditoriis; demum in Juriſconſultorum ac Advocatorum numerum adſcitus, rurſus modo me ad humanitatem atque ipſius humanitatis reginam ac totius vitæ moderatricem Oratoriam referam.* Ex his omnibus, ſi tanquam in nervum contrahantur, cognoſcere id nobis licet, patriam *Gregorio* Utinum, avum paternum fuiſſe Juriſperitum, cuius conſiliis acceptum id reſpublica Venetorum retulerit, quod urbem Utinum redegerit in ditionem ſuam; ipſum *Gregorium* primis adoleſcentiæ annis Utini *Marco Antonio Sabellico* in munere docendarum humaniorum literarum ſucceſſiſſe; tum in Patavina Academia ad Dialecticen, & Philoſo-

Philoſophiam, legumque ſtudia, converſum, in eadem urbe Jurium Doctoris honores & inſignia cepiſſe, agendisque cauſis forenſibus ſe dediſſe; tandem in ipſa urbe Veneta, exſtincto *Georgio Valla*, humaniorum literarum atque eloquentiæ Profeſſore, quam is vacuam fecerat, cathedram occupaſſe. Atque poſtremi huius muneris more maiorum auſpicandi cauſa hanc, cuius iam lectio nos tenet, recitatam ab *Amaſeo* Orationem eſſe, ipſe ſub eius initium nos docet. Sitne iſto munere ad ſupremum usque vitæ diem, quem fuiſſe ei Utini anno 1541, *Leander Alberti*, amicus eius, ſcribit in *Deſcriptione totius Italiæ pag.* 759, perfunctus, dubitare aliquis poſſit, qui meminerit, Utini, non Venetiis, defunctum, legeritque hæc verba *Jo. Candidi* in *Commentar. Aquileienſ. Lib. VIII* (in *Jo. Ge. Grævii Theſauro Antiqu. & Hiſt. Italiæ T. VI P. III*) *pag. 78: Florebat per eam tempeſtatem Forojulienſis regio, quæ, præterquam quod deliciis abundabat, viros etiam omni diſciplinarum genere clariſſimos habuit. Hos inter enituere — —* Amaſei, *e quibus* Gregorius, *cunctarum pæne diſciplinarum ſtudioſiſſimus, quanquam Menandri Poetæ exemplo condigna gloria fraudatus, iam, ceteris neglectis, felicius cum Muſis ſuis otietur, de quo poſteritas rectius ſentiet, ſi quando multiſciæ eius lucubrationes invulgabuntur.* Quæ ſi recte interpretor, non diu hanc profitendi Venetiis humaniores literas provinciam adminiſtravit, ſed iam anno 1521 (hoc

ipſo

ipſo enim ille *Candidi* liber in lucem exiit Venetiis,) & fortaſſis diu ante, relicta illa cathedra, ſibi & Muſis ſuis vixit. Id ſi ita eſt, ceſſit, ut arbitror, *Gregorius* invidiæ & odiis eorum, qui, a vera eruditione alieniſſimi, ferre non poterant illam dicendi libertatem, qua publice privatimque exagitare ipſe barbaros omnes & inhumanos humaniorum literarum hoſtes conſueverat. Horum perverſis conſiliis vel ipſa hac, de qua ſermo nobis, Oratione animoſe ſe oppoſuit, tamque libere hic & accuſatorie dixit, ut videatur digito oſtendere voluiſſe homines nonnullos, capitali quodam odio in ſtudia humanitatis inflammatos. Ingenium in *Gregorio* ſummum, & doctrinam excellentem, nec minorem eidem inter æquales ſuos famam, fuiſſe, conſtare nobis, ſi non aliunde, vel ex uno *Leandri Alberti*, qui ei, ut diximus, familiariſſimus fuit, teſtimonio poteſt. *Vir erat*, inquit is l. c. *Gregorius adſpectu venerabili, iucundus, liberalis, ſummi ingenii, & ad omnes diſciplinas verſatilis: quam ob rem de cunctis ferme doctrinarum ſtudiis ita diſſerebat, ut ſtuporem audientibus incuterat admirabili memoriæ felicitate.* Scriptorum eius, quæ quidem in lucem publicam exierint, præter hanc, ad Venetos habitam, *Orationem*, perpauca mihi cognita. Alia eius *Oratio*, ſed cui nihil notæ additum, unde, quo ſit anno, aut loco, edita, appareat, memoratur *Jocnni Cinelli Calvoli* in *Biblioteca volante Scanz.* X, ita quidem inſcri-

 pta:

pti: *Panegyricus in laudem Card. Grimani, fæcundiſſimi Oratoris, Gregorii Amaſei, Utinenſis, antiquis progenitoribus Bononia oriundi, pro Utinenſibus dictus Sacratiſſimo Card. Dominico Grimano, Patriarchæ Aquileienſi religioſiſſimo.* Recitata hæc eſt, ut ipſe ſub eius finem *Amaſeus* docet, A. 1498, 13 Cal. Jul. hor. 20. Huic quod addam, nihil habeo, niſi quod *Joannis Candidi*, qui & ipſe æqualis fuit *Gregorii*, *Commentariorum Aquileienſium Libris octo* præmiſſam invenio *Gregorii Amaſei, Poetæ, Oratoris, Jureconſulti, ac Philoſophi inſignis, ad ſuos Foroiulienſes Epiſtolam, de gloriæ cupiditate, deque Aquileienſium Commentariorum commendatione;* qua multa is de nobili illa & honeſta gloriæ cupiditate, deque Aquileienſis reipublicæ antiquitate, graviter ac diligenter dixit. Ea Epiſtola cum ſit Utini A. 1519 data; vel hinc non infeliciter coniicias, poſtremos vitæ ſuæ annos Utini *Gregorio*, non Venetiis, transactos. Quod autem *Orator, Poeta, Jureconſultus,* ac *Philoſophus inſignis,* hic vocatur; id docet, Carmina ab eo, & Iuris fortaſſe, ac Philoſophiæ, Commentarios, compoſitos; quorum, quod ſciam, nihil ad poſteros pervenit. Illi *Joannis Candidi,* quos dixi, *rerum Aquileienſium Commentarii* magna ſui parte ad hunc *Amaſeum* pertinent, ſi quidem fides eſt *Leandro Alberti*, qui, & ore, & ſcriptis, *vehementer conqueſtum Amaſeum*, a *Candido* illud Commentariorum opus *ſuo ſolum nomine editum, cum partem ſui quoque laboris*

ac

ac induſtria continerent, eſſe hac ex parte ab ſa genita, proindeque, uti ſocius operis ac laboris fuerit, ita ſe merito quoque participem honoris in libri titulo eſſe oportere, ægerrime vero illud *tuliſſe* eundem *Amaſeum*, quod *omiſſa detractaque fuerint nonnulla a Candido, quæ ad gloriam & honorem gentis Amaſeæ pertinebant*, l. c. refert. *Hæc*, addit idem, *antea nobis exposuerat coram, adeoque iuſtus viri dolor viſus: quam ob rem etiam, ut ſuum cuique, quantum officii noſtri ratio poſtulat, tribueremus, Candidum Amaſeum, de Gregorio ſentientes, in libris Commentariorum Aquileiæ citandis coniunximus.* Quæ ſi vera refert, ut minime dubito, *Leander*, nihil minus quam candidum ea in re iſte *Candidus* ſe geſſit, nec iniuria ei fiet, ſi in magno plagiariorum exercitu, cuius duas olim decurias a me in aciem eductas meminiſti, locum ei haud poſtremum tribuam. Pauca autem, & levioris momenti, videri ea poſſunt, quæ ſunt edita ab *Amaſeo*, ſi cum his comparentur, quæ multo ſtudio ab eo compoſita, ſed poſteritati non ſunt tradita, iamque adhuc Bibliothecarum fortaſſe clauſtris detinentur. *Multiſcias* eius exſtare *lucubrationes*, unde, quantus vir fuerit, iudicare poſteritas poſſit, verbis illis, quæ ſupra ſunt allata, *Candidus* teſtatur. In his lucubrationibus præcipuum, ni fallor, locum meretur *liber* ille, *copioſe ac eleganter de quibusdam regionis Foroiulienſis partibus, maximeque de fluminibus, Meduaco, Sontio, Timavoque, ſcri-*

ptus, *tabulam*que *regionis*, *perquam diligenter eius opera depictam*, continens, cuius ſibi, in adornanda *Italiæ deſcriptione* occupato, copiam a *Gregorio* factam, gratus l. c. *Leander* agnoſcit, *plurimum*, addens, *illi nos me hercule debemus ob lucubrationum ſuarum communicationem, quæ magno nobis adiumento in hac regione dicenda fuerunt*, *præſertim vero tabula perquam diligenter eius opera depicta.* Eſt hæc eadem *Tabula*, quæ inter *Mappas geographicas variorum ſpeciales* nominatur *Georg. Draudio* in *Biblioth. claſſ. pag.* 847, & cuius a *Ioſ. Simlero* mentionem factam, ſupra vidimus. Univerſum autem laborem, ita inſcriptum: *Deſcriptio geographica Italiæ & provinciæ Foroiulienſis ad Leandrum Bononienſem*, adhuc hodie ſervari Pariſiis in Bibliotheca S. *Germani de Pratis*, docemur a *Bern. Montfauconio* in *Bibliotheca Bibliothecarum MStorum nova T. II pag.* 1139; neque adeo nullam nobis de prodituro aliquando inſigni hoc *Amaſeanæ* eruditionis monumento ſupereſſe ſpem videmus. Quæ de *Gregorii* huius ſive vita, ſive in literas meritis, commemorari hic poſſent, plura, ut ſpero, haberemus, ſi in manibus noſtris eſſet *Volumen Orationum*, a filio *Gregorii*, *Romulo*, Bononiæ A. 1564, 4, editum, quippe quo contineri unam, *qua Gregorii patris obitum deplorat*, notatum eſt a *Niceronio* in *Memoir. pour ſervir à l' hiſt. des homm. ill. dans la rep. des lettr. T. XXXII pag.* 5. A ſcriptis *Amaſei*, quæcunque demum hæc fuerint, egregia quæque ex-

ſpecta-

ſpectaverit, quisquis legerit hanc *de Studiis humanitatis et eloquentiae* Orationem, in qua magnam vim ingenii & eloquentiae, rerum ac ſententiarum pondera, orationis non affectatam gravitatem, vix admirari ſatis poſſis, hoc eſt, vere doctam & commendabilem. Quam rarae eruditionis vir fuerit *Amaſeus*, vel ipſum Orationis illius argumentum, & eius tractandi ratio, docent. Duplex autem, ſi recte ſpectetur, argumentum, aut duae eius partes, ſunt, quarum altera ad ſtudia humanitatis, altera ad eloquentiam, pertinet. Illorum amplitudo, dignitas, late patens utilitas, ſuavitasque, ita hic explicantur, ut, niſi qui his bene tinctus ſit, in ceteris, quae ſubliminiores dicuntur, artibus proficere neminem poſſe, demonſtretur; huius autem ſtudium cum omnium, quocunque appellentur nomine, ſcientiarum cognitione coniunctum eſſe debere, neque perfectum eſſe Oratorem poſſe, niſi qui utiliſſimis doctrinis animum impleverit, oſtenditur. In utroque horum explicando quam ſelectis idoneisque rationibus ſit uſus, iucundum fuerit lectori, ex ipſa Oratione cognoſcere, quam non ſolum ob id, quod *Maittairianas* copias augere poſſit, ſed ob elegantiam etiam, qua placere omnibus poteſt, ſingularem, praetermitti hoc in loco non debere, videmur nobis recte iudicaſſe.

VI.

BOHUSLAI BALBINI
AD
OTTONEM MENCKENIUM
EPISTOLAE DUÆ,
ADHUC INEDITÆ.

LECTORI
S. P. D.
F. O. MENCKENIUS.

Aut multum ego fallor; aut talibus Epiſtolis, quales ſunt *Balbinianæ*, nemo non eorum, qui ſatis hæc æſtimare ſciunt, vehementer delectatur. Mihi nempe, legenti has Epiſtolas, viſus eſt *Balbinus* ex intimis animi penetralibus radios quosdam virtutis & bonæ mentis emittere, ſpectandamque nobis viri honeſti, & amicitiam religioſe colentis, imaginem præbere. Quod igitur, quæ cum meis aliquot Notis in lucem prodirent, duas has non indignas iudicavi, eius rei cur veniam te rogem, cauſam non video; nec Lectorum quemquam tam moroſum puto, ut non tale factum, etiam ſi ſupervacuum quodammodo exiſtimari poſſit, tamen pietati in viros de bonis literis præclare meritos condonandum ducat.

EPISTOLA I.
OTTONI MENCKENIO
S. P. D.
BOHVSLAVS BALBINVS.

Arg

Arg. Menckenio promtiſſima officia ſpondet, & Miſcellanea ſua, cum aliis libellis tribus, dono offert. De Koppilio, Mathematico, iudicium ſuum ad eum perſcribit. Actorum Eruditorum inſtitutum multis laudibus proſequitur, &, nova Bohemica promte miſſurum ſe, promittit.

Tardius, quam optare debuiſſem, literæ tuæ, Januarii initio ſcriptæ, mihi ſunt redditæ. In parte felicitatis repono, me a te, Viro ſtudiis claro, & omnium literarum, ut *Weiſſius* ad me ſcripſit, peritiſſimo, dignum habitum eſſe, quem prior literis, amantiſſime & eruditiſſime ſcriptis, appellares. *Weiſſio* meo iam egi gratias, quod te mihi conciliaverit. Hoc igitur habeto diſertum & ex optima fide reſponſum, me nihil omiſſurum diligentiæ, ut omnia, quæcunque apud nos typis edentur, in Bohemia, Moravia, Sileſia, tam a noſtris, (noſtros voco eiusdem mecum religionis,) quam ab eruditis aliis quibuscunque viris, ad te, Vir Clariſſime, primo quoque tempore mittantur; iſtud ego in me ſancte recipio. (a) Illud excipio, ſi quid nihil eruditionis

(a) Solvit promiſſa, ut decet virum bonum, & in rei literariæ commoda intentum. Multum enim doctiſſimo huic Viro priores *Actorum* anni debent, ut vel leviter hos inſpicienti patet. Et, quæ

nis contineat: nam eduntur multa, non ſatis digna curioſitate ingenii & limatiſſimi iudicii tui, inter quæ etiam mea repono. Quod Miſcellaneorum meorum tres Libros priores ad te *Weisſius* noſter miſerit, meum in poſterum donum erit: nam ego *Weisſio* alios tres mitto, ne quid ex amicitia, quæ mihi cum illo intercedit, detrimenti patiatur. Hiſce literis adiunctos invenies Libellos tres in medico argumento, de Saliva, quæ in peſte demittenda in ſtomachum non ſit, & de Lapide philoſophico, qui omnes morbos depellat. Si ordine legeris (A. B. C.), habebis rem omnem. Mortuo P. *Hartmanno*, Mathematico Univerſitatis noſtræ, ſucceſſit *Koppilius*, Vir perdoctus, ſed (quod tibi ſcribo) naturæ curioſior, & Machinarum, & Praxeos mathematicæ, amantior, quam *Euclidaus* (quo in campo *Hartmannus* omne ævum ſuum conſumſit). Huic a maioribus noſtris datum eſt negotium, *Hartmanniana* omnia revidendi, & vulgandi, quod ſe facturum brevi promittit. (c) Si quid prodierit, Vir Clariſſime, habebis inter primos, uti & illa, quæ parat Doctor *Iacobus Dobrjansky*, Vir doctiſſimus, & mei amantiſſimus, ſtudio-

quæ deinde ſequentur, omnes *Balbiniana* Epiſtolæ ad id inprimis ſpectant, ut, quam bene ipſe cupiat Annalibus his, & horum conditoribus, omnibus conſtare poſſit.

(b) Nullum horum librorum veſtigium in *Actis* noſtris occurrit. Itaque, horum Auctores nominare, eorum fuerit, qui medicorum librorum me ipſo maiorem habent notitiam.

ſtudiorum omnium ſummus amator. Libellus, *Actiones Eruditorum*, mihi & amicis omnibus placet, probamus conſilium veſtrum omnes, qui ſcientias amamus. Quid enim eſt, quod nos faciat eſſe homines, quam ſcire? & unde ſe animus immortalitate dignum, & ad eam genitum, quam amore ſcientiæ, demonſtret? Locus eſt perlegans in *Seneca*, (patre, an filio, otium quærendi non eſt,) ubi negat, ſe humana vita dignum fore, niſi cognoſcat coeleſtia (in quadam Præfat. ad Quæſt. Naturales). Ut ad caput redeam, &, quod petiiſti, expediam; promitto, quicquid erit, doctum & curioſum miſſurum. Tu viciſſim, quod voles, *Weiſſio* noſtro, aut *Arnoldo*, (d) Norimbergæ amico, in paucis

M 5 charo,

(d) Intellige hæc de *Chriſtophoro Arnoldo*, in Lyceo patrio, hoc eſt, Norimbergenſi, Eloquentiæ & Poeſeos Profeſſore, cui ſcripta ſua non exiguum inter eruditos nomen pepererunt. Edidit enim *Valerii Catonis*, Grammatici, Diras cum Commentario ſuo, Lugd. Bat. 1632, 12, Spicilegium ad *Jo. Henr. Urſini* de Zoroaſtre, Hermete, Sanchoniatone, eorumque ſcriptis, & aliis, Exercitationes, Norimb. 1661, 8, Linguæ Latinæ ornatum, ex *F. Sylvio Ambiano* &c. congeſtum, Norimb. 1702, 12, Supplementum ad *Chriſt. Ad. Ruperti* Obſervationes ad Hiſtoriæ univerſalis Synopſin Beſoldianam, ibid. 1659, 8, XXX Epiſtolas philologicas & hiſtoricas de *Fl. Ioſephi* teſtimonio, quod Ieſu Chriſto tribuit, ibid. 1661, 12, librum vernaculum de Paganiſmo Aſiatico, Africano, & Americano, cum *Abr. Rogeri* Janua,

charo, mittito, (*Weiſſio* tamen ob commoditatem mavelim,) hic ad me diriget omnia, & per *Weiſſium*, quicquid habuero ipſe, rerum communicabo. Floreat eruditio, quæ vita omni mihi eſt carior, & quam in te & tui ſimilibus æſtimare me profiteor, & amare. Vale, Vir Clariſſime. Pragæ, 6 Martii 1682.

EPISTOLA II.
OTTONI MENCKENIO
S. P. D.
BOHVSLAVS BALBINVS.

Arg. *Singularia de Marco, Autore Orthoſophiæ, enarrantur.*

Nihil dubito accepiſſe iam te, quæ nuper miſeram per Zittaviam, videlicet *Partem I*

Oecono-

Ianua, ducente ad pagum iſtum, ex Belgico in vernaculum tranſlata, ibid. 1663, 8, *T. Petronii Arbitri* Fragmentum Tragurianum, cum *Io. Caii Tilebomeni* coniecturis, & aliis nonnullis, ibid. 1667, 8, Notas in *Wagenſeilii* Commentarium in Sotam, editam Altorfii, 1674, 4, de Hydriotaphia, h. e. urnis in agro Angl. Nortfolcienſi repertis, Differt adiectam *Io. Iac. Leibnitii* Bibliothecæ Norimbergenſis memorabilibus, ibid. 1674, 4, *Proſperi Pariſii* rariora magnæ Græciæ Numiſmata, cum Præfatione ſua, ibid. 1683, fol. inprimis vero *Marci Velſeri* Opera, ibid. 1682, fol. ut taceam multa alia, quæ nominata ſunt ab *Henn. Wittenio* in Diario biographico ad A. 1685, quo anno *Arnoldus* e vivis exceſſit. Sunt & Epiſtolæ eius nonnullæ inter *Richterianas*, Norimbergæ A. 1686 coniunctim editas, obviæ.

Oeconomiæ Fiſcherianæ, Epiſtolam Gallicam, & ſi quid aliud fuit. Nunc mitto Partem II eiusdem Oeconomiæ; item figuras ad Othoſophiam. Habebis ipſam Othoſophiam (a) proxime cum ſuis Imaginibus: iam enim manumiſſa a typographo eſt, ſed nondum in libros diſtributa, quod illi *Collationare* vocant. In Othoſophia Additamentum illud, ne pagellæ vacerent, a me ſcriptum eſt ex documentis illis & monitis de Valetudine tuenda, quæ ab illo Viro magno audivi & didici; qui me vivere in ſecula plurima optabat. Certe, cum aliquando ex peſtilenti quodam morbo prope morerer, flebat ſenex ſeptuagenario maior *Marcus*, aſſidebat perdius & pernox lectulo, oſculabatur, refrigerabat linteolis humentibus, &c. Si tibi videatur, doctiſſime *Menckeni*, potes addere, cum Othoſophiam in *Actis* recenſebis, *Additamentum* illud a me conſcriptum eſſe. (b) Habebo *Weisſium* hoſpitem tertia, vel quarta, Dominica poſt Paſcha Libieſſicii in Arvulo noſtro Litovericio non procul. Utinam adeſſes tu quoque, Vir amantiſſime & amatiſſime! Certo Tui memoria non modo in animo, ſed etiam in vino, natabit. De pretio librorum, quos tibi pauculos hactenus miſi, & mittam in poſterum, nihil labora; ſi quid maius fuerit, tum pretium indicabo. Quamdiu pretium libris non adſcribo, ſcito, eos Tibi donari; quod facio rectis ſenſibus, & ex ſola æſtimatione tui, & amore; quem mihi meoque cordi inſertum habeo. Vive, & vale. Pragae, 1 Apr. 1683.

INDEX

(a) Intelligit *Ioannis Marci Marci a Kronland*, Philoſ. & Med. Doctoris & Prof. Pragenſis, *Othoſophiam, ſeu Philoſophiam impulſus univerſalis*, Opus poſthumum, Vetero - Pragæ A. 1682, 4, editum.

(b) Factum id in *Actis A. 1683 Menſ. Iun.* pag. 247.

INDEX
DISSERTATIONUM,
QUÆ
VOLUMINIS SEPTIMI
PARTE PRIMA
CONTINENTUR:

I. Io. Christoph. Harenbergii Iudæus Heavtontimorumenus, ſeu iudicii capitalis, quod inter Iudæos in Chriſtum fuit exercitum, iniuſtitia, e Iudæorum doctrina liquido demonſtrata. Pag. 1-59

II. Petri Zornii Diſſertatio poſthuma de Sacris antelucanis Iudæorum & Mohammedanorum. 59-62

III. Pauli Ernesti Iablonski de Nominis Abraxas, vel Abraſax, in plerisque Baſilidianorum & Gnoſticorum Gemmis obvii, vera & genuina ſignificatione Exercitatio. 63-99

IV. I. P. S. Specimen Gloſſarii Harmonici Græco-Phoenicii. 99-137

V. Frid. Ottonis Menckenii Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas quarta, eiusque Pars poſterior. 137-182

VI. Bohuslai Balbini Epiſtolæ duæ ad Ottonem Menckenium, adhuc ineditae, cum Præfatione F. O. Menckenii. 182-187

* * *

Lectori

S. P. D.

F. O. MENCKENIVS.

Ut nihil in rebus humanis omni ex parte omnibus probatur, nec nihil oſtendi macularum in corpore quantumvis pulchro ſolet; ſic, in noſtro hoc, quod a ſeptem inde annis ſtrenue urgemus, inſtituto ſi, quod reprehendant, unus & alter, forcaſſe etiam multi, habent, nec id mirum cuiquam, nec opprobrio eſſe nobis ipſis, debet. Sua cuique iudicandi ratio, ſuum ingenium, ſuus ſenſus, eſt; idque ſibi dari omnes poſtulant, ut, ſi quid parum ipſis placeat, id libere poſſint, nec diſſimulanter, profiteri. In cortice, ut audio, aliqui hærent, qui, cum durioris ſint palati, parum de nucleo laborant. Hi, pompam & ſplendorem in titulis affectantes, ferre non poſſunt, modeſtius hunc librum *Miſcellanea* inſcriptum. Itaque *Muſea* hi, aut *Bibliothecas*, aut *Gazophylacia*, aut neſcio quæ magnæ molis ædificia, exſtructa mallent, ubi iucundius, quam in agreſti hac domuncula, hoſpitaturos lectores putant. Quibus, cum ſatis ipſi intelligant, valde hæc, quæ nobis obiiciunt, levia, nec gravi monitore digna, eſſe, breve hoc reſponſum dabimus: ſalvam cuilibet, ſuos fœtus, utcunque voluerit, vocandi, per nos libertatem fore; ceterum, quod talem librum, qualis noſter eſt, variæ nempe eruditionis, variique argumenti, labores continentem, *Miſcellanea* inſcripſimus, id nos partim iure noſtro, partim doctiſſimorum hominum, qui ante nos hæc tanquam veſtitu indutas in lucem prodire Muſas ſuas iuſſerunt, exemplo, feciſſe. Non habemus igitur, cur veniam precemur eius rei, qua nec iniurii in noſmet ipſos, nec bonis lectoribus graves, ſumus, ſed quam ſuaſiſſe nobis mos inveteratus, & ipſa imperaſſe ratio, videtur. Alii, ad ipſam operis lectionem propius converſi, ſi non ſibi, at ſeculo, diſplicere, aiunt, illud ſtudium, quo aliqui noſtrûm ſanctioribus Codicis divini oraculis ex Hebraicis & Græcis fontibus lucem affundere, hoc eſt, Exegeſin ſacram,

cuius

cuius illi, neſcio quo animo, vel ipſum nomen abhorrent, a ſqualore vindicare & contemtu, laborant. Sordere ætati noſtræ illa ſtudia, non Exegetas nunc, non Philologos, non, quod idem eſt, veræ eruditionis æſtimatores, ſed Philoſophos, aut, quod verius dici poteſt, Philoſophiæ cuiusdam factitiæ profeſſores, literis dominari; in horum ſi quis ſchola educatus, ſuis digna magiſtris ſcribat, ei demum communem orbis eruditi plauſum exſpectandum; non aliter illi clamitant, ac ſi omnis in his ſtudiis noſtra fama periclitaretur. Hos, ut deſinant moleſti nobis eſſe, & ne noſtra, ſi quam dederimus, reſponſione eo tandem redigantur, ut vera nobis ſui ſenſa animi, quæ & eloqui ipſis pudori, & nobis audire religioni, foret, aperiant, parcius deinde, quam olim, hæc, quæ exegeticæ doctrinæ ſunt, in noſtris hiſce *Miſcellaneis* proditura, ſperare certiſſime iubemus; in id conſilium non intempeſtivo illo ſeculi iudicio, nec quodam harum literarum odio, ſed iuſta hac ratione, adducti, quod iſtius generis labores plus, quam par eſt, ſubtraxiſſe olim ceteris, quæ noſtram item occupare induſtriam debent, artibus ac ſcientiis, ſenſerimus. Nihil minus quam iniquos ſe nobis præbent, qui, lentius procedere inſtitutum noſtrum, & tardius, quam ipſi vellent, legendas ſibi novas *Miſcellaneorum* Partes dari, queruntur magis, quam accuſatorie dicunt. Non hi nobis, fateor, iniuriam faciunt, ſed vera & manifeſta proferunt, hoc magis amice nobis compellandi, quo certius apparet, qui noſtra appetunt, multo nobis plus, quam qui faſtidiunt, favere. Itaque hi etiam liberaliores nos in poſterum, & ad donandum promtiores, habebunt, ſi quidem, quæ donari poſſint, plura, quam huc uſque, Muſæ Germanorum (de Lipſienſibus enim, quas bene noſti, Lector, nihil ſpondeo,) ſuppeditaverint, aut mihi, ad eam rem curandam, otii plus, quam nunc quidem ſuppetit, fuerit a Superis conceſſum. Ceterum, ſi viros bonos nos putas, talesque a pluribus inde annis cognoviſti, vel ſponte tua præclaram in futurum etiam tempus de noſtra induſtria ſpem concipies, &, quoad nobis fuerit in hac aut vitæ, aut ſtudiorum, ſtatione commorandum, bene nos merituros de bonis literis, confides.

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
NOVA,

AD INCREMENTUM

SCIENTIARUM,

AB HIS,

QUI SUNT IN COLLIGENDIS

ERUDITORUM NOVIS

ACTIS

OCCUPATI,

PER PARTES PUBLICATA.

VOLUMINIS SEPTIMI PARS SECUNDA.

LIPSIAE,

APUD B. LANCKISII HAEREDES,

MDCCL.

I.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII

EXPOSITIO QUÆSTIONIS, CUR DEUS IN SYSTEMATE LEVITICO SIBI CORDA IMMOLARI HAUD IUSSERIT, EIUSQUE ENODATIO.

Argumentum Diſſertationis.

§. *I. Proponitur quæſtio & ſumma tractationis. II. Sacrificiorum fundamentum, diviſio, & ablegimina. III. Cor non erat peculiariter offerendum in ſacrificiis pro delicto, ſalutaribusque, nec ex agno paſchali; IV. Nec ex holocauſtis, piacularibus, & avibus. V. Præſtantiſſima animantia, in flore ætatis conſiſtentia, debuerunt immolari. VI. Cordis deſcriptio & officia.*

VII. Deus fuit Judæorum peculiaris Rex, & regales ſibi reſervavit cibos.
VIII. Quo ipſô propoſita quæſtio, eſt reſoluta.

I.

Cor, humani ac organici corporis pars nobiliſſima, cur immolationi ac ſacrificiis Leviticis, ſtante *Moſaico* Dei cultu, haud fuerit divinitus deſtinatum, nonnullis videtur mirum & difficile definitu. Quid enim Deus potius expetit ac poſtulat, quam mentem, animum, & affectus hominis ab immunditie liberatos? Nota profecto & in aprico poſita eſt illa Dei adhortatio, quæ *Prov. XXIII*, 26, occurrit: *Da mihi, mi fili, cor tuum.* Cor a veteribus habitum fuit pro ſede ac receptaculo mentis affectuumque. (a) Nullum igitur corporis immolandi, ſeu victimæ, membrum videri poterat magis aptum ad illuſtrandam eam veritatem, quæ præcipit, ut mentes & corda Deo addicamus ac offeramus, inſtar ſacrificii perquam ſelecti. Verum enim vero alia Deo ratio in ritibus *Moſaicis* ſanciendis fuit probata, alia menti noſtræ, in tenebris antiquitatum micanti, arridet. Qui levi brachio in enodanda quæſtione, quam propoſui, ſeſe expediunt, capiſtrum iniici-

(a) *Hieronymus Tom. IV Oper. f.* 24, 1, ed. *Froben.* Baſil. 1516, fol.

inficiunt curioſæ hominum menti, negantes, fas eſſe, ut rationes legum *Moſaicarum* expiſcemur ac eruamus, ſiquidem homines nihil magis deceat, quam acquieſcens in legibus divinis ſemel conſtitutis ſilentium. Alii ex indole & natura theocratiæ, Meſſiæ ſponſioni & expromiſſioni innixa, habitudinem complurium legum Leviticarum, fundamenta, & rationes, licet in expoſitione ipſa nonnunquam diſcrepent, deducunt & evolvunt. Horum in numero meum me quoque nomen profiteri, præ me fero, & ingenue fateor. Quam ob rem ad rem ipſam, adſpirante ſupremo Numine, me accingo, diſſerens primo de immolationibus Judaicis, tum de corde ipſo, ac tandem de theocratiæ momentis, ex quibus quæſtio, in medium allata, eiusque evolutio, dependent.

II. *Moſes* doctrinam de ſacrificiis haud invenit; ſed, uſitatam Patriarchis, divino iuſſu diſtinctius expoſuit, ac nonnullis acceſſionibus locupletavit. Qui, *Adamum*, Evangelio primo de Satanæ viribus per Chriſtum obterendis & proculcandis præmunitum, immolaſſe Deo animalia, exiſtimant, mea quidem ex ſententia veritati litant. *Abel*, *Adami* filius, fide in Deum ac Chriſtum roboratus fecit ſacra, ac ſacrificium Deo probatiſſimum adhibuit. Fides illa non potuit acquieſcere in modulo cultus ſponte delecti, ſed, altioribus defixa radicibus, iuſſu ac promiſſo divino inſtitit. Divinitus quoque diviſio fuit orta inter animalia, alia pura, alia

 impura.

impura. Pura nomen traxerunt ex eo, quod licuerit ea Deo immolare, ac cibum inde capere. Impura e contrario nec immolari, nec in cibum hominum converti, poterant. Sacrificia ipſa exſtiterunt quadripartita. Erant enim vel holocauſta, vel piacula, vel ad avertendum reatum, vel ad gratias agendas, & vota pro ſalute reddenda, olim inſtituta. In holocauſtis tota & integra victima flammæ ignique ceſſit, corio, ſeu pelle, prius ſepoſita. Quid immolabatur in ſacrificiis piacularibus, quæ vocantur ἁμαρτία & περὶ ἁμαρτίας? Reſpondet *Abarbanel* (b), cuius verba dabimus Latine: *Sane erat ſacrificium piaculare duplex: unum, cuius exta in altari exteriori adolebantur: ac, ſacrum cum piaculare fieret buculo, vel pecore caprino, erant exta adeps, qui inteſtina operit, & duo renes cum ſua pinguedine, & reticulum iecoris: atque hæc eſt ima illa fibra iecoris, quæ ita procedit ex ipſo, ut accedat ad pollicis ſimilitudinem; ſin autem victima piacularis fieret ex pecore ovillo, præter partes ante dictas cauda tota cum proximis ſpinæ vertebris adolebatur. Hæc adeo a noſtris dicuntur* אימורי[illegible], *ablegmina* (c), *ab* אמר, *edicendo, quia Deus edixit, ut hæ victimæ piaculares adolerentur, & ut cetera ſacerdotes maſculi in atrio comederent. Erat quoque ſacrificium*

(b) In *Præfatione ad Leviticum Cap. I pag.* 245 edit. *Ludovici de Compiegne de Veil*, Londini, 1683, 4.

(c) *Sevachim V*, 3.

fictum aliud piaculare, quod perinde, ac holocauſtum, ſeu ſacrificium ſolidum, ex integro concremabatur. Quantum ad ablegmina attinet, ea ad res quinque reſtringebantur. Complectebantur ea enim 1) omnem adipem, inteſtina tegentem; 2) adipem, adhærentem ventriculo & inteſtinis tenuioribus; 3) renes duos; 4) omentum, ſupra iecur iuxta renes ſitum; 5) adipem, coſtis adhærentem, quæ membranam albam ambit, diſtinguentem organa reſpirationis a reliquo organorum apparatu. Confer *Lev. IV, 8.* Nihil hic de corde commemoratur.

III. In ſacrificio, quod Ebræi vocent אשם, & quod ad avertendum reatum adoleri conſueverat, exta ratione prorſus ſimili ſuper aram exteriorem comburebantur; reliqua autem caro eis, qui ſacris operabantur, in cibum cedebat. De ſacrificio, quod euchariſticum & pacificum appellare ſolent, pars altari exteriori cedebat; ſacerdotum quisque pro rata portione auferebat ſibi in cibum & pectus & armum, atque reliqua relinquebat eis comedenda, qui ſacrificium obtulerant. Ex agno paſchali ſacerdotes ſibi pellem detractam retinebant, ſanguis ipſe ad baſin altaris exterioris effundebatur, reliqua ad domos convivantium deferebantur. Primogenita e mundis pecudibus reſervari ſolebant ablegminibus (d). In hiſce commemorandis nulla de cordis immolatione fit mentio.

(d) *Sevachim Cap. V, §. 8.*

IV. Quocirca non poſſumus, quin recte ſtatuamus, mentionem in victimis adolendis peculiarem de corde haud fuiſſe iniectam. Ad holocauſta paranda boves in tredecim diſſecabantur partes, quarum præcipuæ erant caput & pectus, cum ceteris ex toto comburendæ. Cum capite cerebrum, cum pectore cor ipſum, immolabatur, ac igni conſumebatur. Cor vero a reliqua compage ne quidem fuit ſeparatum, tantum abeſt, ut illud peculiariter fuerit immolatione diſtinctum. Ex avibus, in holocauſta oblatis, non pectus, ſed caput, fuit igni datum. Quare & in hac immolatione ratio cordis haud fuit habita. In ſacrificiis piacularibus, & eis, quæ ad tollendum reatum fiebant, pectus & caput cedebant ſacerdotibus in cibum, adeoque cor ipſum. In pacificis pectore ac corde veſcebantur ſacerdotes. Ex quibus, ſimul ſub aciem mentis revocatis, patet, in ſacrificiis corda ad finem & deſtinationem legislatoris ſingularem haud fuiſſe relata.

V. Deus, Rex Judæorum peculiaris, iuſſerat ſibi in cibum quaſi, id eſt, in victimas & ſacrificia, adoleri partes nobiliſſimas beſtiarum veſcarum, mundarum, ſanarum, tum robore, tum ætatis flore, eminentium. Qua de cauſa ſacrificiis inhabilia erant animalia, nævo vitiove temerata, & aliquid præter naturam præferentia; ſenio affecta; viribus ad ſenectutem & marcorem inclinantibus prædita; ac tandem nimis tenera, infirma, & imbecilla. Boves, qui

tertium

ertium compleverunt annum, ſolent eſſe firmi, cibo aptiſſimi, viribusque plenis. Eos quoque labor quotidianus, quo colla iugo ſubdere docentur, enervat, viribusque exuit. Quare ei, qui a iugo fuerunt immunes, recteque interea aliti, viribus gaudent ac ſuperbiunt præſtantiſſimis. Beſtia minor כבש, vel כשב, *agnus*, vel *hædus*, ad apicem roboris ſub finem anni primi in Palæſtina terrisque circumiacentibus plerumque pervenit. Aries ovium, & vir gregis ipſe caper, ab איל, *robore*, dicti, intra ſecundum ætatis annum vigore excellunt. Iuvenci, vel buculæ, vigebant maxime, cum tres compleſſent annos; vitulus autem intra primum ætatis annum ſua denominatione adhuc & ipſo flore eſt eximius. Quæ ipſa quemadmodum rei ipſi ſunt conſona, ita etiam in codice Miſchnico, qui de *vacca rufa* inſcribitur, *Cap. I*, & ex eo ab *Abarbanele* in exordio ad *Leviticum Cap. II pag. 244 ſeq.* fuſius pertexuntur ac ediſſeruntur. Pulli columbini fiebant ſacrificio apti, ſimul ac ſplendeſcerent; turtures vero pro legitimis habebantur, antequam emitterent ſplendorem (e). Quem fugit, columbas turturesque in eo ſtatu eſſe cibo & eſui maxime idoneos? Unde illud prono fluit alveo, ac iudicatu eſt facillimum, cultui divino & ſacrificiis inconvenientes fuiſſe victimas, quibus inerant nævi ac faſtidii materies. Hiſce nævis examinandis ac dignoſcendis nonnulli ſacerdo-

(e) *Chullin. Cap. I §. 5.*

tum præcipuam ſuam addicere operam debebant. *Lev. XXII, 20, Mal. I, 8.* Suberat videlicet cauſa œconomica. Regi in cibum erant præſtantiſſima, & maculis vacua, offerenda. Suberat cauſa typica. Deo per Chriſtum expiando probari poteſt tantum id, quod mundum, purum, perfectum, & uſui legitimo aptum, exiſtit. Chriſtus ipſe animalibus illis offerendis adumbrabatur, victima quippe, omni labe & peccato expers. Suberat cauſa etiam moralis. Ii enim, qui Deo per Chriſtum placere cupiunt, Chriſto debent eſſe ſimiles, ac tueri indolem victimarum, plane mundarum, & a nævis ſegregatarum (f). Si quis exiſtimaverit, interiora poſſe occultari, eum oportet meminiſſe, adſtare ipſum Deum nunquam non, qui corda (g) & renes explorat. Dantur quoque tempora, quibus homines, cruciatibus & malis alteri illatis, animum alterius verſant, explorant, & ſubigunt. Adverſus hæc pectus præmunire eſt neceſſum. Meſſias de *Caiapha* ceterisque accuſatoribus ſuis, ſacerdotibus, diſtincte pronuntiat *Pſ. XVI,* 7: *Gratias ago Deo, eumque celebrare haud intermittam, eo quod opem conſiliumque mihi, dura perpetienti, attulit* יעצני. *Quin immo horis nocturnis quod exploraverint, & caſtigationi me ſubiecerint, homines, non ſaltem ſecundum exteriora, ſed renes meos quoque*

(f) *Rom. XII, 1.*

(g) *Apoc.* II, 23. *Pſ.* CXVIII, 18.

que ipſos, id eſt, intima & occultiſſima, perveſtigaverint.

VI. Corda & beſtiarum & hominum habent multa communia, quæ recenſebimus, ut pateat eorum uſus, & in animatis neceſſitas. Nam corda inſerviunt vitæ continuandæ, & ſenſioni prorogandæ, licet cibis Principum delicatioribus haud fuerint adhibita. Cor liberum pendet intra pericardium, adhæret adſtrictumque eſt ad iugulum, ſternum, dorſum, diaphragma, vel per ſeſe, vel interventu, emiſſorum inde vinculorum ac vaſorum. Inſervit illud expellendo ſanguini, ac per omnes partes corporis diffundendo. Cordi ſunt arteriæ duæ, ex aorta ortæ, quæ itinere oppoſito canalem componunt, baſi cordis toto ambitu innexum. Hinc illæ demittuntur, &, variis inter ſeſe exoſculationibus iunctæ, in innumera ſubtiliſſima vaſcula diſtribuuntur, quæ tandem ad roris effuſi modum fundunt ſanguinis humorem, & omnem propemodum eius ſubſtantiam cum venis ſimiliter poſitis componunt. Inter vaſa pinguedo externa ſolet accreſcere, quam cum reliqua pectoris pinguedine e victimis exemtam & immolatam fuiſſe, ſatis conſtat (h). *Syſtole* dicitur *cordis contractio*, *diaſtole* eius *dilatatio*. Sunt, qui mixtam adhuc addunt ſpeciem. Arteriæ, de quibus paullo poſt ante diximus, peragunt *diaſtolen*, dum reliquæ corporis arteriæ in ſyſtole conſtituuntur. Venæ au-

 tem

(h) *Lev. VII, 25.*

tem ſanguinem ſuum partim in coronarias & inde verſus auriculam cordis dextram inter hanc & cor dextrum, partim inter auriculam dextram & intra cor dextrum per ſingulares venas demittunt. Hæ venæ evacuantur, dum venæ reliquæ in corpore referciuntur. Sunt cordi fibræ ad conſervandam tuendamque eius firmitatem & motum, trahentes originem a paris octavi nervis, qui magnam per copiam inter aortam & arteriam pulmonalem ingrediuntur, ac porro auriculis cordique inſeruntur, muſculari ſua vi efficientes, ut cava cordis formentur, & accurate arctentur, ad avertendam fabricæ deſtructionem, ac ad perficiendam validiſſimam propriamque actionem. Siniſtrum latus a propria fibra contrahitur, ſcilicet orbiculari; dextrum a ſemiorbiculari contrahi ſolet; quæ communis eſt exteriori ſiniſtro. Dum hæ fibræ contrahuntur, cordis longitudo imminuitur, latitudo contra augetur, unde capacitas ventriculi arctatur curate, ora arteriarum dilatantur, valvulæ venarum ad obturationem ſui rediguntur, & liquores, qui in eis continentur, magna vi per oſtia dilatata in arterias exprimuntur. Ita fit cordis ſyſtole. At diaſtole hunc in modum peragitur. Quando ſanguis per ſyſtolen totus fere eiectus eſt ex cordis cavis, atque ex eius vaſis, tum fibræ flacceſcunt, tenuantur, & longiores fiunt. Quo ipſo intervallum baſin inter & apicem cordis augetur, preſſio parietum verſus cava tollitur, valvulæ

venoſo-

venoſorum oſtiorum verſus apicem cordis per columnulas annexas trahuntur, ac auriculæ contractæ & ſinus venoſi cava explent. Hac contractione ac dilatatione circulatio ſanguinis conficitur, quæ ipſam corporis vitam conſtituit. Sanguis enim, ad vitam conſervandam faciens, fluit per arterias inde a corde uſque ad extrema corporis loca quæcunque, procul ſita: ex parte latiori in anguſtiorem: ex trunco in ramos: atque in eas derivari omnis ſanguis vitalis poteſt, rurſusque ex ea effundi valet. Tandem arteriæ per anaſtomoſes venis committuntur, quæ ſanguinem ad cor reducunt, & in homine ob inceſſum perpendicularem valvulis, excepta vena portæ, ſunt inſtructæ, quibus beſtiæ, ingreſſum horizontalem peragentes, carent. Ne autem ſanguis deficiat illico, chylus efficit, qui, in beſtiis per inteſtina fere omnia collectus, per vaſa chylifera in ciſternam confluit, & inde per ductum thoracicum, quem exſtitiſſe *argenteum funem*, *Salomoni* memoratum, exiſtimo, adſcendit, & venæ ſubclaviæ infunditur, inde ad cor deſcendit, ac, cum reliquo ſanguine miſtus in corde, pellitur ad pulmones, atque per eos actus in ſiniſtrum cordis latus redit, indeque per totum corporis ambitum diffunditur, per venas ad cor idem revehendus. Hanc ſanguinis circulationem *Salomoni* haud fuiſſe ignotam, omnino perſpicitur ex *Eccl. XII*, 6, uti Cl. *Culmus* & *Joannes*

Henricus

Henricus Schlütte (i) docuerunt. In ſacris literis ſtatus animi gaudentis & læti deſignatur per cordis dilatationem; triſtitia vero & metus per cordis anguſtias & coarctationem. Quod ipſum videtur eſſe indicio, veteres crculationi ſanguinis aſſenſiſſe. Nec de ea dubitavit *Hippocrates*, quemadmodum ex locis eius perſpicuis Cel. *Culmus* tradidit (k). *Harvaeus* tandem A. 1628 in libro *de Motu cordis* hunc motum circulantem in notitiam univerſalem deduxit, & diſtinctius expoſuit. Ex quibus omnibus patet & conſtat, cor eſſe partem corporis nobiliſſimam, & officinam ſanguinis, qui vitam corporis conſtituit, qui nervis pabula præbet, qui muſculos ſuſtentat, qui carnem reparat. Sed, cor eſſe partem pinguiorem ac delicatiorem, hinc nondum intelligitur. Innoteſcit potius ex eis, quæ allata ſunt, ſanguinem in corde elaborari, colligi, ac inde quaquaverſum diffundi. Quod ipſum momentum, ſi nulla ſuppeterent præterea, in cauſa eſt, cur ea ætate, qua ſanguis a cibo potuque Judæorum erat excluſus, cor, hoc eſt, officinam ſanguinis, Deus peculiariter ſibi immolari haud iuſſerit.

VII. Si complexum ſyſtematis cerimoniarum, quæ a Patriarchis obſervatæ, & per *Moſen* auctæ fuerunt, diſpicimus ac expendimus, tum exiſtimandum eſt, Deum ſeſe ſingulari ratione geſſiſſe pro Rege ſui populi, propitium ſuis

per

(i) *Gelehrte Zeitungen Leipzig 1727 pag. 115.*

(k) In *Notis ad tabulam anatomicam XV.*

per ſacrificium Meſſiæ futurum, tantisper typis adumbratum. Sacrificium *Abelis* inſiſtebat *fidei*. Judæi veteres finem & uſum ſacrificiorum typicum habuerunt compertum, uti apparet ex libro, qui inſcribitur שני לוחות הברית *fol. 338* (l). Qui præterea intelligunt, deſtructionem animalium innoxiorum per ſeſe Deo eſſe inviſam; niſi ea indigentiam & uſum humani generis adiuvet; eis facile ſubolebit, immolationi victimarum, divinitus traditæ, ſubfuiſſe rationes maximi momenti. Quid enim mactationes & combuſtiones, in beſtias expromtæ, per ſeſe ad ſalutem animorum generisque humani conferunt? Hoc ipſum Judæis haud erat obſcurum. Conf. *Pſ. L*, *8 ſeq. LI*, *18*, *19*, *1 Sam. XV*, *22*, *Hoſ. VI*, *6*, *Jer. VII*, *21*, *22*, *23*, *Amos V*, *21*, *22*, *25*. Præter finem ſacrificiorum typicum ad regiam Dei dignitatem eſt reſpiciendum in exponendis *Moſaicis* cerimoniis. Ipſe præſidebat populo ſuo. Ipſi regia exſtruebatur, tabernaculum (m) primo, dein templum. Ipſe inter ſuos habitabat, inter eos gaudebat

(l) *Hadrianus Relandus* in *Diſſ. de Filo rubro altaris Hieroſolymitani* §. *15*. *pag*. *11*.

(m) Reges, bellis intenti, uti ſolebant tabernaculis, quæ nihilominus vocari ſolebant *domus regiæ*, uti ex *Curtio* aliisque Scriptoribus conſtat. Cum Judæi terram promiſſam ditioni ſuæ ſubieciſſent, tabernaculum quoque ceſſare cœpit, ſubſtituto in eius locum templo, ad certam ſedem affixo.

gaudebat ſuo igni ac foco. Sanctiſſimum adi-
tum erat locus, in quo, tanquam ſuper thro-
num, operculum arcæ fœderis, is reſidebat.
Sanctum penetrale erat inſtar conclavis, quod
vocant *avantchambre.* Ibi ſuffimenta inſtitu-
enda; ibi erat altare auro obductum, menſam
repræſentans: ibi conſpicui erant panes & lu-
minaria. Cibi, in Palæſtina pro regiis &
lautiſſimis mundisque habiti, apponebantur in
altari exteriori, tanquam in menſa. Deus ibi de-
ſignabatur per ignem, cuius pabulum & cibus
erat caro. Placentæ oleo perfuſæ: fertum ex
farina: prima & præſtantiſſima ex arboribus,
frugibus, & animantibus puris, fuerunt huc al-
lata. Reges olim tributa haud exigebant; vi-
vebant ex donis, vulgo conferri ſolitis. Eun-
dem morem ſervarunt Judæi erga Regem ſuum
ſempiternum. Quid de vino, potu generoſiſſi-
mo, dicam? Hæc theocratiæ ſpecies omnino
requirebat, ut Judæi continuo Regem ac Do-
minum ſuum meminiſſent. Inprimis iam re-
ſpicimus ad cibos, regibus apponi in illis ter-
ris ſolitos. Ad eos referenda erant fercula præ-
ſtantiſſima, quæ vel Regi ſoli dicabantur, ut
innoteſceret maieſtas; vel ei cum adminiſtris
erant communia, ſacerdote ſummo, ſacerdoti-
bus, ac Levitis. Dei enim imperium, Judæis
impoſitum, erat *regnum ſacerdotale*, (n) idque
externum. Rex ſacerdotes alebat adminiſtros,
reique ſummæ adiutores & conſiliarios. In
Ægypto

(n) Confer. *Diodorus Siculus Lib. I Cap. 70.*

Ægypto haud diſſimilis exſtabat regni facies, excepto, quod Rex Judæorum erat ipſe Deus. Adminiſtri ſolent in ſocietatem cibi cum Rege capiundi ſæpius adſciſci. Id quoque ornamenti acceſſit ſacerdotibus Judaicis. Pontifex ſummus panibus veſcebatur, qui a *facie* cognominari ſolebant. Sacerdotes reliqui cum eodem accipiebant decimas, partes ſacrificiorum, ac alia dona gratuita. In conſpectu Regis erant hi adminiſtri, inſigniter ornati & veſtiti. Regi ipſi ac adminiſtris eius optima ac lautiſſima, ad cibum inde parandum, ſeligebantur, quorum erant in numero præcipue oleoſa & præpinguia. Partes opimæ & adipoſæ Regum erant deliciæ. *Eſaias* delicias Chriſtianorum, a Rege Meſſia præbendas, figura a convivio regali depromta, deſcribit *Cap. XXV*, 16, & convivium illud vocat משתה שמנים משתה שמרים שמנים ממחים שמרים מזקקים *epulum e rebus oleoſis pinguiſſimisque confectum, epulum vini defecati puriſſimique, pinguedinum, quæ e medullis ſunt expreſſæ, vini defecati, quod eſt expurgatiſſimum puriſſimumque.* Unde patet, pinguia, oleoſa, adipoſa, & præſtantiſſima, in epulis regum fuiſſe conſpicua. Oleoſa vero faciem efficiebant nitidam ac pulchram (o), quæ Reges inprimis commendare ſolebat. Et eam quidem ob cauſam Deus, Judæorum dominus peculiaris, ſibi offerenda iuſſit ea, quæ ſunt præſtantiſſima atque delicatiſſima. Quæ maciem, vel formam

(o) *Pſ. CIV*, 15.

ſormam minus oleoſam, minusque excellentem, præferebant, ea a foco Dei, eiusque altaribus, debebant manere disiuncta ac remota. Et idcirco a Judæis piſces haud fuerunt Deo oblati, vel conſecrati, quippe quos nec in Syria, (p) nec in Ægypto, (q) viri ſummi, ſacrataeque Deo perſonæ, comedebant. Eandem ob cauſam Deus haud iuſſit ſibi offerri porcinam. Porcum enim extimeſcebant in iſtis Palæſtinæ ac vicinarum terrarum oris univerſi. Nec faſtidium illud erat frivolum, vel vanum, ſiquidem porcina gignebat in veſcentium corporibus vitiliginem, & varias lepræ difficultates (r). Legumina æque a procerum menſis aberant. Ea enim, ventriculo ingeſta, vires corporis prægravant, cerebrum obtundunt, & ſomnum alliciunt. Quam quoque ob cauſam ea fuerunt aliena a Pontifice ſummo, ad diem expiationis ſolennis ſacra facturo (s). Ex eadem ratione proclive eſt intellectu, cur Deus, ut legumina ad altare ipſius afferrentur, haud edixerit. Et quid

(p) *Plutarchus Sympoſ. Lib. VIII Quæſt. 8 pag. 730, Relandus Palæſtinæ Lib. III* ad vocem *Aſcalon.*

(q) *Chæremon* apud *Porphyrium de Abſtin. Lib. IV §. 7.*

(r) *Ælianus Hiſt. var. Lib. X Cap. 16, Gloſſa* ad *Tr. de Sabbato fol. 129, Cunæus de Republ. Hebr. Lib. II Cap. 24.*

(s) *Gemara* ad *Codicem Miſchnicum Joma Cap. I §. 3, Ex bacchajim* ad eum locum *fol. 772.*

quid de ferina dicam? Ferina nec ad manſuetudinem, nec ad lectiſſimos ſaluberrimosque ſpectat cibos. Nutrimenta enim ferarum, indoles, & ad eam compoſita partium textura, nec non reliqua momenta, facile demonſtrant, quinam motus ſanguinis ex frequenti ferinæ cibo exoriatur. De Regibus Ægypti *Diodorus Siculus Lib. I Cap. 70* ita tradit: *Primi Ægyptiorum Reges ſimplici nutrimento utebantur, & carnibus vitulorum anſerumque veſcebantur: & certam bibebant vini menſuram.* Et poſt pauca: *Tam moderata victus ratio præſcripta fuit, ut non legislator, ſed medicorum optimus, ad ſanam valetudinem omnia referens, eam inſtituiſſe videretur.* In Palæſtina miram fuiſſe anſerum penuriam, obiter addo, ne miremur, cur anſeres haud fuerint in ſacrificium oblati. De reliquo eadem ſubfuit ratio legibus, de ciborum diſcrimine divinitus genti Judaicæ promulgatis ac inculcatis. Reſpexit omnino Deus ad ſanitatem & animi & corporis, in gente Judæa conſervandam, dum eas condidit, atque ſcribi juſſit. Ipſe autem voluit exiſtimari Rex Judæorum peculiaris, qui ſaluti ipſorum conſulere ſtudeat. Ne vero ipſi Regem ſuum ignorarent, vel obliviſcerentur, formam cultus regii erga ſeſe obſervandi ubique legibus inſpiravit.

VIII. Holocauſta Deo, ſummo Regi, erant propria. Nihil inde in uſus adminiſtrorum cedebat. Sumebantur illa de bobus, de agnis, capris, turturibus, & pullis columbinis, haud ſecus ac expiatoria, ſeu piacula. Sacrificia piacularia alia comburebantur

bantur ex integro, alia a ſacerdotibus comedebantur, ableginibus inde decerptis, quæ conſtiterunt ex partibus pinguiſſimis. In Codice diviniori quinque res ad numerum horum ableginum referuntur t), nempe 1) omnis adeps, tegens inteſtina; 2) adeps, qui eſt circa & intra inteſtina; 3) renes duo, quibus pinguedo cohærere ſolet; 4) adeps, qui eſt על הכסלים, *circa ilia ac lumbos*. u) *Jacobus Guſſetius* in *Commentariis Linguæ Ebraicæ pag. 393 col. 1 hypocondria vicinasque partes* intelligit. Rex *Salomo Pſalm. XXXVIII, 8, latus flancs* פלנקין reddidit vocem כְּסָלִים 5) omentum x) ſupra iecur, iuxta renes. Idem ritus obtinuit in ſacrificiis, pro delicto peragi ſolitis, atque in eis, quæ ſalutaria ac pacifica ſolent appellari (§. 3). Ex *Abarbanele* attuli iam ſupra nonnulla (§. 2), quæ huc maxime faciunt. Ex quibus ſingulis ſatis apparet ratio, cur cor victimarum haud fuerit peculiariter immolatum. Cor enim eis partibus haud annumerari poteſt, quæ ſunt oleoſæ, adipoſæ, præpingues, & delicatiſſimæ. Cor potius eſt officina ſanguinis, qui, ſtante foedere veteri, fuit omnis impuritatis ſymbolum & imago, denotans peccatorum molem,

t) *Lev. IV, 8.*

u) *Bochartus* vocem interpretatur per *ilia Part. I Hierozoic. Lib. II Cap. 45 pag. 508. Sebaſtianus Schmidius* in *Commentario ad Jobi XV, 27,* vocem pro toto ſumit ventre.

x) *Hadrianus Relandus* in *Antiq. ſacris veterum Hebræorum Part. III Cap. 3 §. 6.*

lem, ad quam expiandam Servator Optimus preſioſum ac ſanctiſſimum ſuum ſanguinem haud invitus effudit.

II.

PETRI ZORNII,
IN GYMNASIO THORUNENSI RECTORIS, PROFESSORIS PRIMARII, ET BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ PRÆFECTI,
DISSERTATIO POSTHUMA DE
CÆSARIS NERONIS DOMESTICIS CHRISTIANIS,
ex *Pauli* Epiſtola ad *Philippenſes IV*, 22.

I.

Triſtia ſub *Nerone* ſecuta ſunt tempora, inter ignes & cruces *Chriſtianis* agentibus; nec vero non auctus eſt indies eorum numerus, adeo ut in *ipſa etiam familia atrociſſimi Imperatoris* eſſent, qui Chriſti nomen profeſſi, ea ſentirent facerentque, quæ veros decent Chriſtianos: qui *ad Philippenſes* extrema *Epiſtola* οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας, *Cæſaris* domeſtici, appellantur. Vide *Chriſtoph. Cellarium* in Diſſertatione *de Primo Principe Chriſtiano §. IX.* Certe, quando *Paulus in ſalutationibus* nominat præcipue *domeſticos Neronis*, id, judicio *Joannis Calvini*, obſervatu dignum eſt;

neque enim vulgare ſpecimen eſt divinæ miſericordiæ, quod Evangelium in illam ſcelerum omnium & flagitiorum abyſſum penetraverit: ac eo quidem admirabilius, quo rarius eſt exemplum, ſanctitatem in aulis regnare. a)

II. Quamvis autem *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, *Pelagius*, *Sedulius*, *Primaſius*, *Haimo*, *Remigius*, uno conſenſu iam dudum agnoverint, *Evangelii præconium Cæſaris Neronis palatium pervaſiſſe*; b) *Dorotheus* tamen, qui falſo cognomine Tyri Epiſcopus, imo & Martyr, a nonnullis nominatur, in libello de LXX Chriſti Diſcipulis exiſtimat, *non Cæſarem Neronem*, ſed *Cæſarem quendam*, *unum ex Diſcipulis Domini*, intelligendum eſſe: perinde ac ſi de privato aliquo homine, & non de Imperatore, *Paulus* loquatur. Sed hæc, inquit *Baronius Tomo I Annalium ad A. C. 33 num. 40*, potius riſu ſunt digna, quam confutatione, cum, nullum illis temporibus Cæſarem dici potuiſſe, certum ſit, niſi qui Imperator futurus eligeretur c). Eundem *Dorothei* errorem merito quoque rejicit *Gerh. Jo. Voſſius*

a) Ipſam quidem veritatem dixit *Calvinus*, at conferre tamen hic operæ pretium fuerit *Jo. Mich. Heineccium* in Diſſertatione *de Miniſtris Cæſarum gentilium Chriſtianis, eorumque in Eccleſia meritis.*
b) Confer *Davidem Blondellum* in Diſſertatione *de LXX Diſcipulis §. IV.*
c) Inde ipſis Judæis antiquis ſunt ſynonyma בסיליוס קיסר אוגוסטוס, Βασιλεὺς *Cæſar*, *Auguſtus.* Vide *Hiſtoriam* noſtram *Fiſci Judaici ſub impe-*

ſius Lib. II de Hiſtoricis Græcis Cap. XVIII pag. 251, itemque *David Blondellus* in Diſſertatione *de LXX Diſcipulis §. IV*, ut alios taceam.

III. Sed quæret aliquis, *cuius ordinis & loci fuerint domeſtici illi Neronis*, qui Chriſti ſacris initiati benigne adeo ſalutant, & comiter appellant, Philippenſes. *Georgius Hornius* in *Hiſtoria Philoſophica Lib. IV Cap. 6* nominat *Senecam* inprimis tanquam *Neronis domeſticum*, at fruſtra, quemadmodum id ſatis luculenter demonſtravit *Ægidius Strauchius* in Diſſertatione *de Chriſtianiſmo Seneca*. Alii, aliam viam ingreſſi, *nobis ſigillatim domeſticos illos Neronis, Chriſtianos puta*, oſtendere conantur. In his, ut ad antiqua Eccleſiæ Secula reſpiciamus, *Joannes* ille *Chryſoſtomus in Acta Homil. LIV*, teſte *Baronio Tomo I Annalium ad A. C. 59 num. 9* docet, *ſalutaſſe Neronis pocillatorem & concubinam*; at vero nihil tale in dicta Homilia, aut ulla alia in *Acta*, legitur, uti recte obſervavit *Thomas Crenius Parte X Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum pag. 244*; interim *Chryſoſtomus* in aliis ſcriptis *nunc ſolam Neronis pellicem* d), *nunc pocillatorem & pellicem ſimul*,

O 3 nomi-

imperio Veterum Romanorum Cap. III §. 4 pag. 191. Quandoquidem autem *Baronius* hæc, quæ in rem præſentem maxime futura erant, obſervare neglexit, monenda erant.

d) *Adverſus monaſtica vitæ contemt. Lib. II Cap. IV pag. 361 Tomo IV*. Quem locum *Chryſoſtomi*, ne *Baronio* quidem lectum, aut cognitum, nobis hæc

nominat. e) Et *pincernam* quidem illum *Glycas* in *Annalibus* ſuis *pag. 236 Eperaſtum* videtur nominare: verum *Labbeus* in notis ad illum *Glycæ* locum obſervat, vocem ἐπεράςου ibi non proprium eſſe nomen, ut *Leunclavius* & alii putarunt, ſed adiectivum eſſe, & *dilectum* ſignificare. f) Quamobrem alii, S. *Torpetem*, cuius memoria in *Martyrologio Romano* die 17 Maii celebratur, g) pincernam illum fuiſſe, ſuſpicantur, in qua ſententia eſt *Chriſtianus Lupus* in *Notis ad Tertullianum de præſcriptionibus pag. 582.* Cum vero *Chryſoſtomus* neque pincernæ, neque pellicis, nomina indicaverit, nemi-

hac in re indicant *Guil. Caveus* in *Vitis Apoſtolorum pag. 412, Jo. Triſtanus Sanctamantius Tomo I Hiſtoriæ Imperatorum*, è numis Gallice editæ, & *Jo. Alb. Fabricius Tomo I Codicis Apocryphi Nov. Teſt. pag. 451.*

e) Quando commentatur in *Epiſtola II ad Timotheum Caput ultimum.* Cum vero hoc teſtimonium verboſius ſit, quam ut hic repeti poſſit, legatur id ipſum apud *Thomam Crenium Parte X Animadverſionum Philologicarum & Hiſtoricarum pag. 244.*

f) Hanc obſervationem debemus *Thomæ Ittigio* in *Selectis Capitibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Seculi I pag. 327.*

g) Cum vero hæc omnia adhuc incerta ſint, *Baronius* tamen *Tomo I Annalium ad A. C. 69 num. 44,* de *Martyribus ſub Nerone* locutus, in hanc ſententiam diſſerit: *Erant ex his complures* ex ipſius *Neronis* familia, *quorum meminit Paulus, Romæ ſcribens ad Philippenſes his verbis:* ſalutant vos omnes ſancti, maxime autem qui de domo Cæſaris ſunt. *Ex his* unum

nemini mirum videatur, ſi *in nomine pellicis indicando varia itidem variorum coniecturæ* reperiantur. *Baronius l. c.* exiſtimat, *Poppæam Sabinam* fuiſſe, quæ, teſte *Tacito*, h) præ ceteris a *Nerone* in deliciis haberetur. *Lupus l. c.*, pellicem Imperatoris, a *Paulo* converſam, coniicit, eandem *Poppæam Sabinam* fuiſſe, a *Nerone* calcibus occiſam, quod iam Chriſtiana facta eius libidinem averſaretur. Præter *Baronium, Lupum,* & *Dan. Frid. Janum* in Diſſertatione Philol. Hiſtorica ad *2 Epiſt. ad Timotheum IV, 6, de Præſagio S. Pauli Apoſtoli de ſupplicio ſubeundo §. 12,* alii quoque de eadem *Poppæa Sabina* ſuſpicantur, quam *Joſephus* quoque *Antiquitat. Lib. XX Cap. VII* i) *pietatis nomine* laudat, quod ſæpius Judæorum patrocinium ſuſceperit. At vero, quemadmodum ex *Joſephi* teſtimonio nihil certi *de Sabinæ Chriſtianiſmo* colligere licet, k) ita malim *Tacito Annal. XIII* crede-

O 4 re,

unum fuiſſe Torpetem, Evellium *alterum*, Romanum Martyrologium *docet die 11 & 17 Maji*: *ceterorum nomina una cum Actis ipſorum in obſcuro manſerunt.*

h) Mirum vero videatur, cur *Baronius* teſtem adducat *Tacitum*, qui *Poppæam* nunquam ſuſtinuit de meliori nota commendare; mirum etiam, cur *Joſephi* teſtimonium, quod magis eius ſententiæ favet, ſubiungere neglexerit.

i) *Poppæa* illa *Joſepho* θεοσεβὴς nominatur: qui etiam in libro de vita ſua fatetur, ſe, cum Romæ ageret, a dicta *Poppæa* multa favoris documenta percepiſſe.

k) Allatis enim *Joſephi* de *Poppæa* teſtimoniis hæc ſub-

re, qui exſertis verbis ſcribit, *huic mulieri cuncta alia fuiſſe præter honeſtum animum.* Quæ cum ita ſint, *Triſtanus* pellicem *Neronis* ſacris Chriſti initiatam exiſtimat *Acten* eſſe, de qua *Tacitus*: *Ceterum, infracta paulatim potentia matris, delapſo Nerone in amorem* libertæ, *cui vocabulum* Acte *fuit.*

IV. Maiori cum veri ſpecie *Lipſius*, *Tillemontius*, *Baronius Tomo I Annalium ad A. C. 59 num. 23*, *Campegius Vitringa* l), *Jo. le Sueur*, m) & *Hermannus Witſius*, n) tradunt, *Pomponiam Gracinam*, nobiliſſimam matronam, a *Paulo* ad Chriſti ſacra adductam eſſe, cum de illa *Tacitus* hæc referat: *Et Pomponia Græcina*, inſignis fœmina, *Plautio, qui ovans ſe de Britannia retulit, nupta, ac* ſuperſtitionis externæ rea, mariti judicio permiſſa. *Isque priſco inſtituto, propinquis coram de capite, famaque coniugis, cognovit, & inſontem nunciavit. Longa huic Pomponiæ ætas, &* conti-

nua

ſubdit *Caveus*: *Wie fern man nun hieraus ihre Bekehrung, oder daſs ſie aufs wenigſte zu einer beſſern Religion, als die Heidniſche war, muſſe geneigt geweſen ſeyn, behaupten kœnne, will ich andern zu bedencken überlaſſen.*

l) In *Hypotypoſi Hiſtoriæ & Chronologiæ ſacræ pag.* 287, hæc, quæ de *Pomponia Græcina* a *Tacito* referuntur, in tertium *Neronis* annum incidiſſe, exiſtimat.

m) *Dans l'Hiſtoire de l'Egliſe & de l'Empire P. I ad A. C. 57 num. 222.*

n) In *Prælectionibus de Vita & rebus geſtis Pauli Apoſtoli Sect. XII §. 36 pag. 212.*

mua triſtitia, *fuit. Nam poſt Juliam, Druſi filiam, dolo Meſſalinæ interfectam, per quadraginta annos*, non cultu niſi lugubri, non animo niſi mœſto, egit. *Idque illi imperitante Claudio impune, mox ad gloriam vertit.* Admodum probabile eſt, o) *externæ ſuperſtitionis nomine Chriſtianam religionem* intelligi, qua ſola plus offendebantur Romani, quam omni peregrinorum numinum cultu. Neque a vero abhorret, eum animi habitum, qui ſe pio de admiſſis peccatis dolore, & generoſo omnium terrenarum deliciarum & mundanarum voluptatum contemtu, prodidit, *mæſtitiam* hic vocari. Confer *Diſſertationem* noſtram *Anti-Baronianam de Prætorio Romæ, in eoque Pauli vinculis patefactis, ad illuſtrationem Epiſtolæ ad Philippenſes I, 13, §. IV, pag. 703, Tomo II Opuſculorum* noſtrorum *ſacrorum*. Huic vero de *Pomponiæ Chriſtianiſmo* ſententiæ refragatur *Matthæus Ægyptius* in *Explicatione Senatusconſulti de Bacchanalibus, ſive Æneæ vetuſtæ Tabulæ Muſei Cæſarei Vindobonenſis*. Nimirum *Ægyptio* perſuaſum eſt, *Pomponiam ideo externæ ſuperſtitionis ream fuiſſe, quod ſacris Iſidis initiata eſſet, nondum publica auctoritate Romæ receptis, ſed vetitis & damnatis.* Quodſi *ſacra Chriſtianorum* amplexa fuiſſet, tantum abeſt, ut *Nero*, infenſiſſimus Chriſtianorum hoſtis, *Pomponiam* iudicio viri permiſerit, ut potius in publico iudicio capitis damnare voluerit. Atque, hanc mentem eſſe *Ægyptii*, teſtatur *Bibliotheque*

 Ita-

o) Hæc ipſa verba ſunt *Witſii*, in dicta *Taciti* verba commentantis.

Italique, ou Hiſtoire Litteraire del' Italie, Tome VII, pag. 245, hiſce verbis: *Nôtre Auteur reléve Mr. de Tillemont qui a cru d'après Lipſe, que Pomponia Grecina accuſée ſous Néron, d'être coupable de ſuperſtition étrangére, étoit Chrétienne. Mr. Egizio prétend que cette Dame Romaine fut accuſée d'avoir été initiée aux myſtéres d'Iſis, qui avoient été défendus & abolis ſous Tibere. Il penſe que ſi Grecina avoit été Chrétienne, Néron n'auroit pas été aſſez indulgent pour permettre qu'elle fût laiſſée à la diſpoſition de ſes Parens, outre qu'il n'étoit pas bien difficile de découvrir les Chrétiens, qui refuſoient de faire la moindre choſe qui pût les faire ſoupçonner de Paganiſme.*

V. Denique *inter Neronis Domeſticos, eosque Chriſtianos,* a *Carolo Daubuzio* p) recenſetur quidam, qui a *Paulo* nunc *Epaphroditus* q), nunc *Epaphras,* r) nominatur, primo quidem *Neronis*

p) *Libro I de teſtimonio Fl. Joſephi de Jeſu Chriſto P. III §. 9.* Confer utique ea, quæ *Daubuzio* obiecimus in Diſſertatione noſtra de Συζύγῳ Γνησίῳ, ſive *Collega Pauli coniunctiſſimo, ex Epiſtola ad Philippenſes IV, 3, §. II, pag. 709, Tomo II Opuſculorum* noſtrorum *ſacrorum.*

q) In *Epiſtola ad Philippenſes II, IV, 18, 24, 25.*

r) In *Epiſtola ad Coloſſenſes I, 7, IV, 12, & ad Philemonem verſ. 25.* Nimirum habent Scriptores antiqui, præſertim *Græci, nominum propriorum contractionem admodum familiarem,* uti pluribus declarant *Gerardus Joannes Voſſius Harmoniæ Evangelicæ Libro III Capite IV §. III,* & *Inſtitutionum Orato-*

nis ſervus, ac poſtea libertus, *Tacito*, *Suetonio*, *Dioni*, aliisque profanis Scriptoribus, non incognitus, qui *Paulo* vincto etiam lubens, nec advocatus, adſtitit, & propter eum in vincula coniectus fuit. At vero, uti hæc *Daubuzii* ſententia a *Thoma Ittigio* in *ſelectis Capitibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Seculi I pag. 371* merito reiicitur, ita argumenta, quibus illa ſententia innititur, nullius ſunt

Oratoriarum Libro IV Capite I §. V, *Thomas Reineſius* in *Epiſtolis ad Rupertum pag. 461*, & *Richardus Bentleius* in *Epiſtola ad Joannem Millium*, ſubiecta *Joannis Antiocheni cognomento Malalæ Hiſtoria Chronicæ*. Neque vero dubium eſt, quin iſtiusmodi *nomina propria*, & quidem ὑποκοριστικὰ ſive *abbreviata*, in *Novi Fœderis libris* occurrant. *Lucæ XXIV*, *18*, eſt nomen Κλεόπας, vel Κλεοπᾶς, ex quo vocabulo contractum Κλωπᾶς: imo & ipſum Κλεόπας, vel Κλεοπᾶς, contractum eſt, vel ex Κλεόπατρος, vel Κλεόφιλος, Cleuphas; *Actorum V*, *36*, Θευδᾶς, ſive Θεοδᾶς, & Θεοδάδης a Θεόδωρος, Thuda & Teuda. Nec omittendus Ἀπολλὼς *Actorum Apoſtolicorum XVIII*, *24*, *1 ad Corinthios I*, *12*, *III*, *4*, & *ad Titum III*, *13*, memoratus, quia Ἀπολλὼς per contractionem eſt ex Ἀπολλόδωρος, uti notavit *Claudius Salmaſius* in Epiſt. ad *Ægidium Menagium* de *Herode infanticida pag. 65*. Confer *Jo. Alb. Fabricium* Bibliothecæ Græcæ *Libro III*, *Capite XXVII*, *pag. 672*, & *Joannem Clericum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Seculi I ad annum 54 pag. 380*, qui eandem cum *Salmaſio* de nomine Ἀπολλὼς con-

ſunt momenti, quemadmodum pluribus oſtendit *Joannes Clericus dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne pag. 271 ſeq.* Ita quidem eſt, *Abrahamus Berkelius* in Præfatione ad *Epicteti Enchiridion*, & *Georg. Wolffg. Wedelius Exercitationum Medico-Philologicarum Centuria II, Decade II, Exercitatione I, Epaphroditum illum Neronis libertum inter Chriſtianos* numerant, ſed *Michael Roſſal* s) multo rectius negat, eum Chriſtianum fuiſſe, *Paulo* noſtro prorſus incognitum. Et profecto, quæ de illo *Epaphrodito* apud Hiſtoricos traduntur, ſatis teſtantur, non Chriſtianum, ſed Paganum, fuiſſe t). Quamvis autem *Epaphroditus* per compendium *Epaphras* dici poſſit; hic tamen nominis conſenſus nondum efficit, ut credamus, eandem perſonam a *Paulo* in diverſis Epiſtolis denotari: imo vero, ſi *Pauli* verba ſuo in loco recte

contracto ſententiam tuentur, fruſtra reclamante *Joanne Jacobo Pfizero* in Exercitatione inaugurali, qua *Apollo* Doctor Apoſtolicus delineatur, §. *III.* Quæ cum ita ſint, Ἐπαφρᾶς ex Ἐπαφρόδιτος apud *Paulum* erit.

s) In Disquiſitione *de Epicteto, Philoſopho Stoico, qua probatur, eum non fuiſſe Chriſtianum.*

t) Audiamus *Clericum l.c.: L'unité des noms n'eſt point un caractere ſuffiſent pour reconnoître l'Envoyé de Philippes, dans l'affranchi de Néron. C'eſt dans la vie de celui-ci, qu'on doit trouver des caracteres du Chriſtianiſme, qu'on lui attribüe ſi liberalement. L'Hiſtoire nous en a conſervé trois évenemens principaux. Il aſſiſta, en ſoixante cinq, à la mort*

recte expendantur, *alius fuit Epaphras Coloſſenſis, alius item Epaphroditus Philippenſis.* u) Porro autem quis ſanæ mentis homo credet, ſervum *Neronis* nunc *Pauli* cauſam agere voluiſſe, x) nunc a Philippenſibus miſſum eſſe, ut horum nomine *Paulo*

mort de Lateranus, à qui il demanda s'il n'avoit rien à déclarer. En ſoixante huit, il aida Neron à ſe tuer, en fin Domitien le fit mourir, en quatre-vingt quinze, ſous ce prétexte. Y a-t-il rien là, qui indique un Chrétien? Je parle des Chrétiens de ces ſiecles d'or, dont la vie ne démentoit pas la créance, & dont les mœurs réglés ne glorifioient pas moins Dieu, que la profeſſion publique, qu'ils faiſoient de ſa ſainte Religion.

u) Et hæc quidem argumenta in medium affert *Clericus: Il paroît qu'Epaphras étoit de Coloſſes. S. Paul dit, en parlant de lui, à ceux de cette ville:* ὁ ἐξ ὑμῶν, *qui eſt de vôtre ville: comme rendent ceux qui ont traduit le nouveau Teſtament en nôtre Langue. Cequi ne paroît pas voir convenir à Epaphrodite, qui étoit, ce ſemble, de Philippes. Il avoit été envoyé par ceux de cette ville à St. Paul, & il étoit naturel qu'ils choiſiſſent un de leurs concitoyens, pour aller ſecourir & ſoulager l'Apôtre, dans ſes grands & pénibles travaux. Il ſouhaitta d'y retourner, & ce ſouhait alla juſqu' à le remplir de triſteſſe, & à obliger St. Paul à le renvoyer;* quoniam quidem omnes vos deſiderabat, & mœſtus erat. *C'eſt naturellement ce que ſent une perſonne éloignée de ſon païs, & qui ſouhaite de le revoir; 2 on croit communément, que ces trois Epîtres ont été écrites l'an ſoixante deux de Jeſus-Chriſt; & on ne voit rien, qui oblige à s'eloigner de ce ſentiment. Epaphradite & Epaphras ſont donc*

lo pecuniam numerandam curaret. y) Quæ cum ita ſint, *Daubuzio* merito illa *Horatii* verba in memoriam revocamus: *Ficta voluptatis cauſa, ſint proxima veris.*

VI. Quamvis autem *apud profanos Scriptores de Neronis domeſticis Chriſtianis altum ſit ſilentium*; ſufficit tamen *ad fidem*, *Paulo* id dictum eſſe, quod indictum ſit profanis Scriptoribus. Non ſolent committi Scriptores vel Græci, vel Romani, in iis, quæ quisque peculiaria habet, quin potius illa aliis vel incognita, vel per incuriam præ-

dont deux perſonnes differentes; le premier eſt envoyé cette année par St. Paul à ceux de Philippes, & le ſecond demeure avec lui priſonnier à Rome. Philem. v. 23.

x) Ita autem pergit *Clericus*: *Un vil affranche réſiſtera à Neron; aura la hardieſſe de défendre une perſonne qu'il condamne; & Neron ſe contentera de le faire mettre en priſon! Neron, qui ſur le moindre ſupçon ôtoit la vie à tout ce qu'il y avoit de plus conſiderable dans l'Empire! Encore l'en fait-il ſortir peu après, pour l'élever aux plus grands honneurs. C'eſt tout ce qu'on pourroit croire d'un Prince auſſi débonnaire, que cet Empereur étoit cruel.*

y) Reſpondet vero *Daubuzio* in hanc ſententiam *Clericus*: *En effet, qui ſe perſuadera jamais, que les Philippiens ayent député l'affranchi de Neron à St. Paul? Quelle affaire l'avoit conduit en cette ville? Pourquoi tant d'envie d'y retourner, jusqu' à tomber dans une ſi grande triſteſſe, que St. Paul eſt contraint de le renvoyer à ceux de Philippes? Ce ne*

prætermiſſa cenſentur. Cur non eadem æquitate utemur erga *Paulum*, cuius fides & *αὐθεντία* tot indiciis comperta? An credibile eſt, adeo ſtupidum fuiſſe *Paulum*, vel adeo famæ ſuæ prodigum, ut in re ſui temporis nota atque comperta, citra rationem ullam probabilem, tam impudenter mentiri animum induxerit?

III.

I. P. S. SPECIMINIS GLOSSARII GRÆCO-PHOENICII QUÆ RESTANT.

---

61) Αἰσυμνάω, regno, *αἰσυμνητεία*, regia poteſtas. Ar. *azama* (ain, ſad, mim,) ſervavit immunem, defendit, ſuſtinuit quem, ne deiiceretur, fulcivit, *azimon*, tutela, patrocinium, *aazimon*,

ne ſont point au reſte ici les ſentimens, que la nature inſpire à tous les hommes, de ſouhaiter de revoir leur patrie: car M. d'Aubuz croit, qu'Epaphrodite n'étoit pas de Philippes, mais de Coloſſes. Quel eſt donc le motif de ces déſirs ſi violens? C'eſt à cet habile homme à nous en inſtruire. Il nous dira auſſi, quand il lui plaira, pourquoi Epaphrodite retourne trois ans après à Rome. Car j'avoüerai ingenüement que je n'en ſais rien & que le voyage de l'affranchi de Neron me paroît fort être de la nature de celui, qu'Homere fait faire à Helene à Troye, où cette Princeſſe ne fut jamais. Voyez Herodote Liv. II ch. 104, 110.

zimon, defendens, *izmahton*, defenſio, tutamen, firmitas. Regis autem eſt præcipuum, ſuos a noxa præſtare immunes ac tutari. Similiter βασιλεὺς eſt ab Ar. *baſala*, (be, ſin, lam,) ſtrenuus, fortis, generoſus, fuit vir, it. incolumem ſervavit, præfecit illum eius curæ, ſemet morti ac diſcrimini tanquam ſui prodigus obiecit. *Baſilon*, *batalon*, vir ſtrenuus, heros, leo. Sic apud *Homerum* de viro excellenti, h. e. heroe ac viro ſtrenuo, nomen hocce uſurpatur. Liceat hic alia adhuc regum ac principum nomina Græca afferre. Ἀνάσσω, regno, unde ἄνασσα, regina, ἄναξ, rex, optimam haud habet rationem denominationis. Ebr. Chald. Syr. *anas* (aleph, nun, ſamech,) coegit, urſit, exegit, vim, violentiam intulit, oppreſſit. Unde Ch. *anoſa*, *anos*, & *ones*, violentus, prædo, it. præfectus, dominator, qui ſubditos premit. Ἀνάσσειν itaque eſt proprie tyrannidem exercere, tyranni inſtar regnare. Nomen ἄναξ exoritur a verbo *anak*, (ain, nun, kuph,) Chald. coegit, conſtrinxit, unde *ankamin*, h. e. *anakei*, viri proceres ac fortes. In Ar. procer fuit, manibus collo iniectis ad ſe adduxit, unde *anikon*, pl. *anakon*, proceres homines, Principes, *anokon*, qui aliquem collo prehendit. Sic ἄναξ proprie eſt tyrannus, qui per vim rerum potitus eſt. Similiter tyrannus dictus a faſtu & violentia. Chaldæis *Thuran*, *thurna*, *thiruna*, & *thurannaja*, ſatrapæ potentes. *Thirunia*, τυραννία, a radice *tharan* (thet, reſch, nun,) quam Syri conſervarunt. Signif. ſuperbus, arrogans, durus,

cru-

crudelis, fuit. In Ar. *tara*, ſeu *tſara*, (thſe, vaw, vel elif, re,) elatus fuit, aſſilivit præ ira, impetum fecit, irruit, volavit: concitavit (bellum, tumultum), concuſſit. *Tſauron*, impetus, inſultus, it. taurus. Inde manifeſte Lat. taurus. Germani exprimunt exacte literam Arabicam in voce *Stier*. Ebræis *Schor* (ſchin, vav, reſch,) bos & princeps. *Schur*, principem egit, *Sar*, princeps, *Sora*, principale. Chald. *Schur*, *ſchever*, ſubſiliit, ſuperbus, inſolens, fuit: (ſic hoc exemplo ſimul patet, quomodo litera Arabica *thſe* ab aliis in ſimplex *t*, ab aliis in *ſch*, & in ſimplex *s*, ſit mutata; unde non mirum, literas *t* & *s* ſæpe invicem commutari,) it. *dominus*. Arab. *Tyron* (te, je, re,) faſtus, elatio animi. *Tajaron*, unda, fluctus tumentior, it. faſtu elatus. *Tajiron*, ſuperbus, inflatus. Sic tyrannus eſt, qui faſtu ac vi ſupra alios ſeſe effert, & involat in alios. Melioris iterum notæ eſt κύριος, dominus, κύριος, adiect. ratus, proprius, præcipuus. Κυριεύω, dominus ſum, potior, recupero, κῦρος, autoritas, rata fides, cardo rei, κυρόω, ſancio, ratum facio. Eſt ab Ar. *Kàra* (kaf, re, ain,) ſortitus eſt, rem curavit, ſe ſubmiſit, obſequentem ſe præbuit, conſilium admiſit; it. elegit, electus, delectus fuit. *Karion*, conſilio acquieſcens. *Karaon*, ſedulus, cura qua alium antevertere, & eidem antecellere, curans. *Karijon*, electus, delectus, heros. *Kirrijon*, princeps populi, herus. *Mikraon*, princeps populi familiæve, dominus, &c. Hinc Germanicum *Küren*, eligere, optionem facere, in *Kur-Fürſt*, hoc

eſt, princeps elector, jus eligendi habens, in *erkoren*, delectus, &c. Atque hinc Græc. *κύριος* eſt proprie is, qui in imperium eſt electus a populo, & qui curam gentis ſuſcepit. Latinum *Caro* ab eodem deſcendit. Notio ſanciendi, & ratum faciendi, quæ in Græca occurrit, eſt ab Ar. *Karra*, (kaf, re gemin.) firmavit, ſtabilivit, conſtituit, deliberavit, curavit rem, ſtabilitus fuit, &c. Sic porro *ἥρως*, heros, ſemideus, eſt ab Ebr. *har* (he, reſch,) mons, arx alta & munita, per metaph. in plur. *bare* & *harim*, res, perſonæ magnæ, res altæ, excelſæ: Reges fortes, magnates. Convenit plane cum Germanico *Herr*, &c. Convenit eum Syr. & Arab. *kharra*, (kha, re gem.) nobili ſtirpe natus, ingenuus, fuit, libertate donavit, liber, nobilis, illuſtris, princeps. Denique *ἡγεμὼν*, dux, præfectus, *ἡγεμονὴ*, principatus, imperium, *ἡγεμονεύω*, dux viæ ſum, duco, præſum, &c. eſt ab Ar. *hagama*, (he, gjim, mim,) irruit, invaſit, iniivit, & tranſit. immiſit, fecit ingredi, adegit, propulit, abegit, quieſcere fecit, & in ſtabulum reduxit camelos. *Hagmon* & *hagamon*, plur. *ahgamon*, ſemita, it. agmen camelorum non minus quadraginta, vel pecul. a LXX ad C, aut paulo minus. (En originem vocis *Agmen*, forte a ducendo ſic dictæ.) Chaldæis & Rabbinis vox æque ac Græcis eſt in uſu. *Hagmon* & *hagmona*, dux, præfectus, it. Epiſcopus. *Hagmon haggadol*, Pontifex maximus, &c. Græci & Chaldæi ex uno fonte hauſerunt. Verbum Græcum ſupra omiſſum *ἄγομαι*, ducor, *ἄγημα*, agmen in bello,

ἄγω,

ἄγω, duco, ago, &c. hinc quoque fluxit, itemque Latinum *Ago.*

62) Αἰτέω, poſtulo, peto, ἀίτης, mendicus, αἰτίζω, peto, mendico, &c. αἴτης amaſius, qui amatur amore venereo. Ar. *ataj*, act. *atjon* (elif, te, je,) inter ſignif. venit, advenit, adduxit, dedit, donavit; it. largitus eſt, benignitate uſus fuit; it. appetivit, in genere expetivit acceſſum, rogavit, ut veniret, exſpectavit; it. appetere congreſſum, & oeſtro agi; *atijon*, *itjnon*. coire; it. coitus, congreſſus venereus, hinc αἴτης.

63) Αἴτιος, quod in cauſa eſt; αἰτία, cauſa, culpa, crimen; αἰτιάζω, accuſo, culpo, &c.

Ar. *atta* (ain, te gemin.) obiectavit illi crimen, contendit verbis, altercatus eſt cum alio, corripuit gravibus verbis. *Atataton*, repetitis verbis dixit quid, proſecutus fuit, ſubiunxit rem rei, fecitque, ut alia alteram ſequoretur.

64) Αἰχμὴ, cuſpis, mucro, telum ipſum; it. bellum; αἰχμίον, haſta, αἰχμάζω, iaculor, vibro.

Ar. *achamon*, ſagitta pinnis carens. *Hhamamon*, haſta tenuis & infirma. Vid. *Caſt. pag. 1272 & 1273* ad verbum *chamam* (chet, mem gemin.). Conf. etiam verbum *hhama*, (mem, vav, ſeu elif,) in Ar. defendit, præſidio cuſtodivit, &c.

65) Ἀΐω, audio, ἐπαΐω, idem ἐπαΐω, intelligo, audio, ἀΐσθω idem.

Ar. *aia* (elif, je, elif,) inclamavit, increpuitque camelos, dicendo *aiaia*; it. *aia*, particula vocativa propinqui & longinqui, Lat. Heus! Sic ἀΐω eſſet, ſi quis particulam vocandi heus! perci-

 pit,

pit, h. e. audit, &c.. Chald. *aijen* (ain, jod, nun,) vidit, advertit, conſideravit; *ijjun*, attentio, animadverſio, &c.

66) Ἀιορέω, in ſublime tollo. Vid. ſupra αἰωρέω.

67) Ἄκανθα, ſpina; it. ἄκαινα, ſpina, virga paſtoralis. Habent Arabes. Vid. *Caſt.* ad voc. אכן (elif, kaf, nun).

68) Ἀκκὼ Acco, mulier ob ſtultitiam inſignis; it. recuſans, quæ volebat. Hinc ἀκκίζομαι, ſimulate recuſo: ἀκκισμὸς, ficta recuſatio.

Ar. *Akka*, עכב, negavit, divertit a re, diſtulit, procraſtinavit rem, quæ fieri debebat, ſæpius repetiit dictum, pili ſui colorem foeta mutavit, &c. Cuncta Græco reſpondent.

69) Ἀκόνη, cos, ἀκονάω, acuo, exacuo, ἀκὴ, mucro, cuſpis, ἀκὶς, acumen, acies, ἀήκης, acumen non habens. Syr. & Chald. עקס & עקץ, punxit, ſtimulavit. Ἀκίζα, punctura. *Okez* & *akza*, acumen, acies, aculeus, apex; it. petiolus fructuum, papilla mamillæ, angulus acuminatus, cuſpis ſpinæ dorſi. Hinc nomen cotis Græcum, ſiquidem illo acumen redditur. Ab hoc deſcendit porro Lat. *Acus*, ab acumine, it. Græcum ἀκινάκης, acinaces, ſeu Perſicum iaculum. Nec forte ἀκμὴ, h. e. cuſpis, ſeu acies, it. vigor ætatis, inde eſt alienum. Germ. *Axt*, ſeu dialecto ruſtica *Exe*, h. e. ſecuris, ab acie, conſpirat. Anglice *Ax*.

70) Ἄκρις, cacumen, ἄκρος, ſummus, extremus, ἄκρων, extremitas membri, ἀκρίζω, ſumma

ma loca perambulo. Hinc putant Jovem dictum ἄκριον, & Minervam ἀκρίαν.

A verbo Arab. *akar*, עקר, eſt *Akron*, radix, fundus rei, fundus & area domus; it. locus habitationis, pec. *Palatium & ædificium omne excelſum.* Hinc quoque omnis res rara & præſtantior rei pars dicitur *okron.* Montes inde quoque nomen habent in Arabia. Arena etiam prominens dicitur *okron. Akiron,* incomparabilis (mulier), *ikaron*, caſtrum, *arx*, it. *dominium*, *dominatus. Akowron,* quæ attonita videntur, &c.

Hinc patet, notionem verbi Arab. inter alias quoque eſſe, excelſum & præſtantem eſſe, rebus aliis præcellere. Eadem eſt Græci. Jupiter ἄκριος itaque eſt excelſus, ſummus, in excelſo habitans, incomparabilis, aut *Jupiter* Palatinus. &c. Vid. ſupra *Aſius.*

Arabibus etiam eſt vocab. *ikron*, עכר, a verbo *akara*, h. e. origo & principium, in quavis re. Quadrat in *Jovem Acrium.*

Ceterum Græcum κέρας, Lat. cornu, vetus Celticum *Cara*, Hebr. *karan*, קרן, huic ſunt affinia.

71.) Ἀκροάομαι, audio, auſculto, ἀκρόασις, auditio, recitatio docta, ἀκροατήριον, auditorium.

Chald. *Karam* & *Karma*, vinea, it. ſchola, academia, ſynagoga (in qua lineatim ſedent, ut vites plantantur). Ar. *Karama*, כרם. Ab eo Grammatici formant *akrama*, *ikranon*, *akromahton*, *makarimon*, *takrimon*, &c. Signif. generoſus, liberalis, honore dignus, fuit, de generoſita-

 te,

te, nobilitate, & honore, certavit, *benigna & egregia oratione uſus fuit*, liberale ac nobile quid fecit, vel invenit, &c. Hæc artibus liberalibus conveniunt, locisque, ubi illæ traduntur, & a diſcipulis audiuntur. Notio audiendi ſic evaderet ſecundaria.

72) Ἀκρέμων, ramus grandis, ἀκρεμονικός, a grandi ramo proveniens.

Hæc vox ab Ar. כרם, *karama*, generoſus, magnus, nobilis, fuit, generoſum nobilemque indole prolem genuit; hinc *akramon*, nobilior, nobiliſſimus. Generatim de re magna, egregia, ac præſtanti, nobili, ac honore digna, &c.

73) Ἀκὶς & ἄκων, iaculum, telum miſſile, it. ἀκόντιον. His plerumque ſubiunguntur, velut derivata, ἀκοντίας, ſerpentis genus, ἀκοντίζω, iaculor, ἀκόντισις, iaculatio, &c.

In Arab. occurrit 1) *akiſa*, עכז, (elif, kef, ze,) in ſe contractus fuit, it. *haſtam in re fixit*, munivit inferne haſtam ferramento. *Akazon*, baculus, inferne ferramento munitus. *Okkazabton*, *haſta brevior*, quæ manu geſtatur.

2) Verb. *akaſa*, עקס, viperæ more inceſſit, in gyrum ſe convertit. Chald. *achna*, אכן, ſerpens, vipera (aleph, kaph, nun,). Atque hinc ἀκοντίας.

74) Ἀλαζών, arrogans, oſtentator, glorioſus.

Ar. *galath*, עלט (gain, lam, ta,) ſævus, contumax, inhumanus, ſtolidus, fuit, ſi quis ferocem & moroſum ſe exhibet. Character arrogantiæ. Gain vero facile tranſit in *ain* & in ſimplex *a*, litera *ta* autem ſua natura modo in *z*, modo in *t*, mutatur. Exemplo ſit Anglicum *th* in *No-*

thing

thing & aliis vocibus, a Scoto & Londinenſi diverſe prolatis,

75) Ἀλαλάζω, lætus clamo, clamo *alala*, vox militum in pugna clamantium.

Arab. *Halla*, הלל, præ lætitia exclamavit, exultavit, extulit vocem. *Hallaj*, iubilum. *Halalinahton*, exultantis ludentisve populi voces. *Tahlilon*, iubilatio. Vid. *Caſtel. Hele, hela*, agedum, particula commovendi & excitandi ac compellandi; it. *Hela*, *ela*, voces, quibus terrentur ac commoventur equi. *Men. Caſt.* Cum hoc Græcum ἀλαλαὶ plane convenit. Inde forte rectius particula incitandi *Allo*. Vide ſupra.

76) Ἀλαωτὺς, cæcitas, ἀλαὸς, cæcus, obſcurus, &c.

Ebr. *alatha*, עלט, nox cæca, caligo. Ar. עלרח & עלט, hallucinatus eſt, erravit, &c.

77) Ἀλέγω, curo, curam gero; it. ἀλεγίζειν & ἀλεγύνω, accurro, apparo.

Ar. *alaga*, עלג, tractavit rem, negotia, concinnando, medicando, curatus fuit. *Aligon*, *qui curat opes gregeſve*. *Algon*, qui medicinam adhibet, *curatio*, medicina, medicus. *Moaligon*, curator, medicus.

78) Ἀλείφω, ungo, lino, it. incito; ἄλειψις, unctio, it. ἀλείμμα, &c.

Ar. *alapha*, עלף, (ſeu *galafa*, adeſt enim gain,) barbam infecit, corium concinnavir arbore, it. *inunctus eſt*. *Aluph*, linimentum.

79) Ἀλκὴ, auxilium, robur, fortitudo. Cum his cognata ἄλκω, ἀλκτὴρ, ἀλκάζω, nec ſeiungi

gi poſſe videtur verbum αἰλίζω cum derivatis ſuis.

Habent unice Chaldæi *aike*, אלקי, ſubſidium, auxilium. Radix in nulla dialecto orientali videtur conſervata. Neſcio ſane, num hic conjecturæ aliquid ſit dandum. Chaldæi Ducem, Proregem, appellant *Alkaphta* &c. Pro *alaha*, & *alabin* dicunt *elaka* & *alakim*. Hoc pacto, ſi אלק pro אלה, *alak* pro *alah*, eſt poſitum, res indagatu eſt facilis. Etenim Arab. *Alaha*, אלה, coluit, adoravit, it. *iuvit*, *liberavit*, tutatus fuit. Inde *Alahu*, Deus. Ebr. *aloha*. Chald. *alah*. Vid. *Caſtel.* ad voc. אלק & אלה.

80) Ἀλλὰ, ſed, autem, imo.

Eodem Chaldæis, Syris, Æthiopibus, & Arabibus, uſu receptum. Vid. *Caſt.* ad voc. אלא. Sic quoque Lat. *ille*, *illa*, in Chald. *illeck*. Vid. verb. אלך. Arab. *ila* & *olaj*. Vid. אלי. Rabbinis *elu*, אלו. illæ, *alu*; ecce.

81) Ἅλσις ſaltatio, palpitatio, ἅλλομαι, ſalio, ſalto, &c. Ebr. *alas*, עלז & עלץ, exultavit. *Alizut*, exultatio.

82) Ἅμα. Æolice ἄμυδις, una, cum, ſimul, eodem tempore, Ebr. *amit*, proximus, *Leümmat*, iuxta, prope, ad coniunctionem. Vid. עמרן. It. *im*, עם, cum, iuxta, prope, apud.

In Ar. *amma*, אמם, propinquus fuit, prope acceſſit, appropinquavit, *amamon*, appropinquans.

83) Ἀμαλὸς, mollis, tener, debilis. Inprimis Græcum μαλάσσω, mollio, huc referendum.

Item-

Itemque *μαλλὸς*, lana, vellus, it. *μαλὸς*, tener. Ar. *malaſa*, מלס, mollis, levis, glaber, fuit, tale fecit, glabra fuit lana ovis. *Malaſabton*, mollities. *Amlaſu*, levis, glaber, &c. it. *Meliſſabton*, h. e. *Meliſſa*, granati meliſſa. Patet, quod non Græcum ſolum, ſed etiam Latinum, *mollis*, inde proficiſcatur. Galli quoque habent *Molleſſe*. Et quid obſtat, quo minus Germanicum, *Maltz*, hoc eſt, polenta, inde deducamus? Verbum *maltzen* quid ſignificat, niſi grana frumenti reddere mollia? Saxonibus dicitur *Malt*.

Spectat huc quoque Arab. *Malada*, מלד, emollivit, molle tenerumque reddidit. *Maladon*, mollities, teneritas, it. iuventus, adoleſcentia. *Maldon*, ſerpens, &c. Chaldæis remanſit *elat* & *melata*, מלת, melote, lana agnina puriſſima, tenuiſſima, & molliſſima. Arabibus eſt denique *malatſa*, מלת, *demulſit* & delinivit verbis, blanditus fuit. Et ſic Lat. *Mollio* & *Mulceo*, *mulſit*, ab his cognatis Orientalibus ſunt profecta.

84) Ἀμαλόω, aboleo, ἀμαλδύνω, & ἀμαλάπτω, perdo, corrumpo, &c.

Verb. præcedens Ar. *malaſa*, מלס, ſignificat etiam perdere, corrumpere. Caſtravit, vitiatus & hebetatus fuit illi viſus. *Amlaſon*, tenebræ conſertæ, cum quis caſtratur; item *Malaa*, מלע, excoriavit ovem a collo exorſus. *Malaon*, conſpiratio contra hoſtem. Inprimis huc refer Arab. *Amala*, עמל, (cum gain,) recondidit ſub terra pellem remolliendi & deglabrandi ergo, & quidem nimis diu reliquit, ita ut corrupta fuerit; item

corruptum fuit (corium, ulcus), *amalon*, *corruptio*; *amiſlon*, corruptæ herbæ, &c. Hebræis אמל, *amal*, infirmavit, debilitavit, languefecit. Non ſane differt notio formalis ab Arabica.

85) Ἀμάλθεια, capra illa cœleſtis, quæ Jovem lactaſſe fertur, & cuius cornu omnium rerum copia abundaſſe perhibent. Inde ἀμαλθεύω, ditare, tanquam ex cornu copiæ. Huc omnino ſpectat verbum *mala*, מלא, plenus, completus, fuit, implevit; *male*, plenus; *mlea* & *moleati*, plenitudo. Sic Ebr. Chald. Syr. Aeth. & Arab. His ſignificat inprimis implevit, dives fuit, locupletavit. In Arab. inde formantur ſequentia: *malaon*, *malijahton*, *malaahton*, *amlaon*, *amlijaon*, *imtalijahton*, &c. Omnia fere ſignificatum ditandi & implendi ſervant. Ceterum hic non locus, fabulæ explicationi immorandi. Satis eſt, ortum verbi ἀμαλθεύειν indicaſſe, quod a *Mala*, ut ἀμαλὸς a *Malaſa*.

86) Ἀμάρα & ἀμαρὶς, aquæductus, ἀμαρεύω, permeo ceu aqua.

Ab Arab. המר, *hamara*, *fluxit aqua*, effudit aqua; *hamiron*, una pluviæ effuſio, imber; *hammaron*, pluviam effundens nubes. Adſpirationem voces in aliis dialectis modo adſciſcunt, modo abjiciunt.

87) Ἁμαρτία peccatum, error, &c.

In Samarit. *amar*, עמר, prævaricatio. In Arab. *amarrathon*, malum, infortunium; *omrouthon*, latro, ſceleſtus, improbus; *amarraſon*, malignus indole. Vid. *Caſt.* ad vocem עמר. Radix vide-

videtur eſſe in Arab. *Marra*, מרר, *tranſiit*, prætervectus fuit, abiit, præteriit, it. amara fuit res, amara locutus fuit, ingrata dixit. Inde *amarru*, amarior, acerbior; it. malum, infortunium; *amarruna*, mala, infortunia. Sic ἀμαρτία erit, ſi quis regulam tranſit, aut ab ea abit, aut quilibet actus, effectum ingratum producens in aliis, & in homine ipſo. Notes in tranſitu, quod Latin. *Amarus* plane concordet cum Arabico. Ebr. & Chald. ac Syr. eſt *Marar*, *marer*, *amarer*, &c. *Mar*, *mara*, amaritudo, bilis, fel. Nomen *Mare* hinc quoque exortum, nimirum ab amaritudine aquæ marinæ propria. Eſt quoque a verbo *maru*, מרא, in Arab. *maraon*, peccatum, noxa. Attamen propius accedit ad Græcum verbum cognatum *Marad*, מרד, Hebr. Chald. Syr. & Arab. rebellavit, rebellis fuit, defecit, *prævaricatus fuit*. *Marud*, afflictus, miſer, exul, vagus. (Inde Gall. *Maraud*, *maraudeur*, Germanis *marode ſeyn*, defectu virium laborare, vagum, miſerum, eſſe.) Chald. *marod*, *maroda*, transgreſſor, contumax, rebellis. (Hinc in bello *die marodeurs*, qui mandatis Imperatoris non obediunt, & ut contumaces huc illuc diripiendi cauſâ vagantur.) In Arab. ex *marada* formatur *mardon*, *maridunon*, *tamaridon*, *tamerodon*, & denique *amaradu*.

88) Ἀμαυρὸς obſcurus, ἀμαυρόω, obſcuro, &c. item per aphæreſin μαυρόω. Hinc quoque ἀμαύρωσις & μαύρωσις, obſcuratio.

Arab. *mara*, מור, res huc illuc commota fuit, conturbatum fuit cœlum, ventus pulverem agitavit.

vit. In Hebr. idem verbum ſignificat mutavit, commutavit, atque hinc Chald. *Murar*, mutatus a religione & fide ſua, apoſtata; item מורון, *mowron, nigrum*. Hinc *Mohr*, hoc eſt, æthiops, a mutato colore, eoque nigro. Conſulas quoque verb. מרר, *marar*, unde *mar*, *mara*, fel, bilis, forte color Maurinus a bile atra, vel flava, &c.

89) Ἀμάω, meto, colligo, ἄμητος, meſſis, collectio frugum, ἀμητὸς, tempus meſſis.

Convenientia inter Græc. ἄμητος & Latin. *meto* ſatis apparet. Nec Germanica diſtat, quibus ſenſu metendi dicitur *na-mate*, hoc eſt, fœnum, quod poſtremo metere ſolent.

In Arab. *mataa*, מתע, utilitatem fructumque cepit, fruitus fuit, aſportavit ſecum, abduxit rem. *Mataon*, fructus, qui ex re percipitur, commodum, donum. *Motaton*, fructus, utilitas. Hinc *Meſſis* & *meto*, *meſſui*, &c. Proprie eſt fructum capere, & ex conſequ. colligere. Arabes a verbo *mata* formant, præter allata, *amtaaton*, *amtau*, *tamattuon*, &c. Hinc Græc. ἀμητός.

90) Ἀμητὴρ, meſſor, ἀμήτειρα, fœmina metens. Poteſt quidem præcedenti, ut fieri ſolet, ſubiici; at quidni potius a verbo *matar*, מתר? In Arab. *matara*, ſecuit, amputavit. Inde formatur *imtiraron*, & ſic alpha fronti adiectum. In Æthiop. *matara* id. ſcidit, abſcidit, amputavit, reſecuit. Atque hinc quoque vetus *Matara*, & noſtrum *Metz*, ſeu *meſſer*, inſtrumentum, quo quid amputatur.

91) Ἀμέλγω, mulgeo, ἀμολγεὺς, mulctra.

Græc. & Latin. *μέλγω* & mulgeo non differre, patet. Germanicum *melken*, unde *melk* & *milch*, convenit quoque. Etenim *k* & *g* in ipſis dialectis Germaniæ ſæpe commutantur.

Arab. *malaga*, מלג, extremo ore infans apprehendit ubera matris ſuæ, & eo modo ſuxit, ſuxit lac, exſuxit pullus. *Mulugon*, hædus lactens; *maligon*, lactens. Arabes inde quoque formant *amlagu*, *imlagon*, *omlugon*, &c. Hinc Græcum *alpha* in initio.

A verbo Arab. *malacha*, מלח, eſt *milchon*, ſuctus lactis. Vid. *Caſt.*

Eſt adhuc tertium verbum agnatum Arab. *malaka*, מלק, ſuxit lactens matrem ſuam pullus, blanditiis demulſit, (hinc Lat. *mulceo*, demulceo,) adulatus fuit, amorem oſtendit; item eduxit, exire curavit quid. *Malakon*, amor, lenitas, blanditiæ, adulatio, item plana & æqualis terra (hinc malacia maris). Ab hoc ultimo eſt Germ. a primo Gr. & Lat. Vid. *num. 83.*

92) Ἀμέργω, olivam exprimo, oleas exſugo; ἀμόργη, *amurca*, recrementum olivæ expreſſæ; ἀμοργὸς & μοργὸς, qui exſugit, &c. Ebr. *Morag*, plur. *morigim*, מרג, tribula, qua olim frumenta excutiebantur. Chald. impulit, propulit, unde *morig*, palatum, & *marganita*, ubera, mammæ. Elucet notio exſugendi & exprimendi. Æthiop. *myrugy*, purgatus a ſordibus (*meracum*). Propius adhuc accedit verbum *Marak*, מרק, Ebr. contudit, attenuavit maſſam, Chald. ventilavit, a paleis expurgavit frumentum. Denique eſt

ma-

marak, מרק, Ebr. terſit, abſterſit, *marak*, jus, in quo defæcetur & defricetur caro, *merukim*, purificationes, abſterſiones. Arab. jurulentum, juris abundantem fecit ollam; item *ſuccum colavit*. *Marakon*, colatum. *amrakon*, cum fluida & liquida potantur, *imjirakon*, celeritas ſorbendi, &c. Hinc evidenter *Amurca*.

93) Ἅμιλλα, certamen, contentio; ἁμιλλάομαι, certo, enitor, æmulor.

Verb. *Amal*, עמל, Ebr. laboravit cum moleſtia. Chald. & Syr. exercuit ſe, defatigavit. *Amel*, *amla*, labor. Arab. fecit, operatus fuit, militavit, laboravit, ſtuduit rei. *Amilon*, opus faciens; *amila*, *omnes intendit nervos*, &c.

94) Ἀμορβὸς, obſcurus, tenebricoſus; ἀμορβὴ, nox media. Huc ſpectat quoque ἔρεβος, orcus; ἐρεβεννὸς, tenebroſus, profundus, &c.

Verb. *arab*, ארב, Chald. obtenebravit, adveſperavit; *arba*, veſpertinum; *arbona*, tenebræ. Ebr. *arab*, inſidiarum locus, luſtrum, latibulum; *arübba*, ſpecus; item caminus, fumarium (erebus). In Ebr. Syr. & Æthiop. *araba*, ערב, occidit ſol, adveſperavit, &c.

Hoc exemplo conſtat, in Græca particulam ἀμ æque nonnunquam abundare, uti in Germanica particula *an* ſæpe eſt ſuperflua.

95) Ἀμύνω, tueor, propugno, ulciſcor, &c. Verb. *Aman*, אמן, in Arab. inprimis ſignific. fidit, confidit, *ſecurum tutumque reddidit*, *protexit*, recepit ſe in fidem. *Aminon*, ſecurus, tutus; *amanon*, ſecuritas, protectio; *amijnon*, qui publicæ ſecuri-

curkati præſunt, principes, magnates. *Mowminon*, protector; *muſtaaminon*, cliens, & ſub alterius protectione vivens, &c. Derivatio quoque, ſi opus foret, peti poſſet a verbo *Mana*, מנע, Ebr. Chald. Syr. & Arab. prohibuit, inhibuit, arcuit, repulit, protexit. Arab. *manabton*, arx, caſtellum; *manon*, oppoſitio; *manion*, protegens eum, &c. Hinc formatur quoque *im* vel *amjimaon*. Ab eadem voce אמן in Parte Germanica derivabimus *Amman* & *Amtman*. Inde quoque Jupiter *Ammon*, &c.

96) Ἀμύσσω, vellico, unguibus carpo, lacero. &c. Arab. *Maza*, מזץ, confricuit manu, lavit, mundavit veſtes. Ebr. מוש, *mus*, palpavit, contrectavit. Chald. *mus* in Aphel *amis*, palpavit. Arab. *maſſa*, משש, fricuit manu, re aſperiore, mundandi ergo, maceravit rem in aqua.

97) Ἀμυδρὸς, vix apparens, exilis, obſcurus; ἀμυδρῶς, obſcure, &c.

Si particulam ἀμ hic iterum ut in voce ἀμυδρὸς ſuperfluam eſſe ſtatuimus, radix Orientalis erit in verbo Arab. *Adara*, עדר, (dhſal in medio,) delevit, deſtruxit, obliteratis veſtigiis fuit domus, deletus fuit. Ex *adara* formatur *adron*, *udron*, *aadaron*, *mudiron*, &c. Et ſic cum expletiva illa fiet *amudron*.

98) Ἄνω, ſupra, ſurſum; ἐπάνω, ὑπεράνω; item Arab. *An*, ען, *ſuper*, poſt, propter, ex, ab, a. Vid. *Caſt.* ad voc ענן.

99) Ἀναγκάζω, cogo, compello, vexo; ἀνάγκη, neceſſitas, fatum, quæſtio per torturam, &c.

Chald.

Chald. *anak*, ענק, conſtrinxit, *coegit*. Arabibus ab eadem radice eſt Subſt. *anakon*, calamitas, difficultas, negotium durum ac vehemens; item *aanoki*, difficultas, anguſtia.

Conveniunt verba Ebraica אנח, *anách*, item אנק, *anak*, clamavit, gemuit, unde Chald. *anik*, anguſtia. anxietas, gemitus.

Vox Ἀνωξις, iuſſio, voluntas, & verbum ἀνώγω, fut. ἀνώξω, iubeo, hortor: non multum abſunt ab hac radice. Juſſio eſt ſpecies coactionis.

100) Ἀνάσσω, regno, ἄνασσα, regina, ἄναξ, rex.

Ebr. & Chald. *anas*, אנס, coegit, urſit, vim intulit, oppreſſit. Inde *ones* & *anos*, violentus, prædo, raptor; item *ones*, *Præfectus*, *dominator*, inde dictus, quod ſubditos premat. Sic verbum Græcum proprie de regimine vi acquiſito, aut exercito, foret uſurpandum. Conf. quoque Ebr. *anaſch*, ענש, hoc, eſt, mulctavit, punivit, condemnavit, quod in Arab. ſignificat propulit, inflexit, exturbavit, inſectatus eſt, manum collo alterius iniecit, &c. Vid. ſupra *num. 16*.

101) Ἀνία, mœror, triſtitia. ἀνιάω, moleſtia afficio, lædo, &c.

Ebr. *anah*, אנה, mœſtus fuit, luxit; *anijah*, mœſtitia, planctus. Vox a *Caſtello* quoque obſervata. Idem in Arab. *anhelavit*, gravius ſpiritum duxit, effectus mœſtitiæ.

102) Ἀνύω & ἀνύω, ſubigo farinam, pinſo, purgo. Ebr. & Chald. *anah*, ענה, *affixit*, *oppreſſit*,

ſit, *compreſſit*, *ſubegit*. Hinc *ani*, *oni*, pauper, afflictus, &c. Convenit cum præcedente. De qualibet re, quæ tractatur ac ſubigitur, adhibetur, & hinc in Græca uſus de farina ſubacta tantum fere ſuperavit. Alterum ſignificatum vocis Ebr. vide ſupra in αἰνέω.

103) Ἀντιόω, adverſor, ſto contra; ἀντίος, adverſus, e-regione poſitus; ἀντιάω, item ἀντάω, occurro, obviam venio; ἄντησις, occurſus; ἀνταῖος, adverſus, adverſarius, &c. Omnes manifeſte unius eiusdemque familiæ. Res quæcunque, quæ eſt, venit, aut ſtat, contra.

Arab. *Anada*, עָנַד, adverſatus fuit, contumax fuit, obſtitit, obfuit, repugnavit, contrarius fuit. *Anidon*, *anijdon*, contumax, repugnans, &c. Generatim id, quod eſt, aut fit, contra, quod alii rei eſt oppoſitum.

Germani eandem plane vocem in compoſitis nonnullis adhuc ſervarunt, e. g. in voce *Antwort*, *Entgegen*, *Entkræfften*, &c. Vid. *Friſchii Lex. Etymol. pag 30 & 228 Tom. I.* Id adhuc notandum, Gothos olim *and* & *anda* loco *ant* & *ent* ſcripſiſſe, id quod origines ſuas clarius adhuc præ ſe fert.

104) Ἀνύω, perficio, expedio; it. ἄνω & ἀνυμαι. Ἄνη, perfectio, effectus, &c. Arab. *anaj*, עָנַי, ad extremum & perfectionis terminum pervenit; tempus idoneum advenit. *Aanin*, pro *anijon*, foemin. *anijabton*, ad ſummum qualitatis gradum pertingens, vel perductus. Alterum verbum Arab.

anaj, ענִי, in cenſum quoque venit: laborem rei intendit, voluit, produxit, eduxit.

105) Ἀνύω, ἀνύτω, deſtruo, conſumo; ἐξανύω, occido. Hoc ſenſu eſt a verbo *Anas*, אנס, Chald. vim intulit, vi compreſſit, *diripuit*, *oppreſſit*, depopulatus eſt. In Arab. eſt etiam verb. *Anata*, עַנַת, incidit in malum, damnum, *periit*, *oppreſſit*, concuſſit, *corrupit*. *Anatton*, corruptio, ſcelus, *mors*, *exitium*. Inde ἀνύτω.

106) Ἄξων, *axis* rotæ, ſpondylus, axis, ſeu polus, mundi. Convenientia Græcæ & Latinæ cum Germanica voce *Axe* ſatis eſt manifeſta. Eſt generatim res, circa quam alia rotatur, gyratur, volvitur. Arab. *acbaſa*, עכס, in *gyrum ſe convertit*, incurvatus fuit, viperæ more inceſſit. Paſſiv. incurvata, reflexa, fuit res, *ad ſuum principium converſa*. Inde Subſt. *akſon* (noſtro more ſcribendi *axon*) deflexio, e converſo, &c. *Axis* eſt itaque res, circa quam alia in gyrum ſe convertit, atque is eſt ſignificatus vocis Arabicæ. Plura in Parte German.

107) Ἀξίνη, *aſcia*, ſecuris, dolabra. Cum Græco convenit Germanicum *Axt*, aut ſecundum dialectum ruſticam *axe*. Nec differt Lat. *Aſcia*.

Ebr עקץ, *akaz*, abſcidit, amputavit, incurvatus eſt. *Ckez* & *ikza* (contracte a nobis efferretur *oxze* & *ixe*) apex, acumen, acies, angulus acuminatus.

Convenit alterum verbum *kazzah*, קצה, Ebr. reſecuit, ſuccidit, abraſit, abſcidit. In Hiph. *hikza*,

za, in infin. hiph. proprie *hakzot*, abradere. Ab eodem verbo eſt quoque Græc. ξέω & ξύω, radio, polio, quaſi κζέω. Lat. *Aſcia* inde per metatheſin eſſe videtur.

108) Ἀπάτη, fallacia, impoſtura; ἀπατάω, fallo, decipio, ſeduco, &c.

Arab. *afata*, אפת, avertit, amovit. Hinc *afaton*, (ſeu durius, more Ebræorum, *apaton*,) corruptela, pernicies; it. *ifton*, אפת, mendacium, fallacia; calamitas, portentum.

109) Ἄρα, utique, profecto; 2) ἆρα, an, utrum. Syri & Arabes *ara*, ארא utroque ſignificatu utuntur. Vid. *Caſt.*

110) Ἀρὰ preces; it. diræ, imprecatio; it. noxa; ἀραῖος, diris devotus; ἀράομαι, imprecor, vota facio, &c. Ebr. *arar*, ארר, execratus eſt, maledixit. *Meera*, execratio, maledictio. Reliquæ dialecti Orientis non videntur habere.

111) Ἄρακος, leguminis ſpecies. Arab. *Araka*, ארק, frondes, vel fructum, arboris *Arac* comedit. *Arakon*, hoc eſt, *Arak*. Vid. *Caſtellum*, qui deſcriptionem ex *Avicenna* affert.

112) Ἄργυρος, argentum, &c.

Habent Talmudiſtæ *argiron* & *argira*. Vid. *Caſtell.* ad voc ארגר Radicem neſcio. Forte convenit cum Græco ὀργάω, appeto, concupiſco, quod eſt ab *arag*, deſideravit. Syr. ארג & ערג Chald. quoque ערג

113) Ἄρδω, irrigo, aquatum duco; it. ἀρδεύω. Ἀρδεία irrigatio, &c.

A verbo ארה, *arah*, eſt in Chald. *arita* &

 arit,

arit, ſtagnum, fons, piſcina, aquæductus; rivus. *Urvata*, fluctus; it. *aritaia*, rivi; ab ארט. In Arab. ab *arada*, ערד, hoc eſt, extulit ſe, exorta fuit res, eſt *Aradadon*, nomen fluvii; it. *ordabton*, caſtrum quoddam, ad cujus radices eſt aqua. In Ebr. eſt verb. *jarad*, ירד, deſcendit, defluxit, dejectus eſt. Atque hinc *Caſtellus* verba Græca ἄρδω & ῥοθέω deſcendere exiſtimat.

b) Verbum hocce alium adhuc habet ſignificatum: ἄρδα, inquinamentum; it. ἄρδαλος; it. ἀρδαλόω, inquino. Sic referendum ad verb. Arab. *arra*, ערר, ſcabioſi, ulceroſi, fuerunt, merdum excrevit, inquinamento affecit, ſordidus, maculatus, fuit. *Orron*, ulcerum genus contagioſum, ſcabies. *Orrabton*, merda, mali illatio, crimen, &c. Signif. generat. quod turpe, malum, quod maculam quamcunque, phyſicam, ſeu moralem, adſperſit. Hoc itaque ſignificatu Sectioni primæ & certis adſcribenda eſt vox Græca. Ex *arrabton* facile ἄρδα. Non omittendum Arab. *Radala*, רדל, (dhſal in medio) vituperavit, contemſit, vilem prædicavit. *Radlon*, *radilon*, & *ardalo*, plur. *rodowlon* & *ardalon*, ignobilis, vilis, ſequior. Anglis a *Raſcal*, forte pro *Radhſal*. It. Arab. *radaa*, רדע, inquinavit, infecit. *Radaon*, macula, inquinamentum. Inde quoque eſt *Ardaghon*, ערדע, (ain, re, dal, gain,) limoſa fuit terra, humectavit, quaſi limoſam reddidit terram pluvia, incidit in limum. *Radghaton*, plur. *radaghon*, lutum aqua miſtum, limus. Sic notio utraque vocis Græcæ apparet in uno. Si terra pluvia

riga-

rigatur, via ſimul redditur limoſa, & iter facientes conſpurcantur, cœnoque inquinantur.

114) Ἀρετὴ, virtus, inprimis bellica; ἀρετάω, feliciter procedo, virtutis felicitatem aſſequor.

Æthiopica hic uſum oſtendit. In illa verb. *Ratya*, רתע, rectus, juſtus, fuit, juſtam cauſam habuit, viam direxit, erectus corpore fuit. In Conjug. IV *Aratya*, rectum fecit, correxit, erexit. *Ratuy*, rectus, æquus, planus, integer, &c. Hinc non ſolum ἀρετὴ, ſed etiam Germanorum *Rat*, *Recht*, quod Dan. *Rètt*, Gothis olim *raits*, Latin. *Rectus*, Græcis ὀρθὸς, rectus, erectus. Vid. *Wacht. Gloſſ.* & plura dabo ad vocem Germanicam *Recht*.

115) Ἄρης, Mars, prælium, vulnus; ἄρειος, Martius; ἀρηταὶς, bellicoſa, Martia, &c. Syr. *Aris*, ארס, Mars. Arabes ab eodem habent *Ariiſon*, princeps, præfectus, præpoſitus, pagi. Videtur eſſe a radice *aras*, ארז, Arab. firmus ſtabilisque fuit. *Ariſon* & *aariſabton*, validus, robuſtus, metaph. columen populi; it. *Aruwſon*, firmus, ſtabilis. *Marazon*, refugii locus, aſylum. (Hinc quoque *m* in initio & Mars.). Convenit plane Ebr. ערץ, *araz*, fortem, violentum, ſe præbuit, terruit. *Ariz*, violentus, tyrannus, formidabilis, prævalidus. *Æraz*, robur, fortitudo. *Maaraza*, pavor, terror, (hinc Mars). In Arab. ab ערס leones dicuntur *Arſaau*. Verb. Arab. ערץ, *araſa*, (ze in fine) validus, durus, aſper, fuit, adverſus, infeſtus, fuit. Inde *Moaraſabton*, cum alter alteri adverſatur.

116) Ἄρθρον, articulus, artus, membrum; ἀρθρῖτις, morbus articularis; ἀρθρόω, articulo, formo, ordine diſpono.

Ab Arab. *arada*, ערד, eſt *Ardon* locus ad conjunctionem cervicis ſpatularum. *Awardau*, commiſſuræ capitis. Porro: *Aradijſon*, duorum oſſium junctura, articulus. Non multum diſcrepant invicem. *R* ſæpius fini ut terminativum adjicitur.

117) Ἄρις, inſtrumentum fabrile. Chald. *ari*, עירי, inſtrumentum quoddam latomorum. Ab Arab. ערץ eſt *arizon*, lancea flexibilis, mollis, talis enſis, &c.

118) Ἄριστον, prandium; ἀριστάω, prandeo, &c. Habent Chaldæi. Vid. verb. ארס It. *ariſut*, comeſſatio, exhilaratio convivalis. Radicem non inveni. Habet quoque *Avicenna*. Vid. voc. טס- apud *Caſtell.*

119) Ἀριστεύω, præſtantiſſimus ſum; ἀριστεία, principatus, ſtrenuitas; ἄριστος, optimus.

In Arab. *Arijſon*, *arriſon*, & *arijſijon*, princeps, præfectus. Vid. verb. ארש. Habent quoque Chaldæi. Eſt a verbo *Ariſch*, ארש. A quo in Syr. & Samarit. *Aris*, caput, autor, princeps, res principalis & præcipua. Radix eſt Ebr. ראש, caput, principium, præcipuum, præſtantiſſimum. Idem in Chald. Syr. & Æthiop. In Arabica Schin tantum mutatur in Sin. Verb. *Raaſa*, ראס, caput fuit, præfuit, excelluit, præceſſit. Hinc *raſon*, plur. *aruſon*, caput, princeps, initium. *Raſu* & *Maraſu*, it. *Araſu*, præcipuus, major,

major, &c. Ab iisdem eſt Germanicum *Reiſen*, hoc eſt, ſurgere, caput efferre, & *Rieſe*, hoc eſt, gigas, de quibus ad hanc literam.

120) Ἀρκέω, propulſo, arceo; 2) ſufficio; 3) auxilior. Ἄρκιος, vim propulſandi habens, utilis, ſufficiens. Convenit Græc. & Latin. Utrumque cum Orientali *Arak*, ערק, Ebr. & inpr. Chald. fugit, *fugavit*. *Eroke*, fuga, refugium. *Arok*, *arik*, fugitivus, profugus.

Propius accedit, & notionem vocis Græcæ fere exhaurit, verb. Æthiop. & Arab. *Rakija*, רקי, carmine recitato rem noxiam arcuit, aut bonam contra noxiorum conatus ſervare ſtuduit, incantavit, magico amuleto adverſus præſtigias munivit. Vid. *Caſtell.* Alpha autem initiale eſt a Conjugatione, cujus rei jam plura exempla adfuerunt.

121) Ἄρμα, pondus.

Ab. Arab. *Gharima*, ערם, (gain,) hoc eſt, obæratus, coactus fuit. Hinc *aramon*, ſeu *gharamon*, debitum, quod neceſſario præſtandum, pœna. *Arimon* menſuræ genus. *Armaj*, pœna, tormentum; item *gravis*, *ponderoſa*, res. Adſpiratio eſt ab Gain.

122) Ἁρμὸς, apta commiſſura rei cujuscunque, coagmentatio, compages; ἁρμοῖ, congruenter; ἁρμόζω & ἁρμόττω, quadro, congruo, convenio; apte coagmento, adapto, &c. Arab. *armon*, ארם, membrorum compages, corporis forma, pulchra & bene conformata puella. (Hinc Martis & Veneris filia dicta fuit *Harmonia*.) *Irmon*, plur. *araman*, cippus, lapis pro ſigno (itineris, vel

viæ,) erectus in deſerto; it. lapides ſepulchrales. (Hinc forte *Irminſula*, pleonaſtice ob ignorationem vocis primigeniam. Vid. *Wacht. Gloſſ. Armon*, latera, ſeu locus capitis, ubi concurrunt anteriores ejus partes. *Maroumahton*, venuſta & membris bene eleganterque conformata puella. Ἁμοὶ etiam *Polluci* ſunt interſtitia dentium. Arab. *oramon*, plur. τῦ *arimon*, dentes molares. Si ἅρμα currum, quadrigas, &c. notat, tum hinc quoque denominationem ortam exiſtimo, ſcilicet ab apta compage & junctura, &c.

123) Ἁρμονία, idem, quod ἁρμὸς, apta commiſſura, compages. Sic ἁρμονία τῦ σώματος, φωνῶν, &c. Vid. *Steph. Theſ.* Vox Latinis, Gallis, & Anglis, uſu recepta. *Wachterus* & *Friſchius* Germanicis non accenſuere, licet hodie ſit uſitatiſſima. Nec Sueci habent, quibus *Samliud* eſt harmonia. Nec Armoricani ea utuntur. Illis eſt *melody* & adject. *melodyus*, ut Germanis *Melodey*, &c.

124) Ἁρμαλιὰ, cibus. Subjungitur præcedentibus, & re vera deſcendit ab eodem. Arab. ארם, *arama*, hoc eſt, edit, voravit, abſumſit; item lenivit, demulſit hominem. (Hinc potius ἁρμονία, ſi de concentu muſico uſurpatur.)

125) Ἄρωμα, Aroma.

Arab. *armalon*, & melius *armachon*, cinnamomi genus craſſiſſimum, quod ex Arabia, Perſia, & India, affertur, lignum aromaticum & medicamenti genus. Mihi videtur eſſe ab *Arami*, hoc eſt, *Aramaus*, ſeu Syrus, forte quod Græci a Syris

met-

mercatoribus aromata acceperint. Vid. verb. ארם in *Caſtell.*

126) Ἀρόω, aro. Gr. & Lat. plane convenit. Ἄροσις, aratio; ἄρουρα, terra arata, arvum, ſeges, campus, terra in genere, &c. Germanice *Aren, arnen, erndten*, quæ in Parte German. occurrent. Arabibus plane idem. *Araſa*, ארס, aravit, exercuit agriculturam. *Arijſon*, plur. *arijſuna*, item *ararijſo*, arator, agricola.

Hebr. differt, in illa חרש, charaſch, aravit, exaravit, inſculpſit, &c. quod & in Arab. unde Græc. χαράσσω & ὀρύσσω.

127) Ἀῤῥαβών, arrhabo, pignus, obligatio quædam; ἀῤῥαβωνίζω, contractum arrha confirmo. Hebr. Arab. ערב, arrhavit, ſpopondit, fidejuſſit, negotiatus eſt, oppignoravit, deſponſavit. *Arübba*, ſponſio, *arrba*, pignus. Item in Chald. & Arab. *araboun**on* & *orbanon*, arrhabo. Latinis *arrha, arrhabo*, & *rabo*. *Plautus* vulgi barbariſmum hac voce irridet, qui, Præneſtinos imitatus, coniam dicebat pro ciconiam, rabonem pro arrhabonem. At vero Oriens habet quoque rabonem. Perſis *Rabon*, רבו, arrha, primæ venditionis pretium, pecunia, quæ in mercatura impenditur. *Caſtell. Lex. Perſ. pag.* 289. Convenit Arab. רבב, unde *rubbaj*, nodus firmus; *ribababton*, fœdus, pactum; *aribbabton*, fœdere juncti, fœderatorum turba. Nec omittendum Arab. *araba*, ארב, conſtrinxit, firmavitque nodum, perfecit; it. Chald. *Aras*, ארס, deſponſavit. *Irus*, deſponſatio, ſponſalia.

128) Ἄῤῥην, vel ἄρσην, mas, maſculus, ſtrenuus; ἀῤῥενικὸς, maſculinus; ἀῤῥενόω, maſculum reddo. Ab Arab. *arana*, ערן, eſt *arandadon*, durus, res firma, ſolida; it. *airnajkon* & *oranikon*, plur. *aranikon*, adoleſcens tener, delicioſa cute, albus & pulcher adoleſcens. *Garanakon* (gain in initio), adoleſcentia perfecta. Verb. *aran*, mollis fuit res, duritie non carens, firmavit rem.

129) Ἀρτάβη, menſura Perſica. In Chald. eſt *ardaba*, dimidium Letheck. Vid. ארד *Caſtell.* it. in Arab. *irdabon*, plur. *ardibon*, menſuræ genus, continens 128 libras. *Caſtell.* & *Kirch. Oedip. Tom. II pag. 288.*

130) Ἀρχὴ, principium, initium; ἄρχω, incipio, autor ſum; ἀρχαῖος, antiquus, &c.

Arab. *aracha*, ארח, ſtatuit, determinavit aliquid ſecundum tempus, hiſtoriam & annales conſcripſit, adſcripto tempore notavit quid. Hinc *archaton*, æra, epocha, tempus deſignatum, quando quid ſcriptum factumve. *Tarichon*, tempus rei geſtæ annotatum ac definitum, æra, epocha chronologorum, diarium, annales, chronicon. Et ſic ἀρχὴ erit proprie æra, unde initium fit temporis computandi. At non omitt. verb. Arab. *áraka*, ערק, origo, ſtirps, radix. It. *irkahton*, radix, origo, ſtirps arboris, a quo radices propagantur.

131) Ἀρχὴ, principatus, imperium; ἄρχω, impero; ἀρχὸς, dux, princeps.

A verbo *arach*, ערך, in Chald. & Ebr. diſpoſuit, ordinavit, eſt *Archaa*, concilium. *Archaat*, tribu-

tribunalia, conſiſtoria judicialia. Græcis ἀρχεῖα. Eſt quoque Chald. verbum ארך, *arach*, aptavit, paravit, conveniens reddidit: & hinc *arki*, ארכי, princeps, præfectus primus & ſummus, *Kiriat arche*, civitas principum. It. *archon*, ארכון, princeps, dominator, Græc. ἄρχων. It. *archion*, ארכיון, curia & archivum. Syri eadem habent. Conſentit etiam Arabica, licet radix ſit alia. In illa verb. *Racana*, רכן, nixus fuit, acclinavit ſe; it. firmus fuit, firmatus, ſtabilitus fuit. Inde *Ruknon*, plur. *arkanon*, ſeu *archanon*, ארכאן, res, qua quid nititur, fulcimentum, ſtabilimentum cujusque rei; it. robur, validus, *Proceres regni*. It. *Archuwnon* ארכון, *Princeps*, peculiariter agricolarum, ἄρχων. Ab eodem Arab. eſt vetus German. *Recken*, *die Landrecken*, hoc eſt, primores & præfecti provinciæ; it. Gothicum *Raiks*, unde Latinorum *Rex*. Vid. *Wacht. Gloſſ.* Plura ad vocem German. *Recken*.

132) Ἀράσσω, amputo; it. pulſo. Ἀραγμὸς, colliſio, pulſatio; ἀναράσσω, dejicio, deturbo, &c. Convenit ἀραδέω, conturbo, commoveo. Ebr. *araz*, ארץ, concuſſit, violenter exagitavit, contrivit. It. *Razaz*, רצץ, quaſſavit, concuſſit, contrivit. Ab hoc eſt Germanicum *raſſen*, *raſſeln*. Vid. German.

133) Ἄργας, vel ἄργης, ſerpentis ſpecies.

Arab. *araga*, ערג, inflexit ſe, inflexus fuit. Inde *Taarigu*, anfractus, convolutiones viſcerum. *Aijragon*, aſpis ſurdus, *ſerpens* (apud incantatio-

nem

nem admittens ac volans). Ab inflexione & convolutione nomen tractum.

134) Ἀσκέω, exerceo, doceo, elaboro; ἀσκέομαι, ſtudeo, exerceor; ἄσκησις, meditatio rerum divinarum, exercitatio, &c.

Chald. *Aſak*, עסק, ſtuduit, operam dedit, occupatus fuit, vacavit. *Eſak* & *iska*, ſtudium, opera, negotium; *askon*, negotioſus, occupatus. Arab. *aſika*, aſſiduus, deditus fuit, adhæſit, qui rei inſiſtit urgetque. Referendum huc quoque verbum *ſakah*, סכה, Chald. ſpeculatus, contemplatus eſt. *Sachia*, ſpeculator, videns. In Aphel erit *Askeh*.

135) Ἀσκὸς, uter, pellis; ἀσκίον, utriculus.

Arab. *Sakka*, זקק, detraxit pellem, excoriavit. Hinc *ſakkon* & *ſikkon*, plur. *askakon* & *ſikakon*, *uter*, in quo vinum & alia reconduntur, follis, *aſcites*, hydropiſis ſpecies. Vid. German. ad voc. *Aſcomannus*.

136) Ἄσμενος, libens, gaudens; ἀσμενίζω, libens ſuſcipio, acquieſco.

Arab. *Aſama*, עזם, animum applicuit ad aliquid, certo animi propoſito voluit facere, *ſolertiam adhibuit*, conſtanter quid & obfirmato animo proſecutus fuit.

Huc pertinet quoque verb. Arab. *Samaa*, שמע, diligenter proſecutus eſt rem, inſtituit negotia, properavit. Hinc ſubſt. *ſamahton*, plur. *ſamaon* & *aſmaon*. *Samaon*, diligentia, promtitudo, &c. Convenientia Græc. & Arab. ſatis manifeſta.

137) Ἀσπάραγος, aſparagus, & ἀσπὶς, aſpis, ſer-

ſerpentum ſpecies, occurrunt apud ſcriptores Arabicos. Vid. *Caſtell.* ad voc. *aſaph*, אסף. Chaldæis *aſparagum*. In ſingulari ſcribunt *iſpargos*, in plur. *iſpargelin*. Similiter Germani dicunt *ſparges* & *ſpargel*. Vid. ibidem.

138) Ἄσωτος, luxurioſus, aſotus, perditus; ἀσωτία, luxuria, profuſio; ἀσωτεῖον, locus, ubi luxurioſe comeſſantur, &c. Lexicographi derivant a σάος, σώζω, ſalvo. At vero eſt primitivum, & quidem a Chald. *aſath*, אסט, comeſſatus, epulatus eſt. *Aſith*, epulo, luxurioſus. Habet etiam Syra.

139) Ἄτη, noxa, damnum; ἀτάω, lædo, noceo, &c. Arab. *athaj*, אתי, noxa; it. Dea homines malis implicans, menteſque ſeducens. *Caſtell.*

140) Ἄτlω, proſilio, ſubſilio; διάτlω, διεξάτlω, proſilio, erumpo, emico.

Arab. *ata*, אתי, venit, provenit, produxit fructus arbor; *ataon*, quicquid provenit, proventus rei. Significatus formales plane conveniunt.

141) Αὐχὴν, loci anguſtia, cervix, pars clavi, ſeu gubernaculi, in quam gubernator incumbit; αὐχενίζω, cervicem frango, conſtringo, &c.

Verb. Chald. & Ebr. *ak*, עוק, preſſit, arctavit, *anguſtiatus eſt*. *Aka*, ſtridor, preſſura, *anguſtia*; it. *aik*, *aiak uka*, fovea anguſta. Syris idem & ſpec. triſtatus eſt, it. moleſte tulit, &c. Si Vav in verbo עוק fit mobile, habes *avak*, *k* vero & *ch* in omnibus linguis ſæpe commutantur. Huc refer

ſer Arab. *aka*, אוק, eminuit, exſtitit; it. onus, rem moleſtam, ferre juſſit; it. vilipendit, contemſit; *Aukon*, onus, moleſtia, res inviſa & ingrata. Hinc quoque verbum Græcum αὐχέω, glorior, jacto, αὐχὴ, jactatio, gloriatio, ab אוק, eminuit.

142) Αὐχμὸς, ſqualor, ſiccitas, ex æſtu; αὐχμήεις, ſqualidus, obſcurus, &c.

Chald. *acham*, אכם, atrorem a ſole contraxit, nigruit, atratus fuit. *Ucham* & *ükkam*, ater, niger. *Ucbmeta*, ſqualor, nigredo, atror. Syris idem.

143) Ἄυω, clamo, reſono; ἀϋτὴ, clamor, bellum.

Syr. *avo*, עוא, latravit, ululavit, gemuit. Æthiop. *awjgaty*, עיגת, clamor, ejulatio. Vid. עוי *Caſtell.* Arab. *avæj*, עוי, protendit inarticulate vocem, clamorem, ululavit, clamavit. Vox a re ipſa & a natura latratus & clamoris deſumta, ſimiliter ut vox *Pfau* ab ipſiſſimo pavonum clamore.

144) Ἀφαυρὸς, imbecillis, debilis.

Arab. *ara*, עור, ocoæcavit, perdidit, corrupit. Hinc *avaron*, vitium oculi, macula, pravitas. *Ohwaron*, puſillanimus, viam non videns, *imbecillus*. *Aawaru*, plur. *awiron*, luſcus, pravus (de quavis re), corruptus, imbecillis, puſillanimus, ignavus, vecors, ſtupidus.

145) Ἀφελὴς, ſimplex, frugalis. Arab. *abala*, אבל, vicit, abſtinuit a conjugio, *temperavit ſibi a* conjuge, cœlibem duxit vitam. Hinc *abiſlon*, auſtere vivens, monachus.

Fru-

Frugalitas eſt abſtinentia a luxu, &c. Litera *B* ſæpe mollius ut Vav effertur, Vav vero & *f* ac *ph* ſæpe commiſcentur.

146) Ἄχος, dolor, triſtitia; ἀχέω, ægre fero, doleo; ἀχηρὴς, moleſtus, dolorificus.

Arab. *abba*, tuſſivit, אבב, *abbabba*, ſitire, indignari, iraſci, dolere, ægre ferre. *Ah*, extulit iterato. Verbum formatum a voce *Ach*, quæ eſt dolentis, &c.

IV.

CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI

EMENDATIONUM MINUCII FELICIS

FERCULUM SECUNDUM.

CAP. VIII.

2. *Cui atheon cognomen appoſuit antiquitas.*) Olim jam in *Actis Philoſophorum Tom. I pag.* 45 judicavi, Græcum ἄθεον reſcribendum eſſe, cum ex illo verbo prius ἄθεον, tum *atheon*, fecerint librarii. Etiam *Cicero* Græcum verbum retinebat *Lib. II de Finibus Cap.* 5, *Heraclitus*, inquiens, *cognomento* σκοτεινὸς *perhibetur.* Cum quo Philoſopho & nomen & cognomen commune erat legato illi, de quo *Livius XXIII*, 39: *Heraclitus, cui Scotino cognomen erat.*

2. Pol-

2. *Pollebunt*) Contra *Daviſium*, qui *pollebit* reſcribebat, jure metur hoc verbum *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 20.* Ceterum obſervari hic debebat falſa interpunctio. Eſt enim poſt *pollebunt* colon figendum, poſt *deuſſerint* punctum.

3. *Inconſulte*) In MSto eſt *conſulte*: quod *Rigaltius* & *Daviſius*, & *Jac. Gronovius*, mira interpretatione defendunt. Ego vero *Meurſio* aſſentior, *inconſulte* reſcribenti.

3. *Deuſſerint*) In Romana editione eſt *deriſerint*. Sed veram reſtituerunt ſcripturam *Leopardus Emend. Lib. XI Cap. 11*, & *Lud. Carrio Lib. II Emend. Cap. 18.* Dicit videlicet idem noſter *Minutius*, quod *Diogenes Laertius IX, 52*: Ἐξεβλήθη πρὸς Ἀθηναίων, καὶ τὰ βιβλία αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ.

3. *Deplorata inlicitæ*) Sic in MS. Poſterius verbum ſuo merito diſplicet Criticis. *Rigaltius* reſcribere geſtit *incitæ*, id eſt, furioſæ; *Wopkenius Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 20 inceſtæ.* Mihi quidem non eſt dubium, ſcribi oportere *deplorata inſcitiæ*. Inferius etiam *Cap. XII*, 7, ab ethnico *Cæcilio* Chriſtiani vocantur *indocti*, *impoliti*, *rudes*, *agreſtes*; & ſupra *Cap. V*, 4, *ſtudiorum rudes*, *literarum profani*, *expertes artium*. Etiam apud *Livium VII*, 2, eſt *inſcitia* pro *ignorantia*, *inſcientia*.

4. *Quæ nocturnis*) Lege *qui nocturnis*. Utitur Noſter anaphora.

4. *Solemnibus*) Correctionem *Jac. Gronovii*, *olentibus* reponentis, merito *putidam* appellavit *Daviſius* in ſecunda ſua *Minutii* noſtri editione.

5. *Lucifuga*) In MS. *lucifugax*: quod referendum inter menda librario illi peruſitata.

5. *In publicum muta*) Sic MS. Recte quidam *in publico* reſcripſerunt: idque jam habet editio *Sabæi* a) Romana. Ac obvia eſt mendi cauſa.

5. *Templa ut buſta deſpiciunt, Deos deſpuunt*) Quia ſtatim iterum occurrit *deſpiciunt*, jure ſuſpicatus eſt *Rigaltius*, erraſſe librarium. Quem affert *Tertulliani* locum e libri *de Spectaculis* Cap. 13. is viam aperit emendationi. Ibi hæc legimus: *nec minus templa, quam monumenta, deſpuimus.* Norant ſcilicet Chriſtiani, iis locis extructa fuiſſe templa, ubi ii ſepulti fuerant, qui pro Diis colebantur. Jam, cum, ob oculos *Tertullianum* fuiſſe *Minucio* noſtro, inter doctos conſtet, facile apparet, ita eum ſcripſiſſe: *templa ut buſta deſpuunt.* Tolle igitur *deſpiciunt*, & *Deos* ita junge ſequentibus: *Deos rident & ſacra.* Perge nunc: *miſerentur miſeri ipſi ſacerdotum.* Ac *miſerentur*, non *miſerantur*, eſt in editione Romana. Interjectum *fas eſt* inde natum videtur, quod

a) Hanc editionem ſemper dico, cum *Romanæ editionis* mentionem facio. Altera enim Romana, quæ *Fulvio Urſino* debetur, oculos non ſubiit meos.

quod librarius bis ſcripſerat *facet*, deinde prius delere noluit.

6. *Ita illis pavorem fallax ſpes ſolatia rediviva blanditur.*) Ita in MS. eſt. Locus haud dubie vitiatus. *Cellarius* cum *Ouzelio* ita edidit: *Ita illis pavor & fallax ſpes ſolatio redivivo blanditur.* Malebat tamen *Ouzelius pavorem* retinere. At, neutro modo cum ſcripſiſſe credi poſſit *Minucius*, ita *Daviſius* legendum cenſebat: *Vita illis pavorem, fallax ſpes ſolatia rediviva blanditur.* Qui, ſi putavit, ſe, cum hoc ſcripſit, Latino ſermone uſum eſſe, erravit utique graviſſime. Nec felicior *Wopkenius*, qui *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag.* 21 reſcribit *ſolatia ridicula*. Reſcribi ſcilicet oportet *fallax ſpes ſolatii recidivi*, hoc eſt, in altera vita renaſcituri. *Recidivum* enim dicitur, quod, poſtquam evanuit & interiit, reſtituitur, & quaſi renaſcitur. Plura veterum loca, quibus id verbi occurrit, congeſſit *Nic. Heinſius* in ſuis ad *Claudianum Notis pag.* 254 *ſeq.* & ſimul indicavit, pluribus locis librarios pro *recidivus* ſcripſiſſe *redivivus*. Docte quoque eodem de verbo diſputat *Taubmannus* ad *Virgilii Æn. IV*, 344, & *VII*, 322, itemque *Elmenhorſtius* ad *Arnobii Librum tertium pag.* 70, & *Barthius Adverſ. Lib. XXXV Cap* 10. Non autem ſolum librariis hac permutatione peccare facile fuit, ſed e Criticis etiam unus, *Rittershuſius*, in *Corippi* Poetæ *Lib. I verſ.* 349 *rediviva* reſcribere pro *recidiva* infeliciter induxit in animum. Habemus itaque nunc veram *Minucii* ſcripturam. Ut autem priora verba cum

his,

his, quæ emendavimus, connectantur, uno verbo interſerto ſic legamus: *Ita illis inter paverem fallax ſpes ſolatii recidivi blanditur.*

CAP. IX.

1. *Sacraria iſta teterrima*) Nullus hic locus *ſacrariis*. *Sacra* legi jubet ipſe *Minucius*, infra num. 8 iterum ſcribens, *hæc ſacra eſſe omnibus ſacrilegiis tetriora*.

2. *Eruenda*) Hanc *Minucii* eſſe ſcripturam, ego quidem, ut credam, non inducor: cumque errare ſolenne ſit librario noſtro, ſcriptum fuiſſe ſuſpicor *ejicienda*. Ac videtur mihi *Minucius* ob oculos habuiſſe illud *Ciceronis Lib. I de Officiis Cap. 41: Cynicorum vero natio tota eſt ejicienda.*

3. *Occultis ſe notis*) Cauterio quodam auriculas aſſeclarum ſignare conſueviſſe Carpocratianos, autor eſt *Irenæus Lib. I Cap. 24*. Ac, eſſe hanc originem fabulæ, a *Minucio* noſtro hic memoratæ, ſuſpicatur *Ittigius* in libri *de Hæreſ. Sec. II Cap. 5 §. 5*, eique *Weiſmannus* aſſentitur *Hiſt. Eccleſ. Tom. I pag. 125*. Mihi vero, qui & illam de Carpocratianis famam fuiſſe mendacem non dubito, placet ſequi *Minucium* noſtrum, ita *Cap. XXXI, 9*, reſpondentem: *Non notaculo corporis, ſed innocentiæ ac modeſtiæ ſigno, facile nos dignoſcimus*. Scilicet, cum Chriſtianus aliquis incidebat in Chriſtianum, peregre advenientem, antea ſibi haud notum, ſtatim eum amplexabatur familiariter, domumque ſuam deducebat. Mirantes ethnici in eam adducebantur opinionem, ut crederent,

certa nota inſignitos eſſe Chriſtianos: cum partim e vultus, partim e ſermonis, ſanctitate manifeſtum iis fieret, quis eſſet Chriſtianus. Quod *Ariſtidis* in Oratione priori *rhetorica* adducit proverbium: οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτος ὁ λόγος, huc quoque convenit, illud item *Terentii: Mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.*

2. *Antequam*) Lege *ante, quam.* Sic & infra interpunge *Cap.* XXX, 2.

2. *Promiſcue*) MS. *promiſce.* Ac ſic edidit *Daviſius*, quia ſcilicet *Gellius* ita loqui ſolitus: cujus loca & *Cellarius* producit infra ad *Cap.* XXXI, 3. Verum aliter *Gellius* loquitur, aliter *Minucius* noſter. Illius nota eſt cacozelia antiquaria; hic vero fugiens omnis affectationis.

3. *Maxime nefaria*) Sic recte reſcripſit *Fulvius Urſinus*, cum in MS. ſit *maxima & varia*: qui error ſcribæ cum ſit luculentus, miror, hanc ſcripturam retentam eſſe a *Daviſio*. *Burmanni* vero correctionem, *maxima & valida* (hoc eſt, certo vera,) ſcribi jubentis, merito reiecit *Wopkenius* *Obſ. miſc. crit. Tom.* X *Lib.* I *pag.* 21, ſimul *Urſinianam* emendationem comprobans.

3. *Honore præfanda*) *Arnobius Lib.* V *pag.* 104: *Partes illæ corporis, quas inter aures caſtas ſine venia nefas eſt ac ſine honoribus appellare præfatis.*

4. *Aſini*) Margini aliquis hoc verbum adſcripſerat e *Cap.* XXVIII, 8. Ac jam judicavit *Daviſius*, ejiciendum id hoc loco eſſe: a quo diſſentire non debebat *Wopkenius Obſ. miſc. crit. Tom.*

X

X Lib. I pag. 22. Exſtat *de ὀνολατρείᾳ Judæis & Chriſtianis impacta* ſingularis, isque doctiſſimus, liber *Theodori Haſæi*, A. 1716 editus. Mihi quidem videtur hæc vera eſſe hujus calumniæ origo. Ægyptii adorarunt ὀνοκεφάλους, uti loquitur, qui id refert, *Athanaſius* in *Oratione contra gentes pag. 10.* Jam vero Judæi habebantur ortu Ægyptii; Chriſtiani vero Judæorum progenies.

4. *Digna & nata religio talibus moribus)* Non loquitur hic *Minucius Felix*, ſed balbutiens librarius, qui, ut auguror, hæc ſcribere debebat: *Digna ſane talis religio talibus animalibus.*

4) *Colere genitalia)* Quam de origine hujus criminationis affert conjecturam *Cellarius*, ea & *Rigaltio* ad h. l. probatur; *Albaſpinæa* etiam in Notis ad Concilii Eliberini *Canonem 36*, itemque *Turretino Opuſc. Tom. I pag. 444.* Mihi veroſimilius eſt, Judaicam circumciſionem effingendæ fabellæ hujus præbuiſſe occaſionem.

4. *Naturam) Pars corporis noſtri ſecretior a nobis natura dicitur*, inquit *Hieronymus Epiſt. 61.* Vid. & *Reineſii Inſcript. Lib. I num. 18 pag. 42.*

7. *Infans)* Fabula hæc, cuius & *Juſtinus Martyr* in *Dialogo cum Tryphone pag. 32* (editionis Londinenſis A. 1719) mentionem facit, non aliunde orta, quam e ſacra Chriſtianorum cœna, cujus autor ad ſuos dixerat; *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus.* A Judæis compoſitum eſſe mendacium hoc, ait *Origenes Lib. VI contra Celſum pag. 293.* *Auguſtinus Lib. XVIII de Civitate Dei Cap. 53* refert, ethni-

eos quoddam Petro Apoſtolo tribuiſſe occiſionem & dilaniationem infantis anniculi. Diſcimus etiam e *Cyrilli Hieroſolymitani Catech. XVI* §. 4, tributum idem fuiſſe Montaniſtis. Peccat autem hic, dum non ſolum id credit, ſed hinc etiam derivat calumniam ethnicam de Chriſtianis infanticidiis. Idem de Fratricellis memoriæ prodidit *Sepulveda* in *Vita Ægidii Albornotii Lib. III pag.* 42. Sed, ut ego quidem arbitror, iniuſtiſſime. Ac videntur fabuloſa eſſe omnia, quæ de hæreticorum ἀνθρωποφαγία feruntur: qua in ſententia & *Danzius* eſt in *Diſſ. de Creophagia ante diluvium licita Cap. I* §. 8, 30. *Deſideratur Heraldus* ad hunc ipſum *Minucii* locum.

8. *Hæc ſacra ſacrilegiis omnibus tetriora*) Similis locus *Curtii IV*, 2, 23: *Hoc ſacrilegium verius, quam ſacrum*; & *Auguſtini Lib. X de Civitate Dei Cap.* 11: *Chæremon, talium ſacrorum, vel potius ſacrilegiorum, peritus.*

8. *Notum eſt, (paſſim omnes loquuntur,) id etiam - - oratio*) Legendum ſic arbitror: *notum, quod paſſim omnes loquuntur, id etiam - - oratio?*

8. *Cirtenſis noſtri*) Ad hunc locum eruditam exhibet Diſſertationem *Baelius* in *Dictionario* ſub *critico* v. *Fronton* nota F.

9. *Convivium caluit*) Non dubito, reſcribendum eſſe *incaluit*. *Curtius V*, 7, 5, & *VIII*, 1, 22: *Cum rex multo incaluiſſet mero*. Nec movet me, quem *Wopkenius Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag.* 22 profert, *Sulpicii Severi* locus *Hiſt.*

ſacræ

ſacræ Lib. II Cap. 13: Cum convivium calere cœpiſſet. Nam & hic, *calere* ſcripſiſſe librarium pro *incalere*, antecedens *m* mihi perſuaſit facile.

9. *Opera*) Reſcribo *opere*, id eſt, ut paulo poſt ait, actu. Etiam *Plautus* id verbi uſurpavit de re venerea *Aſin. V, 2, 23. Ille*, inquit, *opere foris faciendo laſſus noctu advenit. Fundum alienum arat, incultum familiarem deſerit.*

CAP. X.

1. *Pleraque omnium*) Puto, *pleraque omnino* ſcriptum eſſe a *Minucio*: nec aſſentior *pleraque omnia* reſcribenti *Wopkenio Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 22.* Nemo enim Latinus dixerit *aut omnia, aut pleraque omnia.*

2. *Quicquid illud colunt*) Reſcribo: *quicquid illud eſt, quod colunt.*

2. *Nulla nota ſimulacra*) *Vota* pro *nota* ſcribendum videtur *Nic. Heinſio Adverſ. Lib. I Cap. 18 pag. 185.* At nil mutandum. Innuit ethnicus, habere Chriſtianos ſimulacrum aliquod, quod colant, ſed vulgo incognitum. Paulo enim ante dixit, *eos id, quod colunt, occultare & abſcondere.*

2. *Suſtinent*) Hoc verbum, quod in MS. non eſt, inſeruit *Cellarius*, &, quia in MS. non eſt, uncinulis clauſit. Ac certe vel hoc, vel ſimile, verbum excidit.

2. *Interprimunt*) Certum habeo, non eſſe ita ſcriptum a *Minucio*. Video item, hoc loco illud verbum oportere eiici. *Illud*, inquit, *quod colunt, aut puniendum eſt, aut pudendum.* Jam, cum, hoc

ipſo in loco poſt *congregari* verbum, a quo pendet hic infinitivus, excidiſſe, in confeſſo ſit, veriſimillimum eſt, latere hoc verbum in *interprimunt.* An forte *permittunt* ſcriptum fuerat? Cui verbo & *Curtius* infinitivum adjungit: *rudibus ad dicendum pueris agere permittis.* Non tamen acriter defendo conjecturam hanc, libenter applauſurus, ſi quis coniecerit probabilius.

3. *Gens libera)* Magna fiducia reſeribo *gentes liberæ.* Sequitur enim *regna*, ſequitur *noverunt.* Quare & *Romanæ ſuperſtitiones* reſcribo non timide.

4. *Numinibus)* In MS. eſt *nominibus.* Quem errorem librarii agnoſcunt omnes, & ita emendant, præter *Wopkentum*, qui *Lib. II Lect. Tull. Cap.* 17 *pag.* 227, legendum, exiſtimat, *hominibus:* quod quidem verbum etiam habet Romana editio.

4. *Sua ſibi)* Sic *Lactantius II, 5, 61 Deo ſua ſibi opera prætulerunt.* Similia aliorum loca ibi adſcripſi: quibus hæc nunc adiungo. *Lactantius III, 28, 20: Qui ſuo ſibi gladio pereunt. Plautus Capt.* in *Prologi verſu 5: Quo pacto ſerviat ſuo ſibi patri.* Et in *Actus primi Scenæ prima verſu 13: Suo ſibi ſucco vivunt.* Sic & in Prologo *Pænuli verſu 57.*

5. *Etiam)* Uncinulas huic verbo circumdedit *Cellarius*, ut indicaret, melius id abeſſe. Cum vero & in MS. ſit, & in editione Romana, reſcribo *enim. At enim*, inquit gravi affirmatione. Eſſe namque interdum hanc vim iſtius particulæ, plu-

pluribus allatis exemplis docet *Schwartius* ad *Turſellinum.* Ita & *ſed enim* uſurpatum eſt a *Ciceron*e in *Oratione pro Archia Cap. 3*, ubi adſcripſi exempla plura.

5. *Quanam monſtra*) *Rigaltius*, obſcuræ MS. Codicis ſcripturæ nimium intentus, edidit *qua in tam noſtra*, &, quod vix credibile, defendit etiam acriter. Adeo cæco tenetur illius Codicis amore. *Scheffèrus* in *Obſ. miſc. crit. Tom. IX Lib. 2 pag. 185* agnoſcit peccatum librarii, ſed minus felix eſt corector, ita hunc locum cenſens reſtituendum: *At iam Chriſtiani, quæ, mirum, monſtra.* Ego *Daviſio* ſubſcribo, cui legendum videtur *quanta monſtra.* Proxime enim hoc accedit ad ſcripturam vetuſti illius Codicis.

6. *Moleſtum illum*) Nova interpunctione locum hunc vitiavit *Wophenius Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 23.* Ceterum hoc obſerves, *volunt* hic uſurpari pro *ſtatuunt* exemplo *Ciceronis*, cuius en verba, noſtrum ad locum accommodatiſſima, e *Lib. III de Officiis Cap. 28: Non eorum modo Philoſophorum, qui, Deum nihil habere negotii, dicunt, ſed eorum etiam, qui, Deum ſemper agere & moliri, volunt.* Idem *Lib. I Cap. 27: Philoſophi id decorum eſſe volunt, quod ita naturæ conſentaneum*, cetera. Rurſus in *Orat. IV in Catil. Cap. 4: Antiqui illi, apud inferos ſupplicia impiis conſtituta, voluerunt.*

6. *Interrerrat*) Hoc verbo & *Prudentius* uſus *Cathem. VI*, 43.

7. *Toti*) In MSto eſt *toto.* Qui Codex cum

ſcateat vitiis, non debebat iſta ſcriptura defendi a *Daviſio*.

7. *Orbi, & ipſi mundo*) *Orbem* vocat globum illum terraqueum, quem occupavit humanum genus, quemque alias *orbem terræ*, vel *terrarum*, vocant: *mundi* nomine deſignat omne corpus huius univerſi.

7. *Diviſa*) *Burmannum*, qui ad *Valerii Flacci Lib. I pag. 139 divulſa* ſcribi iubebat, iure refellit *Wopkenius Lib. II Lect. Tull. Cap. 17 pag. 228*, & *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 23 ſeq.*

7. *Qua continemur & cingimur*) Rectiſſime ſic comendavit *Meurſius*, quod eſt in MS. atque in editione Romana *continetur & cingitur*. Quam quidem ſcripturam ſervare conatur *Jac. Gronovius*, longe minor patre Criticus, itemque *Wopkenius* loco proxime indicato, ſed minime probabiliter. *Daviſius* quoque minime audiendus, *quâ* reſcribens pro *qua*.

CAP. XI.

1. *Renaſci ſe ferunt poſt mortem cineres & favillas*) Nec dubites ſcribere mecum *e cinere & favilla*.

2. *Invenimus*) Tempus præteritum. *Invenimus*, inquit, ſubaudiens, *cum naſceremur, & incolæ mundi fieremus*.

2. *Mortuis & extinctis*) Fulvius Urſinus &, quo MS Codex caret, inſeruit. Mihi facilius eſt ad credendum, ita ſcripſiſſe *Minucium*: *morte extin-*

ſinctis. *Curtius III, 5, 10: ignobili morte exſtingui.*

2. *Et interimus*) Pro *etiam interimus.* Admonere talia ſubinde non piget. Sunt enim inter Lectores, quibus hac ratione conſulendum.

3 *Annis tamen & ætatibus*) Tam falſam ſcripturam hic exhibuit librarius, ut ne ab Oedipo quidem veram reſtitui poſſe credam. Alius enim Codex non ſupereſt, qui queat inſpici. *Nic. Heinſius* pro *ætatibus* ſcribebat *ætatis vi* in *Adverſ. Lib. II Cap. 19 pag. 366.* Sed ne ipſe quidem approbaturus erat, ſi ita ſcripſiſſet librarius.

3. *Nec interſit*) Non miror, Daviſium & *interſit* reſcribendum duxiſſe. Aliter tamen ſenſiſſet, ſi obſervaſſet ἁμάρτημα *Minucii* noſtri μνημονικὸν, qualia obſervari debere a Criticis, in *Arte* mea *critica* dudum monui §. 40, 41, 42, & 43. Putabat ſcilicet *Minucius*, antea ſe ſcripſiſſe, *cum omne corpus* - - *reſolvatur.* Merito igitur non ſubſcripſit *Daviſio Wopkenius* eodem loco *pag.* 24.

3. *Conficiendi*) Senſu paſſivo. *Quintilianus XI, 2, 1: Memoria excolendo augetur.* Eodem modo *habendo* & *domandum* dixit *Virgilius Georg. II, 250,* & *III, 206.*

4. *Perpetem vitam*) Sic *Lactantius VII, 26, 4: per annos ſeptem perpetes.* Et in libri *de Mort. perſec. Cap. XXXIII, 11 Hac facta ſunt per annum perpetem. Tertullianus Apol. Cap. 18: in ignem perpetem.*

5. In-

4. *Iniuſtos ipſos. magis nec laboro, iam docui*) Admodum difficulter hinc erui poteſt vera Auctoris ſcriptura, quæ hæc videtur eſſe: *Iniuſtos* (eſſe) *ipſos minimeque bonos, iam docui.* Reſpicit proxime dicta, ubi *bonos atque iniuſtos* inter ſe oppoſuit.

4. *Tribui ſententiis*) Lego *tribuit ſententia.* Video, iam ita correxiſſe *Fulvium Urſinum.*

5. *Et hac veſtra conſenſio eſt*) Hoc eſt, etiam vos ita ſentitis. Non debuit igitur *Sigiſm. Geleniur* pro *Et*, quod in MS. eſt, ſcribere *Etiam.* Tantum debuit punctum collocari ante & pro commate. Nunc tamen, inſpecta editione Romana, quæ habet *veſtram conſenſio eſt*, ita ſcripſiſſe iudico *Minucium*: *Et hac veſtra etiam conſenſio eſt.* Scriptum videlicet erat *etiam* abbreviatione monachica. Ac video nunc, eandem emendationem protuliſſe Anonymum Pariſienſem.

6. *Addicitis*) In MS. eſt *dicitis*: pro quo *dicatis* haud inepte reſcribit *Daviſius*, adducens illud *Tertulliani Apol. Cap. 25*: *Tantum honoris fatis Romani dicaverint.* Non minus tamen veriſimiliter alii reſcripſerunt *addicitis.* Nam idem *Tertullianus Cap. 14*: *Hic Apollinem Admeto regi addicit.*

6. *Cupere*) Id eſt, favere. *Cæſar Lib. I de Bello Gallico Cap. 18*: *favere & cupere Helvetiis.* Similem huic locum e *Gellio* adiecit *Daviſius.* *Sectæ* igitur Dativus eſt, non, ut *Rigaltius* putabat, Genitivus.

6. Ele-

6. *Electos*) Reſpicitur formula Chriſtianorum, ſeſe appellantium *electos*, ἐκλεκτούς. Ceterum totum hunc locum ita refingo: *Sic, ſecta veſtra non ſpontaneos cupere, ſed electos, fingentes, iniquum iudicem fingitis*, cetera.

7) *Sine corpore, an*) Tria hæc verba, in MS. omiſſa, ſummo iure inſeruit *Fulvius Urſinus*. Lege, quæ ſequuntur; nec dubitabis. Non igitur acute vidit *Daviſius*, aliter ſentiens, nec, qui *Daviſio* aſſentitur, *Wopkenius Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 24.*

7. *Reſurgatur*) Reſcribi *ſurgatur* iubet *Lud. Carrio Lib. I Emend. Cap. 18.* Sed non eſt audiendus.

8. *Et tamen tanta ætas abiit, - - fluxerunt*) Reſcribo ſine dubitatione: *At cum tanta ætas abierit, - - fluxerint.*

8. *Quis unus ullus*) Tolle *ullus*, duce *Lactantio*, cuius locum produxit *Cellarius*. Ita vero ille: *Tot iam ſecula tranſierunt: quis unquam unus ab inferis reſurrexit, ut exemplo eius fieri poſſe credamus?* Sic *Livio* frequens eſt *nemo unus*. De re ipſa adiicio locum *Theophili Lib. I ad Autolycum Cap. 13:* Δεῖξόν μοι κἂν ἕνα ἐγερθέντα ἐκ νεκρῶν, ἵνα ἰδὼν πιστεύσω.

8. *Horarum ſaltem*) Integer mihi videtur hic locus, nec opus puto, cum *Brukhuſio* adiici *paucarum*, vel cum *Daviſio unius*. Ac *Jacobus* quamque *Gronovius* recte refutavit *Brukhuſium*, omnem ſimul bilem ſuam, quod factum nollem, in eum effundens.

9. *In*

9. *In dulcedine*) Merito ſuo diſplicent hæc verba *Wopkenio Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag.* 25; qui, producto *Juſtini* loco e *Lib. IV*, 1, 17: *Hoc ab antiquis in dulcedinem fabulæ compoſitum*, hoc eſt, fictum; etiam hic ſcribi iubet *in dulcedinem*. Quæ quidem emendatio felix & iuſta habenda. Idem librarii peccatum ſuperioribus diebus mihi occurrebat in *Caſſiodori Lib. XII Epiſt.* 28, ubi ita editum; *Data eſt provinciis in regis noſtri laude pecunia. Steriles facti ſunt agri, ut ubertas domini* (id eſt, regis,) *poſſit agnoſci*. Scribendum erat *laudem*.

9. *Nimirum*) In MSto eſt *nimirum*. Sed iure *nimium* reſcribi, aſſentitur editoribus *Havaldus*.

CAP. XII.

1. *Caſſa vota*) *Virgilius Æn. XII*, 780: *opemque Dei non caſſa in vota vocavit*.

1. *Æſtimatis*) Ita male edidit *Cellarius*. Recte *Ouzelius* & *Daviſius* & *Gronovius æſtimate*; quod & habet Romana editio.

2. *Ut dicitis*) Hoc eſt, quæ melior veſtri gregis pars eſt ex veſtra, non mea, ſententia.

2. *Ope, re, fame laboratis: & Deus patitur*) In MS. eſt *opere* uno verbo. Totus vero hic locus valde laborat, quem ſic reſtituo: *Corpore & animo laboratis. Id Deus dum patitur & diſſimulat, aut non vult, aut non poteſt, opitulari ſuis*. Ex *animo* quomodo fieri potuerit *ame*, & poſtea *fame*, non ignorant, qui cognitas habent abbreviaturas

turas monachorum. Infeliciter *Daviſius* & *Wopkenius* tractarunt hunc locum: quorum ille ita legi vult: *Ægrotis, algetis, pauperie, fame, laboratis*; hic *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 25* ita: *egetis, algetis, opere inani laboratis.*

3. *Querquero*) In MS. eſt *periculo*: quod defendens *Jac. Gronovius* oleum ſane & operam perdidit. Recte *querquero* reſcripſerunt Critici: quo de morbo conſulatur *Keuchenius* ad *Sammonicum pag. 269*, qui tamen, cum *querqueram* dici vult, non *querquerum*, patrocinatur *Lud. Carrioni*, *Emend. Lib. II Cap. 18* in *Minucio* noſtro reſcribenti *querquera*.

4. *Nec fateris*) Hoc eſt, & tamen non fateris. Eodem modo *nec* pro *nec tamen* uſurpatur ab alijs, e. g. a *Lactantio Epit. XXIII, 4*. Poſt *fateris* vulgo ſignum interrogationis male ponitur.

4. *Et iam non*) Male quosdam edidiſſe *etiam non*, recte judicat *Wopkenius Obſ. crit. Tom. X Lib. I pag. 25*, opportune afferens ſimilem locum e *Cap. XXI, 12*: *Hæc iam non ſunt ſacra: tormenta ſunt.* Plura etiam aliorum ſcriptorum loca producit ſimilia.

4. *Prædicitis*) Reſpicit *Cæcilius* id, quod *Cap. X, 7*, dixerat.

5. *Veſtrique dominantur*) Ita etiam *Tertullianus* loquitur & *Lactantius*. Vide ſcripta a me ad huius libri *de ira Dei Cap. XIV, 3*. Addo locum veteris *Bibliorum* interpretis *Rom. XIV, 9*: *In hoc Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut & mortuo-*

rum

rum & vivorum dominatur. Etiam vetus ille *Irenaei* interpres ſæpe ita loquitur.

5. *Non ſpectacula viſitis*) Idem de Chriſtianis commemoratur infra *Cap. XXXVII, 11.* Scilicet, dum in baptiſmo renuntiabant *pompæ diaboli*, hoc ipſo iurabant, ſe nec interfuturos ethnicorum ſpectaculis. Ita vocabulum illud *pompa* interpretatur *Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. myſtagog. §. 4.*

5. *Altaribus*) Dativus.

6. *Quos negatis*) Hoc eſt, quos tamen negatis, & nullos eſſe dicitis.

6. *Et veſtrorum Deorum*) Id eſt, etiam veſtrorum Deorum. Significat, eſſe Chriſtianorum miſeriam, ut ipſi illi Dii, quos rideant & contemnant & inſectentur Chriſtiani, non poſſint ipſorum miſeriam intueri, quin tangantur miſericordia. Primus hunc locum emendavit *Jo. Frid. Gronovius Obſervat. in Script. Eccl. Cap. 7 pag. 75*, & reſcribens pro *ſed*, quod eſt in editione Romana. Nec igitur aſſentimur aut *Daviſio*, vel ſcribenti, aut *Wopkenio Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 26* τὸ *ſed* defendenti.

7. *Diſſerere divina*) De hac Θράσει vid. *Cellarius* ad *Lactantii I, 1, 10.*

CAP. XIII.

1. *Quisque veſtrum tantus eſt, ſi poterit, irridetur*) Hæc & proxime ſequentia *ſupra modum obſcura eſſe & perplexa*, vere ſcribit *Rigaltius*. Nec diſiecerunt huius loci tenebras, qui pro *quisque*,

quod

quod in MSto eſt, reſcripſerunt *quisquis*, & pro *poterit*, quod legitur ibidem, *potuerit*: quod quidem etiam habet Romana editio. Mihi quidem, diu multumque hunc locum contemplato, vera hæc videtur eſſe ſcriptura: *quisque veſtrum* (*tantus eſt vir*,) *potius imitetur*. Eo magis arridet mihi coniectura hæc, quod etiam Romana editio habet ſigna parentheſeos.

2. *De oraculo*) Vide ſupra dicta ad *Cap. VII*, 7.

2. *Teſtimonium meruit prudentiæ ſingularis*) *Socrates omnium ſapientiſſimus oraculo Apollinis iudicatus eſt*, inquit *Cicero de Senect. Cap.* 21, & *de Amic. Cap.* 2 & 4. Oraculi hanc fuiſſe vocem, ſcribit *Diogenes Laertius II*, 37:

Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Origenes vero *Lib. VII contra Celſum pag.* 335 hoc tribuit oraculo illi diſtichon:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης,
Ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Criticam de hoc oraculo diſputationem exhibui in *Actis Philoſophorum Tom. I pag.* 472-500. Ceterum verbum huius loci *meruit* recte interpretatus eſt *Gronovius Obſ. ad Script. eccl. Cap. VII p.* 76. Vide &, quæ nos ſupra de hoc verbo diximus ad *Cap. V*, 13.

2. *Quod oraculum ipſe præſenſit, idcirco univerſis eſſe præpoſitum, non quod omnia comperiſſet, ſed quod, nihil ſe ſcire, didiciſſet*;) Hanc quoque perplexam eſſe orationem, ex vero iudicat *Rigaltius*, qui, ſervatis verbis MSti Codicis (a quo verbum *oraculum* abeſſe, falſo refert *Cellarius*,)

omnibus, mutatisque interpunctionibus, eam reddit perplexiorem. Patrocinatur etiam veteri ſcripturæ *Wopkenius Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 261*, tantum *ſeſe* reſcribens pro *eſſe*. *Io. Frid. Gronovius* in *Obſ. ad Script. eccl. Cap. VI pag. 76 ſeq.* ita emendandum cenſuit: *quod oraculum ipſe præſenſit; idcirco univerſis eſt præpoſitus*, cetera. Et hæc emendatio ſubſcriptorem nacta eſt *Cellarium.* Verum attento ſatis lectori non videbitur ſatisfeciſſe *Gronovius*. Quam vero *Gronovius* filius protulit de hoc loco ſententiam, ea non magis ſe probabit Criticis, quam ceteræ propemodum omnes, quas adſcripſit ad noſtrum *Minucium*. Poſt multam deliberationem vidi tandem, e margine irrepſiſſe gloſſema; quo electo, ſic fluit oratio: *Merito — ſingularis: non quod — didiciſſet*.

2. *Confeſſæ imperitiæ)* Lego *confeſſio*. Ita & infra *Cap. XXXVIII, 1, confeſſio timoris*. Ac res ipſa loquitur, peccaſſe librarium.

3. *Academicorum plurimorum)* Mirabilem in modum tuetur hanc ſcripturam *Wopkenius Obſ. Miſc. crit. T. X Lib. I pag. 27.* Acutius vidit *Daviſius*, alienum hoc loco eſſe verbum *plurimorum*, iudicans. Reſcribenti autem *Pyrrhoniorum* aſſentiri non poſſum. Mihi quidem reſcribere placet *Academicorum iuniorum*. Duas enim fuiſſe Academias, veterem & novam, vel e *Ciceronis Libro primo Quæſtionum Academicarum* conſtat. Ac *novam* quidem ipſe *Lib. IX ad Famil. Epiſt. 8* appellat *adoleſcentiorem Academiam*, hoc eſt, iuniorem.

4. *Qui*,

4. *Qui, cum de eo)* In MS. eſt: *qui Simonides, cum de eo.* Verum iure deletum eſt *Simonides*, & in marginem, unde irrepſerat, reiectum.

6. *Alteram)* Hoc in *alterutram* mutare volentem *Daviſium* probe refellit *Wopkenius Lectionum Tullianarum Lib. II Cap. 17 pag. 228*, & *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 27.*

CAP. XIV.

1. *Indignationis eius tumorem)* Sic & *Arnobius Lib. I pag. 9: Nullus tumor indignationis in Diis eſt.*

1. *Piſtorum præcipuus)* Non innuit *Cæcilius*, piſtorem eſſe *Octavium*, ſed patre eum natum eſſe piſtore, & atavis editum piſtoribus. Ait enim, eum eſſe *proſapiæ Plautinæ*.

2. *Plenius)* *Jac. Gronovius* legi vult *penitus*: quod quidem ei nemo aſſenſerit.

2. *Laude)* Lego *plauſu.* Paulo enim ante dixerat: *Parce in eum plaudere.*

3. *Actione)* Id eſt, diſputatione & diſceptatione. Forenſe enim vocabulum eſt *actio* & *actor*. Exempla petas licet e *Quintiliani Dial. Cap. XVII, 5*, & *XXVI, 3*, & *XXXII, 6. Actionem cauſæ* plenius vocat *Cicero Orat. pro Deiotaro Cap. 2.* Hoc ſenſu & *Cap. XV, 1*, noſter *Minucius: vires actionis meæ.*

4. *Differentium viribus)* Scribo *differendi viribus*, quia ſequitur *eloquentiæ poteſtate.*

4. *Dilectu)* Editio Romana *delectu.*

4. *A rectis falſa)* Pro *rectis* ſcribentem *certis*

Jac. Gronovium docte confutat *Wapkenius Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag.* 27. Confirmo & ipſe veterem ſcripturam his locis. *Cicero de Amic. Cap.* 10: *ab amicis, quod rectum non eſt, poſtulare. Et Cap.* 11: *ſi rectum ſtatuerimus, concedere amicis, quicquid velint.* Idem *Lib. III de Officiis Cap.* 11: *Rectum eſt,* (hoc eſt, *verum eſt,*) *id non licere. Ovidius Metam. VII,* 72: *rectum, pietasque, pudorque.* Apparet hinc, *rectum* dici & id, quod honeſtum eſt, & id, quod verum. Quid? ipſe noſter *Minucius* in clauſula huius *Capitis* ait, *ea, quæ recta ſunt, eligere & probare nos oportere.*

4 *In incredibili*) *In*, quod non eſt in MS. nec in editione Romana, iure adiecit *Rigaltius*; indicans etiam cauſam huius omiſſionis.

5. *Arguantur*) Hoc eſt, credulitate peccare iudicantur. *Credulitatem* eſſe partem ſtultitiæ, *Cicero* pronuntiat in libri *de Senectute Cap.* 11.

5. *Culpam iudicis*) Sic in MS. eſt. Aſſentior *Woweris* ac *Daviſio*, *iudicii* reſcribentibus. *Culpam*, inquit, *iudicii* (ſubaudi *ſui*,) *transferunt ad incerti querelam*, hoc eſt, cum ſuam iudicandi temeritatem accuſare deberent, ex eo, quod falluntur ſæpius, concludunt, nihil eſſe recti, ſed eſſe perpetuo dubitandum de omnibus. Idem ipſum mendum ſupra obſervavi *Cap. V,* 1.

5. *Ampliatis*) Ita feliciſſima coniectura pro *damnatis*, quod MS. Codex habet, (librarii ſcribere ſolebant *dampnatis*,) reſcripſit *Meurſius*. *Livius Lib. IV Cap.* 44: *Ampliatam virginem reum,*

ream, deinde abſolutam Pontifex maximus, cetera. Eſt forenſe vocabulum, quo ſignificatur iudicii, ſive ſententiæ, iudicialis dilatio.

6. *Laboremus: ita ut*) Recte ſic interpunxit *Daviſius*: *laboremus ita, ut*. Idem vero male *efferantur* mutat in *efferuntur*. Eſt enim verbum *efferare*, non *efferre*. En geminum *Livii* locum *Lib. V Cap.* 27: *efferati odio iraque*. Hoc ſi animadvertiſſet *Wopkenius*, non verborum tantum fruſtra conſumſiſſet in *Obſervat. miſc. crit. T. X Lib. I pag.* 28 & 29.

7. *Nam incaute*) Non dubito, ita ſcripſiſſe *Minucium*: *Nam dum incaute*. An alii, a me admoniti, dubitaturi adhuc ſint, dubito.

7. *Optimos ſentire*) Pro *optimos eſſe, ſentire*. Sic & ſupra *Cap. XI*, 5: *etſi iuſtos* (ſubaudi *eſſe*) *daremus*.

8. *Sollicit*i) Hoc verbum cum hoc loco ſit alieniſſimum, ſcribo *ſoliti*; cumque nunc deſideretur verbum infinitivum, ſic lego: *Nos proinde audire ſoliti*. Senſus: Nos, qui in foro cauſas agimus, audire conſuevimus, quod utrimque, cetera. Qui pro *audire* aliud verbum reponere voluerit, eius coniectura, ſi ſpeciem veri habuerit maiorem, facile favebimus.

8. *Negotio*) *Negotium* hic ſignificat cauſam forenſem. Vide, quæ ſupra ſcripſi ad *Cap. II*, 1.

8. *Ex altera lateat*) MS. *ex altero latere*. Emendatio *Fulvio Urſino* debetur: quæ tamen ſe non probat *Daviſio*. At durior ſane eſt dictio. Quare malim ſcribere *luceat*, ut opponatur *obſcuri-*

 tati

tati veritatis. Quanquam nec hæc ſatis lucida mihi videtur correctio: ac ſpero, clariorem certioremque emendationem tandem prolatum iri ab acutiori aliquo Critico.

CAP. XV.

1. *Actionis meæ*) Hoc verbum iam ſum interpretatus ad *Cap. XIV, 3.*

2. *Si poteſt refutari id, quod criminaris, inquam*) In MS. eſt *reputare:* quod reiiciunt Editores omnes. Eſt vero vix quidquam ſani in toto loco. Adeo turpiter hic ſe geſſit librarius. Inſpectio huius loci accuratior me perduxit ad hanc emendationem: *Si poteſt, refutabit crimina, quæ in commune, niſi fallor, compendium protuli.* Significat *Cæcilius* illa crimina, quæ adhuc in Chriſtianos contulerat. *Hæc*, inquit, *in commune compendium protuli*, hoc eſt, breviter & compendioſe recitavi, putans, id tibi pariter ac mihi fore commodum. Quæ *Wopkenius* ad hunc locum eſt commentatus in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 29,* non videntur nactura eſſe ſubſcriptores.

3. *Examine ſcrupuloſo*) *Quintilianus Lib. IX Cap. 1: Hæc habent ſcrupuloſam diſputationem.* Idem *Lib. V Cap. 14: Minutius & ſcrupuloſius ſcrutantur omnia.*

2. *Noſtram ſententiam*) Sententiam dicit iudicialem, poſt audita expenſaque utriusque partis argumenta ferendam. Apparet hinc, *noſtram* eſſe verbum depravatum. Fortaſſe ſic ſcripſerat

Minu-

Minucius: ut examine ſcrupuloſe inſtituto ſententiam.

3. *Toto*) Reſcribo *tuto.* Sic ſupra *Cap. XIII, 3, tuta dubitatio.*

3. *Iam geſtientis*) Subaudiendum eſt *loqui & ad ea, quæ obieci, reſpondere:* idque iam animadvertit *Rigaltius.*

Finita nunc oratione *Cæcilii* ethnici, & nos finimus emendationes orationis *Octavii* Chriſtiani, quæ ad finem usque libri ſequitur, reſervantes Ferculis ſecuturis.

Pergratum vero mihi fecit, nec mihi ſoli, ſed, niſi fallor, omnibus *Minuciani* libri lectoribus, celeberrimus horum *Miſcellaneorum* Editor, cum correctionum mearum primum Ferculum ſuo ſubiecit examini, ſuamque dixit de ſingulis ſententiam. Cum enim ars critica ſit coniecturalis ars, coniecturæ coniecturis opponendæ ſunt, ut manifeſtum fiat, quæ coniectura maiorem habeat veri ſpeciem, applauſuque ſit digniſſima. Rogo igitur Virum humaniſſimum, ut pergat, quid de quaque mea emendatione ſentiat, proferre in publicum: ſimulque polliceor, me poſt exhibitas omnes meas huius libri correctiones attentiſſime eſſe perluſtraturum diſſenſiones ipſius univerſas, &, ubicunque illuſtrem hunc Virum vidiſſe acutius deprehendero, ingenue ei ſubſcripturum publice. Illud nunc unum fateri liceat, primum ipſi laborem, cum duas meas primi loci emendationes reiecit, minus proſpere ſucceſſiſſe, nec me vereri, ne quis in arte critica exercitatus ei aſſentiatur,

laudetque hoc huic librario, quem ἀμαθέστατον fuiſſe hominem conſtat, præſtitum patrocinium.

V.

FRIDERICI OTTONIS MENCKENII LIBRORVM,

HAVD ITA DIV AB INVENTA ARTE TYPOGRAPHICA EDITORVM, QVIBVS SVPPLERI POSSINT ANNALES TYPOGRAPHICI MAITTAIRIANI, DECAS QVINTA, EIVSQVE PRIOR PARS.

Cum, eſſe aliquos Lectorum meorum, ſciam, qui nec faſtidire parva hæc munuſcula, nec de noſtro hoc, *Annalis typographicos* ſupplendi, ſtudio gratiæ nobis habere nihil, ſoleant; vel hoc nomine ſatis ego, proſequendi literarium hoc inſtitutum, & artis illius, quæ magno Deorum beneficio inventa eſt, primordia illuſtrandi, habere mihi cauſæ videor. Itaque librorum meorum forulos perquirenti, & nova a vetuſtioribus ſeparanti, nunc quidem, quæ tuis, Lector, digna oculis exiſtimaverim, in manus hæc venerunt:

Hoc

I.

Hoc in Volumine hæc continentur: Franciſci Maturantii, Peruſini, de Componendis carminibus opuſculum. Nicolai Perotti Sypontini de generibus metrorum. Eiusdem de Horatii Flacci ac Severini Boetii metris. Omniboni Vicentini de Arte metrica libellus. Servii Mauri Honorati Grammatici Centimetrum. Venetiis, per Dominum de Mediolano, MCCCCLXXXXIII, die XX Auguſti. 4.

Librum hunc, qui brevius & commodius inſcribi potuiſſet *Scriptorum de re metrica Sylloge*, iam duobus annis ante, Seculi nempe XV primo & nonageſimo, Venetiis ex officina *Maximi de Butricis Papienſis* prodiiſſe, a *Maittairio* docemur, ſed qui nullam poſterioris huius editionis habuit notitiam. Congregavit in hoc opere, quisquis demum is fuit, (nusquam enim editoris nomen apparet, nec, unde tale quid cognoſci poſſet, ulla libro Præfatio præmiſſa eſt,) nonnulla Grammaticorum tam veteris, quam recentioris, ætatis de componendo verſu, & generibus metrorum, opuſcula, bono ita & laudabili conſilio iuventuti in manus traditurus ea omnia, aut potiſſimam ſaltem eorum partem, quæ ad formam carminis externam, artemque magis metricam, quam poeticam, viderentur pertinere. Iam vero, cum in carmine nihil aliud ſit metrum, quam quod in muliere formoſa eſſe veſtimenta ſolent, quæ minime, ut formoſa ſit mulier, ſed ut ſpectabilior eius for-

ma ſit, efficiunt, nemo, perlectis his libellis, ſatis ſe paſtum ea cognitione, qua, vt veri ipſe nominis Poeta dici poſſit, opus eſt, nemo, carere ſe poſſe ceteris præceptis, putet, quæ, priusquam de metro cogitemus, recte nos uti ingenio ad fingendum & eloquendum docent. Opuſcula hæc, non eſt dubium, diu ante, quam in hoc volumine coniuncta ſunt, ſeparatim prodiiſſe ſingula. *Maturantii* certe librum anno iam 1478 Venetiis ex officina *Ratdolti* exiiſſe, *Serviani* autem operis editionem exſtare Viterbienſem anni 1488, in *Annalibus* ſuis *Maittairius* annotavit. Multum adeo fallitur *Ludov. Jacobillus*, qui, edidiſſe opus ſuum *Maturantium* Venetiis A. 1511, refert in *Biblioth. Umbria pag. 118*, etſi, novam illo anno libri huius editionem prodiiſſe, facile credi poſſit. Multo autem magis ridendus eſt *Auguſtinus Oldoinus*, editum id operis ab Auctore A. 1612, nos docens in *Athen. Roman. pag. 116*, niſi æquitatis putetur, errorem hic operarum agnoſcere. *Nicolai* autem *Perotti* libelli, etſi, quo primum editi ſint anno, nemo me doceat, diu tamen ante annum 1491 editos, inde colligo, quod anno iam 1480 e vivis exceſſerit *Perottus*, alterum autem libellum *Jacobo* cuidam, alterum *Celio Perotto*, fratri ſuo, inſcripſerit, quod non videtur facturus fuiſſe, ſi, poſt mortem demum ſuam publicari, quicquid eſt horum opertum, voluiſſet. De *Omniboni* libello notamus, anno 1491 hunc editum memorari a *Fabricio* in *Bibl. Lat. med. & inf. æt. Vol. V Lib. XIV pag. 483*. Jam de ſingulis

Scripto-

Scriptoribus, etſi haud mediocriter doctis, tamen in argumento verſantibus, quod pauci hac ætate in deliciis habere ſolent, breviter dicemus. Primus in hoc grege *Muturantius* eſt, cuius de componendo verſu præcepta eo inprimis ſpectant, ut his imbueretur animus *Petri Pauli Cornelii*, iuvenis in Peruſinis nobiliſſimi, cui laborem hunc ſuum eleganti ſatis epiſtola dicatum Auctor voluit. Huius ipſe *Cornelii* in arte dicendi ſe magiſtrum, huius ſe precibus ad ſcribendum hunc libellum permotum, huius ut ſatisfaceret honeſto deſiderio, cummaxime ſe ſtuduiſſe, profitetur. Ipſius libri quæ ſint argumenta, etiam non indicantibus nobis, nemini non aſſequi coniectura liceat. Id unum dixiſſe ſufficiat, de *pedibus verſus*, tam *hexametri*, quam *pentametri*, de *depoſitione* & *ſcanſione*, de *poteſtatibus literarum*, tam *uocalium*, quam *conſonantium*, de *ſyllabis* & *diphthongo*, de *poſitione*, *compoſitione*, & *præpoſitione*, de *primis*, *mediis*, & *ultimis ſyllabis*, de *verſu heroico*, de *iis*, *quæ carmini heroicis verſibus contexto gratiam* & *ſplendorem afferant*, deque ſimilibus aliis, ita hic agi, ut ex ſelectis veterum Poetarum exemplis dictorum ubique ratio reddatur, nec pauca, ſcitu iucunda æque ac utilia, aut plane nova tradantur, aut diligentius, quam factum ab aliis, explicentur. Commendabile inprimis de *figuris poeticis* Caput eſt, quarum varia Autor genera, undecunque collecta, memorat, & in carmine eas adhibendi modos commonſtrat, idque inprimis agit, ut, quo artificio in his adhibendis uſi ſint veteres, doceat.

doceat. Nomen Auctoris, qui inter præcipua Seculi XV ornamenta, & cives Italiæ doctiſſimos, Grammaticosque ſui ævi non ignobiles, numerari meretur, non uno modo videas efferri. Solet enim nunc *Maturantius*, nunc *Maturatius*, nunc *Mataratius*, vocari. Atque huius diverſitatis indicium ipſa, quod mireris, eius ſcripta præbent; quæ cauſa eſt, cur duos faciat Grammaticos, alterum *Franc. Mataracium*, alterum *Franc. Maturantium*, &, quæ unius ſunt, duobus tribuat ſcripta, *Conr. Geſnerus* in *Biblioth. Univ. pag.* 251, manifeſto ſatis errore, quem nec notiſſimi illi *Geſneri* Epitomatores, *Simlerus* & *Friſius*, emendarunt. Cum nemo non ſcriptorum civem Peruſinum dicat; miror, in *Lexico eruditorum* Germanico patriam ei Spoletum tribui. Annum eius natalem nusquam invenio notatum; incidiſſe tamen hunc in Seculi XV medium, inde liceat conicere, quod anno iam 1488 *de componendo verſu* libellus prodierit, illo autem tempore, ut ex epiſtola, libro præmiſſa, patet, *Cornelii* iuvenis moderandis ſtudiis præfectus fuerit hic *Maturantius*. Ab urbis patriæ, Peruſiæ, ſecretis fuiſſe *Maturantium*, a *Jacobillo l. c.*, in Gymnaſio autem patrio Græcas Latinasque literas profeſſum, ab *Oldoino l. c.*, docemur. Quem annum vitæ ultimum habuerit, non inter ſe conſentiunt ſcriptores. Ab aliis annum 1512, ab aliis 1518, nominari, idem refert *Oldoinus*, qui &, Manibus eius parentatum funebri Oratione a *Chriſtophoro Saxo*, docet. Poſteritati nomen ſuum non unius generis

ſcri-

ſcriptis commendavit, in quibus *Commentaria in Ciceronem* & *Statium* præ ceteris celebrantur. Et in *Ciceronis* quidem *Philippicas Enarrationes* eius Vicentiæ A. 1488 ex officina *Henrici de S. Urſo*, & iterum Venetiis A. 1494 apud *Joannem de Tridino*, *de Inventione* Libri cum eius & *Mancinelli* Commentariis Venetiis, primum A. 1486, deinde A. 1490, tertium, additis *Victorini* Notis, A. 1500; *Rhetorica ad Herennium* cum eorundem Triumvirorum Notis Venetiis A. 1496, prodierunt. Fuiſſe etiam Rhetoricos *Ciceronis* libros iunctim editos cum *Maturantii*, *Mancinelli*, & *Victorini* in libros *de Inventione*, Commentariis Venetiis A. 1501, diſcimus ex *Fabricii Bibl. Lat. Tom. II pag. 109*. Adhæc *de Officiis* libros Commentario illuſtravit, ſed cuius antiquiorem haud ſcio editionem illa, quam Lugdunenſes dederunt A. 1512, a *Geſnero* nominatam in *Bibl. univ. l. c.* Sed in *Paradoxa* etiam, & *Tuſculanas* (neſcio, an *Quæſtiones*, an *Diſputationes*,) commentatum ſcribit *Oldoinus l. c.* cuius rei, cum mihi aliunde non ſit cognita, fides ſit penes actuorem. Quod vero, in *Verrinis* etiam tale quid præſtitum a *Maturantio*, Auctor ait *Dialogi de Ling. Lat. reparat. pag. 412*, id, cum nemo alius doceat, parum abeſt, quin errori tribuam *Verrinas* pro *Philippicis* dicentis. Verba Auctoris hæc ſunt: *Sed in Verrinis actionibus maiorem utilioremque (quam in Achilleide Statii) ſe præſtitit, quanquam materiam diligentius, quam artem, tractaverit.* Nemo, inquam, alius in magno illo ſcriptorum, qui de *Maturantio*

tio egerunt, numero eius rei quidquam nos docet, nec *Fabricius*, aut ſi quis alius Commentatores *Ciceronis* nominavit, illuſtratas à *Maturantio Verrinas* dixit. In *Statii Achilleida* Animadverſiones, doctas magis, quam copioſas, cum *Q. Luctatii Placiadis* in *Thebaida*, & *Domitii Calderini* in *Sylvas*, Scholiis editas Venetiis A. 1483 apud *Octavianum Scotum*, Modoëtienſem, ipſe teneo. De his ita Auctor *Dialogi de L. L. repar. l. c.*: *Statii Achillem Fr. Maturantius tractabiliorem reddidit, Papiniana illa duritate candido ſermone emollita.* Inſcriptæ ſunt hæ annotationes *Recollecta ſuper Achilleida P. Papinii Statii, tradita a Domino Franciſcò Mataracio, Peruſino, viro diſertiſſimo.* Alia præterea multa *Maturantii* ſcripta a *Geſnero l. c. Oldoino l. c.* & *Jacobillo l. c.* memorantur, ſed de quibus, ſintne unquam edita, nec ipſi docent, nec nobis compertum aliunde eſt. Sunt autem hæc *Poetica ars apud veteres*, quam a libello *de componendo verſu* diſtinguit *l. c. Geſnerus*; *Epiſtolarum ad diverſos Liber I*; *Oratio de Laudibus Peruſiæ*; *Præfatio & Additiones ad Conſilia Cornei*; *Oratio funebris in memoriam Adriani Ballionii Morgantis*, A. 1502 recitata; *Arithmetica*; quam poſtremam in Italia excuſam ait, ſed nullo loci, aut anni, addito indicio, *Geſnerus*. Quid libri ſit *Supplementum artis metricæ*, quod Auctori noſtro *Bailletus* tribuit in *Jug. des Sav. Lib. II P. II* edit. Amſt. *pag.* 101, Venetiis A. 1522 editum, ſi non eſt *de componendo verſu* liber, plane non intelligo. Quam *Vitis Virorum*

ſuperiori noſtroque ſeculo doctrina illuſtrium, a ſe editis Francofurti A. 1556, addidit *Jo. Fichardus Maturantii Vitam Petri Phil. Cornei*, hanc, cum mihi ipſi non licuerit inſpicere, deſumtam puto ex opere *Additionum ad Conſilia Cornei*, paulo ante nominato. Reliquiſſe etiam *Maturantius Memorias patriæ*, nondum editas, & ſuaſu affinis ſui, *Jacobi Antiquarii*, convertiſſe ſe ad conſcribendam *rerum præclare a Peruſinis geſtarum hiſtoriam*, *Oldoino* dicitur. Adhæc, exſtare in Bibliotheca Vaticana *Epiſtolarum & Orationum* eius Codices MStos duos, notatum eſt in *Monfauconii Biblioth. Bibliothecarum MStorum nova Tom. I pag. 119 & 140*. Alia multa fortaſſe, ſi cupidus ſciendi es, Lector, de vita æque ac ſcriptis *Maturantii* cognoſces ex ſcriptoribus numero non paucis, ab *Oldoino* adductis. Pergimus ad *Nicolai Perotti*, Pontificis Sipontini, Opuſcula duo, alterum *de generibus metrorum*, alterum *de Horatii Flacci ac Severini Boetii metris*; quorum ſi non hæc prima fuit, quod vix putem, rationibus, quas ſupra attuli, adductus, tamen proxima primæ fuit editio; ut mirari hinc liceat, diligentiſſimum harum rerum inveſtigatorem non, quam indicaret, antiquiorem habuiſſe horum operum editionem illa, quæ quatuor annis poſt, Seculi nempe XV ſeptimo & nonageſimo, eadem in urbe prodiit. Vid. *Giorn. de' Lett. d' Ital. Tom. XIII pag. 467.* Eiusdem editionis, tanquam primæ omnium, mentionem facit, *Zeni*, ut videtur, fidem ſecutus, *J. A. Fabricius* in *Bibl. Lat. med. & inf.*

æt,

ae. Vol. V Lib. XIII pag. 377. Falli etiam, hinc patet, *Geſnerum*, qui, alterum *de metris Horatii ac Boetii* libellum editum ab *Aldo*, præmiſſumque ab eodem ſuis *Horatii* editionibus, in *Biblioth. univ. pag.* 523 docet. *Aldinarum* enim *Horatii* editionum primam anno demum 1501 in lucem exiiſſe, ſatis conſtat. Non igitur edidit libellum primus, ſed diu ante editum novo prelo excudendum curavit, *Aldus*. Illi de metrorum generibus opuſculo præmiſſa eſt, ut diximus, ad *Jacobum* quendam epiſtola; nec, quis genere & ortu fuerit *Jacobus* iſte, ex ipſa facile epiſtola cognoſcas. Docent autem *Zenus* & *Fabricius l. c.*, fuiſſe ei cognomentum *Schioppi*, cuius rei unde illi habuerint notitiam, ignorare me fateor, niſi, quam iidem prodiiſſe dicunt A. 1497, libelli huius editioni inſcriptum hoc *Jacobi* cognomen putetur. In Bibliotheca *Chriſtinæ*, Reginæ Sueciæ, quæ nunc in Vaticina aſſervatur, liber hic MStus exſtat, in quo nomen *Scioppi* inſcriptum legi, diſcimus ex *Montfauconii Bibl. Bibliotk. nova MStorum Tom. I pag.* 56. Huius *Jacobi*, quem decem annos ante, quam ad ſcribendum hunc libellum ſe converterit, fuiſſe ſibi in his ſtudiis commilitonem ait, quem & ob egregiam indolem, ſuaviſſimos mores, excelſum, dulce, eruditum ingenium, tantum a ſe diligi, quantum alium neminem, dicit, precibus adductum, ſuſcepiſſe ſe, quicquid huius eſt laboris, idque a ſe actum, ſcribit, ut huic æque, ac aliis adoleſcentibus, quin provectioris etiam ætatis hominibus, uſum non ſpernendum hac opera præſtaret.

ret. Nec parum ſtudii, ſi ipſum audias, in exponenda antiquioris metri ratione, colligendisque ac explicandis tam nominibus, quam rebus ipſis, ab eo poſitum. Ita enim ætate illa, ut ipſe ait, *fuerat hæc ars abolita, penitusque reſtincta, ut vel nullus Auctor exſtaret, qui de ea re traderet, vel, ſi quis ſupererat, adeo mendoſus corruptusque eſſet, ut multa in his diſcerentur, quæ neſciſſe rectius fuiſſet.* Pergit deinde, quæ ſibi in ipſo laboris curſu difficultates ſint obiectæ, quantum etiam in iſto opere præſtitum ab ipſo fuerit, pluribus commemorare. *Hac in re*, inquit, *incredibile dictu eſt, quos ſuſtinuimus labores: adeo quippe omnia non ſolum præcepta, verum etiam pedum ac metrorum nomina, corrupta erant, ut neceſſe fuerit, complures non ſolum Latinos, verum etiam Græcos, ad ea comperienda libros evolvere; nova quoque exempla inveſtiganda fuere; multa etiam noſtro marte componenda.* In quibus omnibus ſi, quod per ſe quisque Lectorum inquirat, bene ei ſucceſſerunt conatus ſui, ſi, quæ vere corrupta, ea recte docteque emendavit, nec in novis componendis ingenium, aut doctrina, eum deſtituit, omnes in eo nobiſcum conſentient, gratiæ *Perotti* de his omnibus, totoque hoc opere, plurimum habendam. Multum certe applaudimus ei de generoſo contemtu eorum, qui ferre non poterant ætate illa homines in ſtudiis humanitatis toto animo deditos, & quibus nova quæque præ inſano amore veterum ſordebant. Digna, meo iudicio, ſtrenuo elegantioris doctri-

næ vindice verba ſunt: *Libuit experiri, quantum auctoritatis apud noſtros homines ex his ſtudiis haberemus: quanquam non lateret nos, eſſe nonnullos, qui in capeſſendis bonis literis ita obſurduerunt, ut, ſimul ac emanat novi aliquid, etiam ab eruditis viris, non modo a noſtri ſimilibus, quod ab illorum opinionibus, quorum doctrina ſunt imbuti, diſcrepet, non ſolum id contemnant, ſed acerrimis etiam verbis inſectentur. Verum his quidem perſuaſum volumus, pluris nos facere duorum, aut trium, eruditorum iudicium, quam mille ſui ſimilium ineptiſſimas reprehenſiones. Ponderari enim, non re memorari, ſententias cupimus, nec publicum laudamus conſilium, in quo nihil eſſe inaequalius conſuevit, quam ipſa aequalitas. Nam, cum impar prudentia ſit, par omnium eſt auctoritas.* Libellus ipſe, qui brevitati ſtudentem Auctorem prodit, ea continet omnia, quæ de metro, variisque huius generibus, de ſyllabis, pedibus, ceterisque rei metricæ partibus, ſive apud Grammaticos veteres leguntur, ſive cognoſci ex lectione Poetarum poſſunt; multa etiam hic rectius, quam factum ab aliis, explicantur, errores autem illorum bene multi ſatis feliciter corriguntur. Cuius noſtri iudicii, per partes ſingulas eundo, rationem reddere, non eſt inſtituti huius; nec ea horum ferculorum dulcedo eſt, quam appetere palatum lectoris videatur. Alteri *Perotti* opuſculo, *de Horatii Flacci ac Severini Boetii metris*, præmiſſa eſt ad fratrem Autoris, *Celium* (*Helium Fabricius* l. c. & *Leo Allatius* in *Apibus urbanis pag.* 381, dicunt,

Ælii

Ælii autem nomen habet. Codex libelli huius MStus, in Vaticana obvius, cuius *Montfauconius l. c.* mentionem facit,) *Perottum* epiſtola, plena laudum non *Celii* tantum, quem ſibi, *ut adſpectu ac lineamentis corporis, ita & moribus & natura, ſimilem, iisdem,* quibus ipſe *ſtudiis deditum, a ſe eruditum, ac, veluti imaginem quandam,* ſuis *moribus formatum atque confictum,* de cuius denique *indole tantam* ſibi *ſpem conceptam,* dicit, *ut non mediocre decus allaturum ſuæ familiæ exiſtimaverit,* ſed inprimis etiam *Beſſarionis,* Purpurati, cuius ingenium, doctrinam, virtutes, iis, quibus inveniri maiores vix poſſint, ad cœlum laudibus extollit, cui & *bona, fortunas, ipſam denique animam,* debere ſe, agnoſcit. Illum igitur fratrem ſuum ut, quæ carminum *Horatii Boetii*que ſit ratio, ab eo rogatus, doceret, hoc, quicquid eſt libelli, compoſuit, unde, quo artificio Poetæ illi in modulando ſint uſi, quæ carminum illorum varietas, quæ verſuum ac pedum in iisdem carminibus apud antiquos ſint nomina, intelligere harum rerum curioſus poſſit. Quo igitur pretio illorum Auctorum facultas metrica ſit æſtimanda, idque unum, Lector, nihil præterea, diſces. De rebus enim variis, quæ Poetis illis materiam carminum præbuerunt, de fictione, præcipua virtute Poetarum, de ipſa dicendi ratione, quam Poetæ illi ſibi propriam habuerunt, nihil hic legimus, nihil legendum dare voluit *Perottus.* Nullo igitur iure hunc librum vocare *in Odas Horatii Commentarium* liceat, nec recte, noſtro iudicio, factum ab *Antonio Bruno,* cui

ſic appellare, huius quicquid eſt operis, viſum eſt in epiſtola ad *Jo. Franc. Lauredanum*, inſerta *Leonis Allatii Apibus urb. pag. 353. Nicolaus*, inquit, *ille Perottus, Sipontinus Præſul, gentilis eius*, (Torquati Perotti,) *eſt, cuius in Horatii Odas exſtat Commentarius, de elegantia cum ipſis illis Odis, quas Auctor ære perenniores iure appellavit, certantes* (forte *certans*). Non alium enim, quam quem *de metris Horatii Perottus* ſcripſit, a *Bruno* librum intelligi, inde manifeſtum eſt, quod nemini Scriptorum quidquam, præter hunc libellum, edidiſſe unquam, aut ſcripſiſſe, dicatur *Perottus*. Huius igitur cum *Bruni* fide inter Commentatores *Horatii* locum *Perotto* tribuit *Adr. Bailletus* in *Jug. des Sav. Tom. II P. I edit. Amſt. pag. 346*, nimium dedit auctoritati hominis, cuius &, quam diximus, epiſtola, ſi attente legatur, non tam negligenter ſcripta, quam omni prorſus carere ſenſu, videtur, ut recte notatum eſt a *Bern. de la Monnoye* in *Notis* ad librum *Bailleti*. Ceterum, quæ huius *Perotti* in elegantiores literas merita, quæ præter hæc, de quibus diximus, ſcripta, quæ denique fata, fuerint, nemo tam hoſpes eſt in literaria hiſtoria, quem ignorare putem. De his igitur, ne trita & pervulgata conſectari videar, bona Lectorum cum venia nihil addam. De *Omniboni Vicentini*, cognomento *Leoniceni*, eruditiſſimi Auctorum veterum explanatoris, cuius & vita, Seculo XV cum laude transacta, & in antiquos Scriptores Commentarii, & ſi qua alia edidit ſcripta, vulgo ſunt notiſſima, *Arte metrica* unum

hoc

hoc dicam, nihil pæne differre hunc libellum ab illo *Maturantii*, ſive argumentum, ſive eius tractandi rationem, ſpectes, niſi quod brevitati Auctor iſte paulo magis, quam alter, ſtuduerit, nec ſelectis Poetarum veterum exemplis tantum, quantum ille, abundet. Huic igitur præferendum quodammodo *Maturantium*, etſi nec hunc ſpernendum, putem. Minus autem hoc *Omniboni* opus, quam, quæ dedit, cetera, innotuiſſe eruditis videtur. *Geſnerus* certe, qui ſatis de ſcriptis eius diligenter egit in *Biblioth. univ. pag. 527*, de hoc libello dubitanter ſcribit: *In Catalogo quodam invenio nominari Omniboni Scanſiones: videtur autem opus aliquod de metris, vel carminibus, ſcriptum reliquiſſe*. Eſſe vero idem hoc opus, quod *de Scanſionibus* inſcriptum eſt, (ſi quidem unquam ita inſcriptus liber prodiit, quod ignorare me fateor,) coniicere magis, quam certo affirmare, liceat, etſi id perhiberi a *Fabricio* in *Bibl. Lat. med. Vol. V Lib. XV pag. 483* videam, qui quidem unius ea in re fidem ſecutus *Geſneri* videtur. Agmen Grammaticorum in hoc Volumine claudit *Marius* (*Maurum* alii dicunt) *Servius Honoratus*, cui, ſi ætatis ratio habenda fuiſſet, omnes vident, locum tribuendum principem fuiſſe. Perbrevis, quem *Centimetrum* inſcripſit, libellus eſt, in quo centum genera metrorum, antiquioribus Poetis uſitata, undecunque ſunt collecta, uniuscuiusque autem ratio ita & verbis explicatur, & exemplis, ſed his pauciſſimis, oſtenditur, ut ſufficere hæc, ſi non doctioribus, at iuventuti harum rerum prorſus rudi, poſſint.

Plura de libello, quem fortaſſe lectorum nemo ignorat, inprimis cum, ex libris *Bongarſii* auctus multis locis atque emendatus, *Herm. Buſchii Grammaticis veteribus* acceſſerit, addi non eſt opus, nec ita in obſcuro ſive fama, ſive ſcripta *Servii* cetera verſantur, ut de his nunc demum a me doceri quisquam cupiat. Patet autem ex hac æque, ac ex antiquiore illa, quam Viterbii prodiiſſe ſupra diximus, libelli huius metrici editione, falli in eo *Fabricium*, quod editi huius operis gloriam *Aldo* tribuit, & ab eo adiectum ſuis *Horatii* editionibus ſcribat in *Bibl. Lat. Vol. I pag.* 790 quarum nulla, quod mihi quidem conſtet, ante annum 1701 in lucem exiit.

II.

Per ANT. MANCINELLUM. Elegantiæ Portus. Lau. Vallenſis Lima. Rhetoricen ad Herennium eſſe Ciceronis. Rhetorices ad Herennium Commentariolus.

Domici Palladii Sorani Carmen:

Mos Cynici laudandus erat, collecta docentis
Omnia diſcipulos ſub brevitate ſuos.
Nec minus a cunctis decoratur laudibus ille,
Qui Trogi longum quam breve fecit opus.

Et

Et tibi flore datur laudi ſubiiſſe laborem
In livi ſumma fertilitate pium.
Sic Mancinelli brevitas celebranda docendi,
Cum pateant multis, quæ latuere diu.

Impreſſum Venetiis per Simonem Bibilaquam Papienſem, MCCCCXCIIII, Nonis Aprilis, 4.

Coniuncta, Lector, in hoc Volumine grammatici argumenti opuſcula vides, qualia *Mancinellus*, illuſtris, & plurimorum laudibus celebratus, Seculi XV Grammaticus, ortu Veliternus, in uſum maxime iuventutis, bene multa, paucis fortaſſe ignota, edidit. Sunt hæc, quorum copiam Lectori facimus, volumine præſenti, exulare *Annalibus Maittairianis* iuſſo, partim primum edita, partim Auctoris curis repetita, ſingula autem digna, de quorum ratione vel breviſſimis commemoretur. Qui primo loco legitur, *Elegantiæ portus*, nihil aliud eſt, quam *Elegantiarum Latini ſermonis*, a *Laurentio Valla* editarum, Epitome, & ſic inſcriptum in ipſius libri fronte video, ubi hæc legimus: *Laurentii Vallenſis Epitome, Portusque elegantiæ, per Ant. Mancinellum, Veliternum.* Non ſatis autem, quid ſibi *Mancinellus* hac *Portus* appellatione voluerit, quæ certe obſcurior & alienior ab uſu eſt, intelligo, nec usquam eius rationem redditam ab Auctore invenio. Si, quod maxime credo, ideo *Portum* dixit hunc librum, quod omnes

omnes quaſi in eo elegantiæ ſint comportatæ; erunt forte, qui, minus convenire id nominis libello tali, quo aliqua tantum, etſi hæc præcipua, collecta exhibentur, quam alteri, unde hæc ipſa ſunt collecta, putent. Poſſis etiam hæc ita accipere: Si quis, totum Latinæ linguæ mare navigando emenſus, fruſtra elegantias quæſiverit, eum in libro hoc, tanquam in portu, conquieſcere debere, inventurum hic nihil non eorum, quæ diu ante quæſiverat. Huc enim ſpectare quodammodo videntur, quæ Noſter in epiſtola *ad Amicorum filios*, libro ipſi præmiſſa, ſcribit: *Decrevi Latinæ linguæ maria navigantibus latentia ſaxa maximamque ſcopulorum partem evellere: ideoque non ſolum triremes, verum baianæ cymbæ per altum tutiſſimæ navigabunt.* Aliter autem, ſed profecto non ex mente *Mancinelli*, hanc libri inſcriptionem accipere viſum eſt, quem is acerrimum ſuarum laudum obrectatorem habuit, *Franc. Florido Sabino*, de ſingulis *Mancinelli* ſcriptis aſpere & acerbe iudicanti, de *Portu* autem iſto ita per contemtum ſcribenti in libro *de Juris interpretibus*: *Exciderat mihi divini huius viri Portus elegantiarum: quid, malum, eſt portus elegantiarum? An concluſus aliquis locus, in quem comportantur elegantiæ? an potius, in quo omnes elegantiæ paſſæ ſint naufragium?* Et ſane *Mancinellus*, in inſcribendis libris ſuis pæne ſingulis ſimplicitatis parum ſtudioſus, neſcio quas verborum figuras affectavit: quo nomine etſi minime laudandum putem, nemo tamen paulo æquior factum hoc iis viro ceteroqui non

indo-

indocto exprobrandum verbis putet, quibus idem, quem dixi, *Floridus* in *Lect. ſubciſ. Lib. II Cap.* 20 *pag.* 1149 (*Lampadis Gruterianæ Tomo I*): *Eius imperitiæ cum permulta exſtent documenta, quæ tamen ad Grammaticam Poeſimque pertinent, ſtudioſiſſime mihi coemi, ut, ſi qua de cauſa ſubtriſtis aliquando redderer, omnem Mancinelli inſulſitate mæſtitiam deponerem: quod tum ob morboſi ſcriptoris lucubrationes, tum ob lucubrationum inſcriptiones tam ridiculas, quam Mancinelli figmenta decuit, facillime ſum aſſecutus. Enimvero Verſilegos, Spicas, Stationes, Flores vocabulorum, Portus elegantiarum, & ſexcentas eiusmodi cloacas, nunquam ſine riſu (nam ſtomacho indignus eſt tam frivolus nugator) nominare valui. Quamobrem, ſi iis plerique omnes tantum tribuerent, quantum ego ſoleo, ne quatuor quidem verbis dignarer nihili beſtiam.* Tædet me plura, his ſimilia, & his acerbiora etiam, quæ in hunc locum, tanquam in cloacam, a *Florido*, hic nihil minus quam florido, congeſta ſunt, huc transſcribere; tædet hominem audire, cuius animum videntur non iracundia, non invidia, non male dicendi libido, ſed totæ Furiarum legiones, obſediſſe. Utcunque libros ſuos inſcripſerit *Mancinellus*, ſi bona & utilia hi continent, atque eo nomine ab omnibus laudantur, non moroſi æſtimatores eorum erimus, quæ, qualiacunque ſint, nec augere poſſunt pretium librorum, nec imminuere. In hoc *Elegantiarum portu Mancinellus*, ut ſupra dixi, notiſſimum *de elegantiis Latinæ linguæ* librum *Vallæ* velut in ſummam

contraxit, ex longioribus illius præceptis potiſſima excerpſit, ex magna autem exemplorum, quibus præcepta ſua confirmaverat *Valla*, ea tantum ſelegit, quæ pondus aliquod præcipuum haberent, nonnulla etiam, quæ obſcurius poſita videbantur, explicatione clariora fecit, id agens inprimis hoc labore, ut legi frequenter a juventute libellus hic contractior, & hinc explicari a magiſtris, poſſet. Bonum & laudabile inſtitutum, in quo, nihil eſt, quod reprehendi poſſit. Nec deſiderari hic fidem ſuam Auctor paſſus eſt, ſed, quod mihi, conferenti hanc Epitomen cum ipſis *Vallæ Elegantiis*, facile patuit, a veſtigiis *Vallæ* ne transverſum quidem digitum diſceſſit. In limine operis epiſtola Auctoris legitur, *ad Amicorum filios* Venetiis idibus Martiis anni 1493 data, unde intelligas, hac ipſa libelli editione antiquiorem nullam exſtare. Hæc, menſes quatuor Auctorem in conficiendo hoc opere, non ſine labore ingenti & tædio, ultro elaboraſſe, docet. Ex eadem epiſtola conſtare nobis poteſt, fuiſſe jam viventi *Mancinello* obtrectatores tales, qualis mortui *Sabinus* fuit; nec levem ei ex illorum conviciis conceptum dolorem fuiſſe, hæc teſtantur: *Illud præterea noſcite, Scriptorum neminem, licet optimum, malignitatis dentes vitare poſſe. Multi enim, ad fingendum parati, benefacta conviciis etiam lacerant: &, quos revereri deberent, accuſant: digni, qui celeneo ſupplicio afficiantur. Verum ego, malignorum nihili pendens latratus, ab incepto ſcribendi temere non deterrebor. Erunt enim leones, qui mea quatulacunque ſcripta*

adver-

adverſus canes defendant. Huic libri *Laurentiani* Epitomæ eiusdem libri *Lima* ſubiecta eſt: cuius operis hoc inſtitutum fuit, ut, ſi qua *Vallæ* præcepta eius eſſent generis, ut iis minus reſpondere veterum Auctorum uſus videretur, his, ſive reſecando per errorem dicta, ſive in illorum locum reponendo meliora, limam adhiberet, efficeretque adeo exemplis undecunque collectis, ut, multa ex iis, quæ minus Latina *Valla* dixerat, ſatis recte tueri poſſe integritatem ſuam, conſtaret. Cuius laboris quæ ſit ratio, & quam is utilis ſit Latinæ linguæ ſtudioſis, ſpecimine te, Lector, uno & altero, ut ſic melius intelligas, docebimus. *Donarium locum repoſitorum donorum* dici, cum *Valla* neget; id ipſum *Mancinellus*, adductis *Maronis*, *Gellii*, & *Apuleii*, exemplis, recte affirmat. Formulam, *in ære incidere*, Latio proſcribenti *Vallæ* locum *Plinii* in *Panegirico Traiani* opponit, & iure quidem, *Mancinellus*. *Abhorrere* ſemper cum ablativo & præpoſitione *ab* coniungi, *Valla* contendit; quem auctoritate *Catulli*, *Apuleii*, & *Plinii*, *Mancinellus* confutat. *Alumnus*, ſi *Vallam* audias, nunquam de eo, qui aliquem aluit, uſurpatur; at alia omnia diſcas ex *Plinii*, *Curtii*, *Virgilii*, *Silii*que, exemplis, a *Mancinello* collectis. Talia hoc ſuo opere *Mancinellus* ferme ſexcenta complexus eſt; in quibus, ſi quis ſit, qui ferre non poſſit ſtudium fidemque *Mancinelli*, næ eum aut nimis invidere Auctori has laureolas oportet, aut non ita, ut decet, bonas literas amare. At fuit tamen, qui famæ *Laurentii* plus, quam hono-

ri

ſi literarum ſtuderet, & capitalem *Laurentio ab Antonio* factam iniuriam clamitaret, idem, quem paulo ante dixi, *Floridus Sabinus*, qui in *Mancinelli* hoc inſtituto, quod boni omnes laude digniſſimum iudicant, inveniſſe ſibi, cur Auctorem probris omnibus ac maledictis vexaret, cauſam viſus eſt. Ut taceam enim, quæ in *Apologia pro M. Accio Plauto, aliisque Poetis Latinis, adverſus Latinæ linguæ obtrectatores*, *pag.* 63, acerbiſſime in eum dixit, in *Lectionum ſucceſſivarum Libro ſecundo* integra duo *Capita*, 20 nempe & 21, quorum alterum *de Lima Vallenſi*, alterum, *an minor numerus ſemper præponatur maiori*, inſcriptum eſt, tanquam tot mucrones funeſtiſſimos, in eum excudit, tam horrendis nefandisque contumeliis referta, ut, ſintne tales unquam ab homine ſano & humanitatis aliquem ſenſum habente in hominem, ut bonum, ita etiam doctum, auditæ, prorſus dubitem. Tolerabilia, ſi cum ceteris comparentur, hæc putabimus: *Sequutur Pium Antonius Mancinellus, Veliternus, multorum commentariorum indoctus, ineptus, inſulſus, ſordidusque, auctor, Grammaticæ artis, unicus depravator, & ſeculi, quo vixit, mirandum opprobrium: qui, ut inſignis ſuæ impudentiæ quamplurima nobis teſtimonia relinqueret, Latinos omnes Auctores tam ſtulte pervertit, quam omnis ipſe iudicii, eruditionis, ac ſanitatis, expers apud indoctos non multum laudis, apud eruditos vero æternum ſibi dedecus, comparavit. Eius imperitiæ cum permulta exſtent documenta, quæ tamen ad Grammaticam Poeſimque*

per-

pertinent, ſtudioſiſſime mihi coemi, ut, ſi qua de cauſa ſubtriſtis aliquando redderer, omnem Mancinelli inſulſitate mæſtitiam deponerem: quod tum ob morboſi ſcriptoris lucubrationes, tum ob lucubrationum inſcriptiones tam ridiculas, quam Mancinelli figmenta decuit, facillime ſum aſſecutus. Humaniſſimi, inquam, ſcriptoris verba hæc putentur, ſi cum his, quæ deinde ſequuntur, conferantur: ubi ſi *frivolum nugatorem*, ſi *beſtiam*, ſi *limo, ſeu ſtercore potius, dignum*, ſi *communis ſenſus* expertem, ſi *maximo malo dignum, illepidum, inelegantem, diobolaremque Grammaticulum*, denique *aſinum*, appellari *Mancinellum*, libros autem eius *vomicas*, & inter illos *Limam* hanc *perpetua rubigine dignam*, & *infamem*, iudicari, videas, tum demum, quid ſit inter homines ſine humanitate vivere, quid ſit truculentiſſimas beſtias imitari, intelliges. Væh nobis, qui ſupplendum nuper, aut emendandum aliqua ex parte, *Theſaurum Fabrianum* ſumſimus, ſi cui malæ bilis homini eo nomine telis ita cruentis excipiendi, ita crudeliter tractandi, ita diris devovendi, iudicemur. Felices nos utique, qui non alias facti audacioris pœnas dedimus, niſi quod, blando nomine, *moroſulos* nos dixis is, qui durius nos tractare per ingenium ſuum, molle & manſuetum, non potuit. *Mancinello*, quo petulantius, hoc iniuſtius, inſultavit *Floridus*, malam *Vallæ* cauſam ipſe peius defendens, ſuamque, ſatis per ſe turpem, obtrectandi libidinem accuſatione manifeſto falſa turpiorem efficiens. Nam, quod de uſu Latinæ linguæ, non

item

item de abuſu, ſermonem fuiſſe *Vallæ*, exempla autem dicendi huic non niſi ex aureæ ætatis Scriptoribus petita, ſcribit, mira ita ſcribentis impudentia eſt, quam, vix temperare ſibi, quin caſtigaret, ipſe *Valla* potuerit, in cuius libro cum promiſcua Auctorum cuiuscunque ætatis exempla ſint collecta, ſæpiſſime autem hæc legantur: *Nunquam ita veteres Auctores; nullus Auctorum hoc ſenſu vocem uſurpavit;* ineptiſſime cum *Florido* aliquis dixerit, *Ciceronis* tantum, aut ei æqualium Auctorum, rationem habuiſſe *Laurentium*. In ipſo igitur *Mancinelli* inſtituto nemo, niſi iniquiſſimus, quidquam facile calumniæ, aut malignitatis, inveniat; ſi quid autem fortaſſe a viro bono erroris commiſſum eo in loco, ubi facillimum errare fuit, hoc maiori iure a lectoribus veniam & impunitatem non petere tantum, ſed ſperare etiam, poterat, quo liberalius ipſe *Vallam*, ſæpiſſime errantem, tractaverat. Neque vero, ut funeſta hæc vulnera famæ *Mancinelli* infligeret, impulit *Sabinum* amor *Vallæ*, quippe cui alio in loco (*Lect. Succiſ. Lib. I Cap. 4*) *ingenium aſcititium, adulterinum, ineptum, frivolumque*, tribuit. Sola conviciandi, & ex aliorum depreſſis laudibus gloriam captandi, libido, dira hæc ei adverſus *Mancinellum* arma in manus dedit. Ceterum, *Limæ* huius *Vallenſis* alteram hanc, quam manibus verſamus, editionem eſſe, & plura hac, quam priore, contineri, præmiſſa ei ad Lectorem epiſtola docet, quinto Cal April. anni 1493 data, in qua ut ſuſcepti a ſe laboris rationem reddit, ita futuris

etiam

etiam inſtituti ſui obtrectatoribus, etſi verbis ad omnem humanitatem compoſitis, tamen, ſi rem ipſam ſpectes, ſatis graviter, occurrit. Claudunt eam verba: *Vale, Lector, &, ſi quid ineſt erroris, emendare te pigeat minime: ſine calumnia tamen. A me quidem exemplum habes. Si ſecus egeris: quid poſſim, experiere.* De priore operis editione nihil mihi dicere, niſi hoc unum, licet, anno eam 1492 prodiiſſe, eandemque ab Auctore inſcriptam *Nicolao Rubeo*, Veneto, Ædis Geminianæ Antiſtiti, Divique *Marci* Canonico, epiſtola breviore, ſed laudum *Rubei*, & alumnorum eius, ſatis plena, nono Cal. Febr. anni 1492 data: quam & ipſam alteri huic editioni videmus adiunctam. Id addimus, ſub finem huius libri ad *Nicolaum Rubeum, Antiſtitem reverendum*, Epigramma non invenuſtum legi *Domici Palladii Sorani*, eiusdem, cuius in laudes *Mancinelli* Epigramma, univerſo operi inſcriptum, ſupra poſuimus. Excipit *Limam Vallenſem* Epiſtola *Mancinelli ad Generoſiſſimum Adoleſcentem Hieronymum Omphredi Juſtinianum, Patricium Venetum, Protonotarium Apoſtolicum, & Archidiaconum Concordienſem,* Venetiis octavo idus Novembris anni 1493 ſcripta, qua, *Rhetoricen ad Herennium* eſſe *Ciceronis*, demonſtratur. Præfatus eſt hac trium paginarum Epiſtola *Mancinellus* ſubſequenti ſtatim *in primum Rhetorices ad Herennium Librum Commentariolo*, docuitque hic variis, tam ex *Hieronymi* & *Priſciani* teſtimoniis, quam ex ipſo *Rhetoricorum* opere, non inepte petitis, rationibus, minime falli

eos,

eos, qui, ipſius eſſe *Ciceronis* hos *Rhetoricorum* libros, ſibi & aliis perſuadeant. In quo, etſi, qui faciat cum eo, nunc fere neminem invenias, quod invictis pæne argumentis a doctiſſimis hominibus demonſtratum ſit, nec ætati, nec ingenio, nec generi ſcribendi *Ciceronis*, rhetoricum hoc opus convenire; ſatis tamen, meo & aliorum judicio, probabiliter ſuam *Mancinellus* cauſam peroravit, nec, qui eidem ſententiæ amicos ſe præberent, pauci illius ætatis Grammatici fuerunt, inter quos *Laurentius Valla* & *Angelus Politianus* nominari præ ceteris merentur. Ab his æque ac *Mancinello* multum diſſentit, qui nulla in re cum viris doctis ſentit, *Floridus Sabinus*, hic, ne ullam obtrectandi occaſionem prætermitteret, in *Vallam* injurius, quem alio in loco, ut ſupra vidimus, adverſus *Mancinellum*, tantum ut huic male faceret, haud negligenter defenderat. Is, *Lib. I Lect. ſuccif.* id agens, ut, perperam libros illos *Ciceroni* tribui, evincat, partim rationum, quas *Valla* & *Mancinellus* adduxerant, robur infringere, ſed neſcio an ſatis feliciter, laborat, partim his contrarias numero multas profert, quarum præcipua putari facile ea poteſt, quæ a genere ſcribendi, nihil minus quam *Tulliano*, & a formulis Oratore tanto vix dignis, petita eſt. Epiſtolam illam *Mancinelli* ipſe in *Rhetoricorum ad Herennium Librum primum* Commentariolus ſubſequitur; cui ſcribendo, ut ipſe ait in hac, quam diximus, epiſtola, occaſionem ei ſuppeditarunt partim publicæ in hunc Librum prælectiones, in Romano Gymnaſio tribus annis ante, quam

edi-

edidit Commentarium, ab ipſo habitæ, partim in eadem *Rhetorica* Commentarii quidam, ſine certo Auctoris nomine editi, quibus *multa* ipſe viderat *ſuo marte poſſe tum nova adiici, tum neceſſaria.* Huius libelli editionem primam Venetiis A. 1497 prodiiſſe, non ſatis accurate, ut ex noſtro hoc volumine intelligitur, docent *Geſnerus* in *Bibl. univ. pag. 54, J. A. Fabricius* in *Bibl. Lat. med. & inf. æt. pag. 335*, & *Baelius* in *Dict. Tom. III pag. 1895 not. (A).* Quod vero ultra *primum Rhetoricorum Librum* commentando non progreſſus fuerit, eius rei cauſam hanc fuiſſe ſcribit, quod ipſi ante diem relinquenda docendi in Romano Gymnaſio provincia, abeundumque Venetias, fuerit. In reliquis tamen *Libris* ſimilem aliquando, ubi data fuerit occaſio, induſtriam collocare, in animo habuit. Et perfeciſſet forteſſe prius, quam ederet, *Commentariorum* opus integrum, niſi *vir egregius*, (ita enim vocatur *Mancinello,*) *Antonius Moretus*, Brixienſis, *peritus quidem, & cui ſtudioſi omnes ab eius in imprimendis libris curam & ſtudium debent*, ut ſua cura mutilam hanc Commentariorum partem publica donari luce pateretur, ab ipſo petiiſſet. Lubenter igitur & amico, & occaſioni, ſatisfecit, cum in eo eſſet, ut Venetiis ſolveret, patriam, coniugem, filios, reviſurus, iam triennium abſens. Nobis pauca hæc ſufficiant, quæ, etſi partibus ceteris deſtituta, ſatis tamen diligenter ſunt compoſita, nec indigna Auctore ſuo iudicanda. In explicandis enim ſive verbis, ſive rebus ipſis, tantum *Mancinellus*, quantum fidelis quiſque magiſter ſo-

let, induſtriæ poſuit, eam interpretandi rationem ſecutus, ut nihil temere, nihil niſi veterum Scriptorum auctoritate, affirmaret, nec minus horum dicta ex *Cicerone*, quam *Ciceronis* ex illis, illuſtraret. Satis iam, ni fallor, de ſcriptis *Mancinelli*, quæ volumine hoc continentur, a me dictum. Multo autem his plura exſtant, quorum, non opus eſt, hic mentionem fieri, cum nominatim indicata ſint *Conr. Geſnero* in *Biblioth. univ. pag. 58*, &, qui *Geſnerum*, tecto quamvis eius nomine, ſecuti ſunt, *Alphonſ. Ciaconio* in *Bibliothec. pag. 201*, & *Ant. Sandero Lib. III de Claris Antoniis pag. 167*. Nec indiligenter de his *l. c. Fabricius* egit. Ad rem grammaticam omnes ſpectant, pertinentque huc ipſi eius in veteres Auctores Commentarii, quorum numero non paucos dedit. Mihi, præter ea, quibus infra locus dabitur, in manibus ſunt Carmen *de Floribus*, Carmen *de Figuris*, *de poetica virtute* opus, & *Vitæ Sylva*, quæ uno volumine coniunctim edita ſunt Venetiis A. 1493 per *Joannem de Cereto de Tridino*. Cuius libri cum a *Maittairio* factum ſit indicium; de eo pluribus diſſerere, inſtituti noſtri ratione prohibemur. De vita autem *Mancinelli* etſi varii ſcriptores, inprimis *Balius l. c.* & *Franc. Dionyſ. Camuſatus* in *Notis ad Alph. Ciaconii Bibliotb. pag. 863*, varia commemorarunt; nemo tamen horum inſpexiſſe mihi videtur elegiacum illud Carmen, *Vitæ Sylva* inſcriptum, Venetiis, ut paulo ante dixi, cum aliis *Mancinelli* Opuſculis A. 1493 editum, quo vitæ ipſe ſuæ eam partem, quam inde a

nata-

natalibus ad annum usque 1493 tranſegerat, breviter, ſed, ut facile credi poteſt, accurate, deſcripſit. Ex hoc igitur Carmine, fortaſſe Lectorum meorum paucis cognito, non alis re fuerit, potiora vitæ, a *Mancinello*, illuſtri Seculi XV Grammatico, geſtæ, momenta, quippe ex hoc fonte melius, quam aliunde, petenda, huc transſcribere. Hinc igtur diſcimus, patriam *Mancinello* Velitras, Volſcorum inſignem urbem, patrem *Joannem*, matrem *Angelam*, fratrem *Bernardinum*, fuiſſe; ex his patrem, etſi non literis tinctum, tamen acris ingenii, virum, ſæpe in urbe patria magiſtratum geſſiſſe, ſæpe Novemvirum electum, ſæpe ad exteros Principes legatum miſſum, Judæos, ob iniquiſſimum civibus fœnus extortum, urbe pepuliſſe, montemque pietatis-fundaſſe, anno ætatis quinquageſimo mortuum, quem nono menſe poſt, in medio ſtudiorum curſu, ſecutus ſit filius *Bernardinus*, annos quinque & viginti natus; *Mancinelli* cognomen inde genti datum, quod avus *Antonii*, *Stephanus*, cum adhuc puer eſſet, lævo lacerto fortior, quam dextro, fuerit; uxorem *Antonio* fuiſſe *Angelam*, unde geniti ei filii ſex, *Porphyrius*, *Pindarus*, *Quintus*, *Feſtus*, *Aquilinus*, *Titus*, natæ autem duæ, *Martha* & *Priſca*, omnes tenera adhuc ætate ex hac vita evocati; Grammatices primum, poſt Jurisprudentiæ, tum Logices, & Medicinæ, ſtudia amplexum, tandem humanioribus literis totum ſe dediſſe; anno ætatis primo & vigeſimo in urbe patria doctoris publici munere donatum, hic *Verborum regimen*, *Variationem*, *Spe-*

 cies,

cas, *Figuras*, *Theſaurum*, *Flores*, libros ita inſcriptos, edidiſſe; inde Romam ad docendas publice humaniores literas vocatum, *Verſilogum* & *in Virgilium ac Horatium Commentarios* compoſuiſſe; tum *Pomponii Læti* hortatu Venetias abiiſſe, occupatum hic in ſcribendis ad *Somnium Scipionis*, & *Rhetoricorum ad Herennium* Libros, Commentariis, *Modoque ſcribendi*, & *Lima elegantiarum Vallæ;* mores eius ſi ſpectentur, fuiſſe rerum minus avidum, a fraude dolisve alienum, recti iuſtique ſtudioſum, placidum, mitem, verecundum, religioni deditum, raro mentiri ſolitum, conviciorum contemtorem, & laborum patientiſſimum; in extrema vixiſſe paupertate, & victum ſibi docendo quæſiviſſe, nec, cum hæc ſcriberet, unum ei aureum ſuppetiiſſe; corpus a natura nec tenue, nec plenum, formam longiorem, nigrum oculorum par, habuiſſe; anno hæc ei Seculi XV ſecundo & nonageſimo, ætatis autem quadrageſimo, ſcripta: unde, anno natum 1452, certo conſtat. Claudunt Elegiam hæc:

Hactenus iſta ſatis: verum, ſi plura ſuperſint,
Adiiciam poſthac omnia: tuque vale.

Nihil autem, quod ſciam, poſtea addidit, paucis annis poſt, ni coniectura fallor, (annum enim mortis nusquam notatum invenio,) ad Superorum vitam evocatus. Huius Carminis eam particulam, qua ſcripta *Mancipelli* memorantur, cum lectoribus ſuis communicavit *Conr. Geſnerus* in *Bibl. univ. pag. 59, B*, ſed eam allegandi rationem tenuit,

tenuit, ut nemini lectorum in mentem venire poſſit, ex ipſius *Mancinelli* Elegia excerptos eſſe hos verſiculos. Quis enim tale quid coniiciat, cum hæc verba legerit: *Antonii Mancinelli Opera bis verſibus comprebenſa ſunt. Balius* certe, cum legiſſet hos verſus in *Geſneriana Bibliotbeca*, vidiſſetque, hoc, quo dixi, modo a *Geſnero* allegari, Auctoris hos prorſus ignoti eſſe, ſibi perſuaſit, ut facile patet legenti ea, quæ profert *l. c. not.* (*a*). Itaque legendos hic dabimus verſus *Mancinelli*, ne dubitare lectores poſſint, eosdem eſſe, quos *Geſnerus* adduxit:

Verborum regimen, Variatio, Spica, Figura
Theſaurus, Flores, bic (in urbe patria) *vigilata prius.*
Gymnaſium poſt Roma dedit, Commenta Maronis,
Tum Satyri, binc Flacci, Verſiloguınque, paris.
Pomponi bortatu Venetas deductus ad oras,
Laurenti Limam ſcribis, & inde Modum.
Somnia, quis maior, declaras, Scipio viſus:
Rbetoricenque ſimul, vel Ciceronis opus.

Fabulæ, quam veræ hiſtoriæ, ſimiliora ſunt, quæ de *Mancinello* narrantur, a *Mattbia Flacio* in *Catal. teſt. verit. pag. 576. Mancinellus*, inquit, *in ſolenni quodam feſto Romæ ſub proceſſione, more ſolito, albo inſidens equo, publice coram omni populo*

elegantem habuit Orationem contra Alexandrum VI Pontificem, ubi omnes Papiſtarum & Antichriſti regni abuſus, impios mores, ſpurciſſimam vitam, inaudita ſcelera & ſcandala, reprehendit, at valde acriter in easdem abominationes eſt invectus; & in fine, poſtquam peroraverat, Orationem ſcriptam inter populum adſtantem ſparſit. Commotus hac Oratione Pontifex, illum comprehendi, & utramque ei manum abſcindi, iuſſit. Sed convaleſcens Antonius, paulo poſt iterum in alio quodam feſto, ſimili modo multo graviorem & vehementiorem habuit contra Pontificem Orationem, qua ita accenſus ille ſatana miniſter, Alexander, linguam Antonio excidi curavit; quo dolore aggravato, pius hic vir interiit. Huius rei fides penes auctorem ſit. Plures alios ſcriptores, rem eandem memorantes, eosque partim noſtris ſacris deditos, partim Pontificios, nominari videas a *Baelio l. c. not. B)*, ſed quem legiſſe etiam ob id maxime iuvet, quod, cognitis quibusvis, nihili hanc eſſe narrationem, demonſtravit, rationibus valde probabilibus, nemo facile futurus ſit lectorum, qui non, huius quicquid eſt hiſtoriolæ, ad pueriles fabulas ſit relecturus.

III.

Scribendi orandique modus per ANT. MANCINELLUM. *Impreſſum Venetiis per Bernardinum Benalium,* MCCCCXCIII, 4.

Inter

Inter ſcripta *Mancinelli* mentionem huius *Scribendi orandique Modi* paulo ante fecimus. Quod vero nunc etiam de eo ſeorſum dicere aggrediar, una hæc cauſa eſt, quod libri huius editionem hanc Venetam non adductam in *Annalibus Maittairianis* videam. Habent quidem illi aliam eiusdem anni Venetam editionem, ſed prelo *Joannis Aluiſii de Variſio* impreſſam, adeoque a mea utique diverſam. Anni nullum a typographo additum indicium; mihi vero, quin anno liber editus ſit 1493, dubitandi nulla cauſa eſt, quod ei præmiſſa ſit *Mancinelli* ad *Valerium Criſpinum*, (*Craſpinam* non ſatis accurate dicit *Maittairius* in *Ann. typ. Tom. I ed. nov. pag. 563*,) *Jureconſultum eximium, civemque Veliternum quam optimum & generoſum*, epiſtola, Venetiis decimo nono Cal. Jun. anni 1493 data. Videtur igitur typographus hanc omittendi anni cauſam habuiſſe, quod eum intellecturus quisque lectorum ex hac, quam dixi, epiſtola videretur. Qua ſi fallor coniectura, illud me ſolari poteſt, quod communis hic mihi cum *Maittairio* error fuerit, qui, eodem prorſus argumento ductus, alteri illi, cuius paulo ante mentionem feci, editioni Venetæ, anni item indicio deſtitutæ, hunc ipſum natalem tribuit. Librum hunc *Criſpino*, qui *patriæ lumen, ad excogitandum prudentiſſimus, ad faciendum ſolertiſſimus, natura admirabilis, induſtria ſingularis, verbis expeditus, in maximis cauſis patronus optimus, diligensque in illis cognoſcendis & componendis, ſæpius a Senatu populoque Veliterno orator ad Principes Maximumque Ponti-*

tificem electus, cauſam omnem ex animi ſententia obtinuiſſe, in illa dicitur epiſtola, grati animi cauſa inſcripſit *Mancinellus*, remuneraturus ita eius in ſe officia, ſummamque in ſuos omnes benevolentiam. Dicavit autem hunc vel maxime, ut eadem docet epiſtola, filiorum *Criſpini*, *Laurentii*, *Lactantii*, *Quintiliani*, & *Hippolyti*, quorum præfectus fuiſſe ſtudiis videtur, commodis, ut ſic velut ducem haberent, quem in dicendi ſcribendique arte magno ſuo cum fructu ſequerentur. Nimirum propoſitum Auctori fuit, per compendium hic tradere plurima ex his, quorum cognitione opus eſſe iudicaret adoleſcentibus, eloquentiæ Romanæ ſtudioſis, & dicendi ſcribendique in omni genere ſibi facultatem acquiſituris. Fatendum eſt igitur, de ſtilo, & eius partibus, inprimis vero de Orationibus ſive componendis, ſive cum plauſu recitandis, bona hic multa, nec vulgaria, ſed uſu multo, & inter legendum veteres Auctores, obſervata, legi, futurumque, ſi, qui noſtra ætate Grammaticen & eloquentiam profitentur, haud negligenter librum hunc verſaverint, ut varia hic, non dicam ipſis parum cognita, at talia certe, quæ ab illo naſcentis in Italia eloquentiæ magiſtro minime exſpectaverint, inveniant. Sed habet etiam ſuas maculas hoc opus, neſcio magisne ætati illi, an culpæ & ingenio Auctoris, tribuendas. Ut taceam enim, multa hic deſiderari, quæ libro tali, qualis hic eſt, exulare non debebant, quæque docte ac eleganter ſunt ab aliis, etiam qui in ceteris minime ad doctrinam *Mancinelli* accedunt, explicata; de eo in-

primis

primis reprehendi *Mancinellus* iure poteſt, quod ordinis rationem fere nullam habuerit, & tanquam in acervum congeſſerit, quæ & poterant facile ſeparari, &, melioris inſtitutionis ergo, omnino debebant. Non id temere a me notari, vel tum, Lector, haud difficile intelliges, cum *Titulorum XXI*, quibus abſolvitur opus univerſum, inſcriptiones legeris, & ad ineptam, illos *Titulos* inter ſe connectendi, rationem attenderis. Ita nempe hos inſcripſit Auctor: *Orationis initium; Epiſtola quid, & unde dicatur; Epiſtolare officium quid; Epiſtolarum genera; Epiſtolæ modus & qualitas; Litera & literæ; binæ literæ, duæ epiſtolæ; Calendæ, Nonæ, Idus; Quot dies, Nonas, Idus, Menſis habeat; de quinque partibus artificioſæ eloquentiæ; de phraſi, id eſt, elocutione; de laude & vituperatione; de memoria; de pronuntiatione; diſcendum eſſe; Studendi modus; Lectio qualis; Diſcipulorum officium; Præceptoris officium; Præceptoris contubernium; Vocum proprietas, ex Donato, A. Gellio, Aſconio Pediano, Macrobio, Rhetoricis Ciceronis, Tuſculanis Quæſtionibus, Vegetio de re militari, Capro, Pompeio Feſto, Nonio Marcello, Tullio de natura Deorum, Tullio de divinatione, Lactantio Firmiano.* Ultimum hoc Caput ampliſſimum omnium eſt, ac rerum cognitu utilium pleniſſimum, lectuque adeo digniſſimum. Sunt enim variæ hic ſignificationes vocum, ſi non omnium, at plurimarum tamen, non collectæ tantum, ſed docte, pro ætate illa, explicatæ etiam, & ex Auctoribus antiquis, quorum exempla adducuntur, demonſtratæ; ut, quam ver-

ſatus in lectione veterum Auctorum fuerit *Mancinellus*, vel hinc intelligi haud obſcure poſſit. A *Fabricio* in *Bibl. Lat. med. & inf. æt. Vol. I pag. 335* inter ſcripta *Mancinelli* locum datum eius *Lexico de verborum ſignificatu* video; cuius operis cum nemo, quod ſciam, alius ſcriptorum mentionem faciat, hinc mihi in mentem venit ſuſpicari, nihil differre hunc laborem ab illa *Modi ſcribendi orandique* parte, qua de proprietate vocum agitur, quippe quæ Lexici omnino formam habet, niſi in hoc uno, quod nullus hic literarum ordo eſt ſervatus.

IV.

Verſilogus MANCINELLI Veliterni. Romæ, MCCCCLXXXVIII, 4.

Hoc etiam libello Supplementum *Annalibus Maittairianis* non ſpernendum dabimus. Antiquiſſimam eius editionem eſſe, inſpicienti cuique patet. Romæ autem hanc A. 1488 prodiiſſe, inde ſatis certo colligo, quod & locus hic & annus ſubnotati ſint perbrevi epiſtolæ, a *Mancinello* ad *Aventinum Pictum* datæ, quæ ſub opuſculi finem legitur. A typographo, cuius & nomen mihi incognitum, nihil notæ additum. Acceſſiſſe id operis velut appendicem alteri eiusdem Auctoris Carmini, *Flores vocabulorum* inſcripto, nos, neſcio an vere ſatis, *Floridus Sabinus* docet in libro *de Juris interpretibus*, unde verba excerpta dedit *Camuſatus* in *Notis ad Ciaconii Biblioth. pag. 463.* In hoc certo

to volumine, quod eſt in manibus noſtris, unum hoc opus, nihil præterea, legitur; nec in alterius Carminis, *Floret. vocabulorum* continentis, editione illa, quam a Veneris curatam A. 1493 ſupra dixi, locum datum *Verſilogo* invenio. Carmine hexametro Auctor artis metricæ præcepta hæc complexus eſt, de quantitate inprimis, de ſyllabis mediis ac ultimis, de vocabulis, ſyllabas communes habentibus, de pedibus, de carminum vario genere, & ſimilibus aliis, ſcitu neceſſaria tradens, additis ubique, & ipſi carmini intextis, ut dictis fides conſtaret, veterum Poetarum verſibus, quos *pertinaci opera curaque intenta & diligenti* collectos ſibi, in illa ad *Pictum* epiſtola profitetur, & quibus tam Auctorum nomina, quam librorum certos numeros, appoſuit. Legenda etiam paſſim ſuorum Epigrammatum ſpecimina dedit, tanquam exempla lectoribus futura, quibus uti ad ſcribenda ſimilia debeant. Tale eſt illud ad Lectorem in poeticum hunc fœtum:

Parvo percipies labore
Artem carminibus, benigne Lector,
Non parvo mihi conſtitit docere,
Nam legi varios diu libellos,
Quo poſſet mea tutior vagari
Clio. Iam valeas, amice, felix.

Artis ſane multæ, ſed ingenii nullius, exiguæ autem utilitatis, opus; quod, ſi ſoluto compoſitum ſermone fuiſſet, minori labore conſtitiſſet Auctori

ſuo,

ſuo, gratiæ autem plus a lectoribus tuliſſet. Dehoneſtamenta artis poeticæ talia ſunt Carmina, in quibus metrum, nihil præterea, a veteris Latii Poetis petitum eſt, quæ igne & ſpiritu, quæ ſententiis & floribus, quæ ipſa carminis anima, fictione, carent. Sed dandum eſt aliquid ætati illi, quæ ex ſuperiorum temporum barbarie hoc velut contagione quadam traxerat, ut puerilibus eiuſmodi crepundiis, quibus otium ſuum fallere olim indocti monachi ſolebant, multum pretii ſtatueret. Præmittit Auctor huic ſuo metrico labori (Carmen enim nemo dixerit) elegiacum Epigramma, octo diſtichis concluſum, quod in ipſa libri fronte (altera enim pagina titulum, quem poſui, operis, & ipſius laboris initium, habet,) legitur, ſic inſcriptum: *Augur Mançinellus inclito adoleſcenti, Joanni Michaeli de bonis auguriis, clariſſimi viri, Dominici, filio, urbani quidem Gymnaſii Doctoris ſummi, Salutem plurimam dicit.* Ubi, nemo non videt, ideo *augurem* ſibi dici *Mancinellum*, ut quaſi illorum auguriorum, unde nomen *Michaeli* tractum eſt, Auctor putari poſſet. Augurium autem in ipſo Epigrammate hoc agit Noſter: ſi frequenter legat hunc *Verſilogum* adoleſcens *Michael*, certo futurum, ut nobilis Poetæ laudem acquirat, & facta memoranda patris ſui victuris carminibus tradat. Ceterum, in hoc *Michaele*, cive Romano, repoſitas ſpes ſuas omnes habuiſſe *Mancinellum*, Epigrammatis hæc inprimis docent:

Augur, Romulidas inter celebrande, Michael,
Laudibus innumeris, ſpes, decus, aura, meis.

V.

Ars verſificandi & Carminum CONRADI CELTIS RROTUCII, *Poetæ laureati. Sine loci & anni indicio, 4.*

Pluribus de arte grammatica ad metrica libellis, de quibus copioſe diximus, accedat hic etiam Poetarum in Germania, illo certe, quo vixit, Seculo, principis, *Conradi Celtis,* qui fere primus, aut inter primos certe, exules humaniores literas in Germaniam revocavit, & arte Apollinea tantopere excelluit, ut eo nomine nunc etiam Germanis ſanctiſſima tanti viri memoria habeatur. Huius cum multa exſtent varii cum generis, tum argumenti, carmina, nemini facile eorum, qui talium rerum paulo curioſiores ſunt, incognita, a *Fabricio* autem, ut alios multos taceam, in *Bibl. Lat. med. & inf. æt. Vol. I pag. 1021* diligentiſſime deſcripta; tum in his memorari vel maxime meretur *Ars* hæc *metrica*, carmine compoſita, quam alia nonnulla, etſi non eiusdem argumenti, optimæ tamen notæ, Carmina comitantur. Eſſe hanc libri antiquiſſimam editionem, nec diu ab inventa arte typographica excuſam, nemo dubitet, qui propius eam inſpexerit, & cum vetuſtiſſimis quibusque libris comparaverit. Rudes enim & impo-

impoſiti literarum typi ſunt; maiores quæque literæ rubro colore a minoribus diſtinctæ; compendia ſcripturæ frequentiora, nec pauci operarum errores, quibus ita fatigatur lector, ut vix aſſequi Poetæ mentem poſſit. Sitne vero prima hæc editio, an præceſſerit eam alia, quam Noribergæ A. 1487 prelo *Friderici Kreuſneri* exiiſſe, *Maittairius*, noſtræ ignarus, docet, non definio; nec mihi datum eſt, in re tali quidquam coniicere, aut, quod verius dici poteſt, divinare. Præſentis editionis mentionem *l. c. pag. 1023 Fabricius* fecit; ſed nec is de anno, aut loco, aut typographo, quod doceat lectores, quidquam habet. Id unum pro certo affirmaverim, in Germania hanc prodiiſſe; nec typus literarum ab eo multum diſcrepat, quem alii habent, Noribergæ editi, vetuſtiores libri. Ad opus ipſum convertimur, cuius, dubito, an plures his duabus, quas dixi, editiones exſtent, & cuius adeo formam habitumque, non abs re fuerit, cognoſcere. Scenam quaſi aperit brevis Poetæ *ad ſe ipſum* Elegia, qua ſe ipſe ad cantandum excitat, & æternum ſibi ex carminibus nomen auguratur. Multa ſperantis verſus eſt:

Carmina, crede mihi, facient te ad ſidera notum,
Et tua, quam quæris, fama perennis erit.

Id etiam animadvertere ſingulare liceat, unde quodammodo editionis vetuſtatem colligas, quod typographicæ arti nomen *artis magæ* hic tribuitur, non inuſitato illius ætatis more, qua credebatur

tur inæſtimabile illud Deorum donum tanquam ex orco ad nos delatum. Ita enim Poeta:

Adde, quod arcana ſcribuntur carmine fata,
Quæque Dea audet callida in arte maga.
Ne tamen ignores, aderunt tibi in arte libelli,
Chalcographus preſſit: me duce doctus eris.

Tum Auctoris ad *Fridericum, Illuſtriſſimum Saxoniæ Ducem*, brevior epiſtola legitur, dedicandi cauſa ſcripta. Fuit is *Fridericus Alberti Magnanimi* filius, Magiſter Ordinis Teutonici, & Capituli Magdeburgenſis Coadiutor, quem *ſumme melliſluis veterum carminibus oblectari, atque ita natura ipſa bona id ſtudii genus amplecti, ut inter alia humanitatis ſtudia nullum ipſi videatur iucundius*, relatum ſibi *Conradus* ſcribit ab eius Medico, (*Phyſicum* dicit Noſter.) *Martino Mellerſtat*, homine doctiſſimo. In eadem ipſe docet epiſtola, *Artem* hanc *Carminum in ſtudio Lipſienſi, gravi cancri æſtuanti ſidere*, a ſe compoſitam. In numero Academiarum quindecim, quas juvenis *Celtis* (ita enim ipſe ſibi, non *Celtes*, vocatur,) ſtudiorum cauſa ſalutavit, fuiſſe etiam Lipſienſem, aliunde ſatis conſtat. Epiſtolam hanc ſubſequitur elegiacum *Celtis ad Lectorem* Epigramma, quo is *Artem* hanc Lectori examinandam commendat, & omnem, qua valeat ipſe, ſcribendorum carminum facultatem uni acceptam refert *Rudolpho Agricolæ*, a quo, præter Poeticen, Græcis etiam ac Hebraicis literis inſtitutum ſe Heidelbergæ profitetur. Huc illa ſpectant:

Quas

Quas (lyras) qui noſſi voles, trutina & penſare modeſta,
Non me, Rudolphum pange ſed Agricolam.
Qui ſecum placidas abduxit vertice Muſas
Aonio, meque bis Hedelebergę fovens;
Quique mihi tribuit aliena idiomata, Graecos
Noſcere & Hebraeos, doctus utrosque legens.
Cui lacera indigna ruperunt fila ſorores,
Rudolphum Agricolam fac Deus arce beet.

Quæ cum ſcripta haud adeo diu a morte *Agricolæ* videantur; hæc autem, ut certo conſtat, in annum 1485 inciderit; vel hinc ſatis patet, librum hunc, atque adeo præſentem eius editionem, anno circiter 1486, aut altero poſt, in lucem exiiſſe. Inde longior Elegia legitur, ſic inſcripta: *Poema, quod pro tempore caniculari ad Fridericum, inclitum Saxoniæ Ducem, in Artem carminum luſimus.* Alloquitur autem hac ipſa non *Fridericum* tantum, ſed Lectorem etiam Lipſienſem, ad quem ultima carminis ſpectant:

Lipſenſis ſed & ipſe vale, ſuaviſſime lector,
Ad quem forte mea ſcripta venire queant.

Fictionis poeticæ, & venerum, quibus veterum Poetarum carmina commendantur, ſatis plena eſt, nec ſine voluptate legenda Principi, illis literis haud leviter tincto. Excerpta hinc ea dabimus, quibus inſtituti ſui Auctor rationem reddit, &, quid a libro hoc ſuo ſit exſpectandum, docet:

Adve-

Advola, Apollineas cupias qui ſcandere ad arces,
Muſarum cantus me duce noſſe potes.
Carmina Pieridum nulli celebrata priorum,
Nota dabo, atque breves, quas decet iſſe, vias.
Edoceam, lepidos quo pacto fingere verſus,
Metra vel ad formam conſtituiſſe, decet;
Quo pede carmen eat, qua lege reſolvere verſum,
Quoque decet plures noſcere de ſpecies.
Carmina quemque iuvat componere, laudis amore
Captus, & ad Muſas vel properare novem;
Si quis in æternum cupiens extendere famam,
Verſibus Aeoliis inſtituendus erit.

Iam ipſa artis, tam metricæ, quam poeticæ, præcepta exhibentur, ligato partim, partim ſoluto, ſermone compoſita. Nam, quæ de quantitate, de pedibus ac ſyllabis, hoc eſt, de metro, Noſter tradidit, carmine contexta ſunt, non item, quæ ſpectant ad *compoſitionem carminum materialem*, ad *præcepta artis generalia*, ad *ea, quæ accidunt carmini*, ad *cautelas verſuum*, denique ad id, *quare & qui nobilibus Poetæ ſint legendi.* Plura igitur hoc *Celtis* opere, quam illo *Mancinelli*, continentur, etſi ne ſic quidem his, qui veri nominis Poetæ, non verſificatores, fieri cupiunt, ſatisfactum a *Celte* putem. Nimirum, perfecta hic artis poeticæ præ-

cepta, quibus addi poſſit nihil, tradi, nemo dixerit; at eam *Conradus* ex merito laudem feret, quod inter primos fuerit Germanorum, qui divinam illam artem certis quibusdam regulis complecti, facilioremque efficere docendo, ſunt conati. Appendicis loco ſubiecta ſunt huic operi carmina nonnulla, ad librum hunc aliqua ex parte referenda, non *Celtis* tantum, ſed *Fridiani* etiam *Pighinucii*, Itali, qui *Ernesti*, *Ducis Saxoniæ*, *Archipræſulis Parthenopolitani*, *Germaniaeque Primatis*, *Orator* hic dicitur, carminibus autem ſcribendis, ut, quæ legimus hic, pauca ſpecimina docent, haud parum excelluit. Habes igitur hic, Lector, quæ primo loco collocatur, *Celtis* ad *Fridianum* Elegiam, ad id ſcriptam ab Auctore, ut captum a *Fridiano* conſilium, patrios penates in Germaniam transferendi, iuſtis laudibus extolleret, eundemque ad celebranda carmine facta ſui Principis excitaret. Nobile carmen eſt, artis & poetici vigoris multum habens. Satis autem contemtim hic, quod mireris, de patria ſua *Celtis*:

Lætatur, Latios te deſeruiſſe colonos,
Barbaram in hanc noſtram convolitaſſe plagam;
Qua gelidus viget axe polus, geminique triones
Algent, & boreas artophylaxque premit;
Quaque videre licet ſinuoſis flexibus anguem,
Cingentem obtortis frigida plauſtra iugis.

Et paulo poſt:

Teque

Teque, volunt, noſtras recinas ut carmine terras,
Indocilem Almanum & erudiiſſe velis.

Elegiæ *Celtis* reſpondeant *Fridiani* elegi, habentes & ipſi ſuavitatem ſuam, & cum *Conradi* illis iure comparandi. Cum multa hic de *Erneſto* Duce, & carminibus ipſe ſuis, ſcribat *Fridianus*; tum maxime Germaniam laudat, præter morem exterorum, quos plerumque laudum noſtrarum obtrectatores, clandeſtinos æque ac publicos, habemus. Sic canenti applaude, Lector:

Adſcendam Rhodopen atque altum fortis Olympum,
Si mihi Memnonides actemitentur iter.
Inter Germanos gratum eſt habitare Batavos,
Barbariem qui iam deſeruere ſuam.
Poſtquam Teutonici noſtrum cecinere Maronem,
Cœperunt docte & verba Latina loqui,
Incultos liquere ſenes moresque feroces;
Jam ſunt a Latio nomina danda magis.

Sed laudat etiam *Celtis* noſtri carmina, vel hoc iudice non parvi æſtimanda.

Non tua, inquit, *crede mihi, pingui ſunt facta Minerva*
Carmina, nec rudibus condita verba modis.
Componis belle numeros, & Apolline multo,
Et tibi Pierides, turba benigna, favent.

Mellerſtadium denique, cuius ante mentionem feci, ab aſtrorum ſcientia laudat, eidemque amicum ſe profitetur:

Nunc, Celtis Conrade, vale, valeatque iubeto,
Melrſtet: quem pura ſimplicitate colo.
Atque utinam cæli curſus variosque meatus,
Edoceat, chartis ſcribere ut aſtra queam.

Elegiam hanc *Fridiani* comitatur eiusdem Poetæ *Sapphicon endecaſyllabon pro peſte ad Sanctum Sebaſtianum*, quo peſtiferi morbi, illo tempore multa hominum millia perimentis, mala triſtiſſima iis, qui naturæ rei conveniunt, coloribus depicta ſunt. Nec incomtum eſt, quod ſequitur, eiusdem *Fridiani ad Martinum Mellerſtet, Medicum, mathematice peritiſſimum*, elegiacum Epigramma, in quo, convaluiſſe ſe, non medicinæ virtute, ſed gratia divina, e gravi hemitriteo, nuntiat Poeta, ſimulque illud nos docet, quod neſcio an cognitum aliunde ſit, certe nullis, quod, ſciam, ſpeciminibus conſtat, etiam Græcis *Celtem* numeris cantare ſolitum. Ultima enim carminis hæc ſunt:

Conradum Celtis, iubeo, Martine, ſaluta,
Dum canit Italicis Argolicisque modis.

Iam lectorem, *Fridiani* ſatis paſtum carminibus, nova *Celtis* delectant: *Elegia* nempe *ad Fridianum ab hemitriteo convaleſcentem*, magni amoris teſtis certiſſima; *ad Lectorem Epigramma* elegiacum, quo & hunc, ut ſuis bene precetur aliquan-

do

do Manibus, & matrem Dei, ut in regnum cœlorum ſibi viam aperiat, pie rogat; *Oda* denique *ad Apollinem, repertorem Poetices*, ut ab Italis cum lira ad Germanos veniat, non certe Germanorum laudi ſcripta. Vide, quam barbara olim regio fuerit Germania, ſi hunc audias Poetam:

Tu veni, incultam fidibus canoris
Viſere terram.
Barbarus quem olim genuit vel acer,
Vel parens hirtus, Latii leporis
Neſcius: nunc ſit duce te docendus
Pangere carmen.

Qui ita de patria ſua ſcripſerit, neminem adhuc exterorum novi, etſi omnes potuerint. At vera uſque ſcripſit *Celtis*, eoque nomine, per me licet, aliquam à poſteritate laudem ferat. De vita eius, tot ſcriptoribus, quos maximam partem *Fabricius* in *Bibl. med. & inf. at. Lib. I pag.* 1020 nominavit, deſcripta, atque adeo paucis fortaſſe incognita, nihil addo. Nec ſitiunt prata noſtra, ſed ſatis hæc, & fortaſſe nimium, biberunt.

VI.

IOANNIS GOTTLOB HORNII HISTORIA EXPEDITIONIS AUXILIARIS, A FRIDERICO SEVERO, LANDGRAVIO THURINGIÆ, ET MARCHIONE MISNIÆ, &c. IN HONOREM ET EMOLUMENTUM EDUARDI III, REGIS ANGLIÆ, CONTRA PHILIPPUM VALESIUM, REGEM GALLIÆ, BELLIGERANTIS, ANNO MCCCXXXIX SUSCEPTÆ, EX ANNALIBUS OPTIMIS ENARRATA, ET OPE CHARTARUM PUBLICARUM PRO VIRILI PROBATA.

CONSPECTUS

ENARRATIONIS TOTIUS.

Auctor principio aperit, quotuplici de cauſa, & quibus ſubſidiis fultus, aggreſſus ſit argumentum hocce de *Friderici Severi* expeditione in Gallos tractare. §. I.

Eduar-

Eduardus III, Rex Angliæ, capeſſiturus bellum contra *Philippum Valeſium*, inprimis cum *Ludovico Bavaro*, Imperatore Romanorum, Landgravii ſocero, A. MCCCXXXVI fœdus pangit, qui ipſum ſimul Vicarium imperii in Gallia Belgica creat. §. *II*.

Tali licet hic parum convenienter inhæreret; ſuppetunt tamen rationes, quod haud ceſſarit admonere generum ad auxilia fœderato ferenda, præſertim in Comitiis Francoſurtanis anni MCCCXXXVIII. §. *III*.

Fridericus igitur, ſe ad iter accincturus, cum de pace univerſali per Thuringiam, & ſingulari conditorio in Veteri Cella, ſollicitus fuiſſet, in terra Rochlicenſi A. MCCCXXXIX delectum inter ordinem equeſtrem habet. §. *IV*.

Inde in caſtra *Eduardi* Regis delatus, teſtamentum adhuc ante omnia ſancit, cujus avtographum deſideratur hactenus, veſtigiaque ſaltem aliqua in aliis tabulis comparent. §. *V*.

Facit eo nominatim dotatio novi altaris in Eccleſia S. Crucis Dresdenſi de Anno MCCCXLII, in qua quippe codicillorum hujusmodi clara fit mentio. §. *VI*.

Quin etiam teſtimonii inſtar poterit deſervire incorporatio parochiæ in Dobeltin, monialium clauſtro, ibidem in ipſis caſtris iam A. MCCCXXXIX decreta, cujus formula auſpicalis pariter firmat, teſtatorem Principem tunc Sacra Cœna uſum fuiſſe. §. *VII*.

Ubi locorum in Francia Landgravius ſe iunxerit cum Anglo, determinatu eo ſit difficilius, quod *Henr. Rebdorfius* & *Herm. Cornerus* de hujus invaſione & progreſſibus plane contraria tradant. *§. VIII.*

Piccardiam tamen fuiſſe, vel ex teſtis oculati, *Caroli*, Marchionis Moraviæ, poſt Cæſaris Romanorum, vita colligi poteſt, qui & noſtratem tum præſentem introducit, & geſta eius anni ſpecialius deſignat. *§. IX.*

Domum tandem *Fridericus* repetiturus, paſſus eſt ſecundum *Fabricium* & *Rothium*, aliorum ex regio exercitu ad exemplum, ſub conditione creari ſe Equitem auratum. *§. X.*

Rüdigerus hunc honorem perperam interpretatur de Ordine Anglicano quodam, abs *Eduardo* ei peculiariter collato, qui ideo variis rationibus refellitur. *§. XI.*

Patriæ redditus Princeps, Comitatum armatum Iſenaci liberaliter excipit, ac per reſiduum tempus totum anni eiusdem ibidem quiete conſidet. *§. XII.*

I.

Expeditio auxiliaris, quam quondam *Fridericus, Severus*, Landgravius Thuringiæ & Marchio Miſniæ, Seculo XIV, *Eduardi III*, Regis Angliæ, adverſus *Philippum Valeſium*, Regem Franciæ, belligerantis, cauſa, ſuſcepit, una eſt omnino

ex

ex vitæ ipſius circumſtantiis, iuxta ac negotiationibus maxime principalibus, quæ de eiusdem congenita virtute & mente heroica eximie teſtatur, Quare & ea ipſa comparaſſe dicendus eſt ſibi haud minus laudis & memoriæ apud poſteros, quam reliquis unquam congreſſibus militaribus, quos contra inimicos ſuos molitus eſt, & in quibus multo plus ſanguinis humani, quam tunc illic, fuit effuſum. Cum vero particula iſta Hiſtoriæ eiusdem a noſtris exterisque ſcriptoribus vel plane non, vel leviſſima ſaltem opera, & paucis admodum verbis, hactenus tractata fuerit, & inſuper variis falſitatibus & erroneis additamentis commaculata; animum hac vice non immerito adieci ad eam nonnihil curioſius rimandam, quantumque per ſubſidia licuerit, liberandam ab hallucinationibus, ac in lucem aliquanto majorem collocandam. Conatus ſum aliquid tale eo lubentius & avidius, quod tabulæ nonnullæ diplomaticæ & notitiæ archivales ad manus meas pervenerunt, quibus illos usquehac deſtitutos eſſe oportuit, & tamen res, ſi non directe, incidenter tamen & per obliquum, colluſtratur inſigniter, ordinaturque rectius, ac fortius corroboratur. Interim, cum, & a me nil abeſſe humani, ſponte largiar, gratiſſime me agniturum ſpondeo, ſi quis cum fundamento & modeſtia oſtenderit, in quo puncto egomet ceſpitarim.

II. Morte nimirum defuncto ſine maſculis hæredibus *Carolo IV*, Rege Galliæ, arbitrabatur *Eduardus III*, Rex Angliæ, quod ob matrem, *Iſabellam*,

illius ſororem unicam, ipſo multo propius ac potius ius ſuccedendi in regno iſto haberet præ ignatis ſuperſtitibus, cuius momenta cuncta & ſingula ut modo inveſtigare enixius, vel demonſtare lucidius, ſuſcipiam, nil opus eſt; a) ſed ſtatim aggrediar, quod propoſitum eſt. Simul atque Anglus firmaverat thronum patriæ, & tranquillitatem publicam inſtaurarat, declaravit A. MCCCXXXVI Gallo, æmulo & coronæ præreptori, inimicitiam, corripuitque arma contra ipſum, ac ad eiusdem exemplum exteros quosdam Principes ſibi fœdere iunxit. Hos inter cumprimis erat *Ludovicus Bavarus*, Imperator, *Friderici Severi* ſocer, quem, transportatus in Bataviam ideo, adiit

a) Cui cauſa fuerit cordi, ſe a noſtris publici Juris Doctoribus & Hiſtoricis recentioribus (antiquiores enim, quia brevitati litant, hic non ſatisfaciunt) de ea informari patietur, ut ſunt *Jo. Dan. Schœpflinus* in *Illuſtr. ex Hiſt. Britann. Controverſiar. Cap. V pag. 50 ſeq. Jo. Petrus a Ludewig* in Diſſ. *de Jure Anglorum in Galliam*, Halæ habita, quam & hinc recudendam curavit una cum *Eſ. Pufendorfii Opuſcul. iuvenil.* ibid. ſub fin. *pag.* 104 *ſeq. Jo. Ehrenfridus Zſchackwiz* in *der Einleitung zu den vornehmſten Rechts-Anſprüchen der Souverainen in Europa P. I pag.* 202 *ſeq.* porro *Chriſtoph. Herm. Schwederus* in *Theatro Prætenſ. illuſtr.* ſtudio Viri Illuſtr. *Ad. Frid. Glafey* plurimum aucto, quo & conf. Auctores *der neuen Bibliotheck P. XX pag.* 897 *ſeq.* qui primam editionem haud absque larga cenſura dimiſerunt, *Jo. Henricus Bœclerus* in *Excerptis Controverſiarum illuſtr. pag.* 14 *ſeq.* pluresque alii, qui ipſis excitantur.

adiit ille Renſæ in Germania, atque coram polli-
citus ſummam quadringentorum mille flore-
norum aureorum, ad pactum pro ſuppetiis ferendis invitavit. Videbaturque hæc transactio ex Cæſaris ipſius parte tanto magis neceſſaria, quia hoſtis non duntaxat incuſabatur attraxiſſe mox ſub aditum regiminis ad ſe provincias, in littore Britannico coronæ Anglicæ ab antiquo debitas, Normanniæ ſigillatim & Aquitaniæ Ducatui cum Comitatu Andegavenſi, verum etiam in ipſo regno Arelatenſi feuda primaria imperii Romani ac complures dominatus, quorum recuperandorum gratia idem *Ludovicus* modo confœderatum Regem ſimul Vicarium generalem in Gallia Belgica conſtituit b).

III. Quantumvis autem nuncupatus Imperator ipſemet & pro ſua perſona fidem, quam dederat Anglo,

b) Vide huc, præter *Jo. Froiſſardum* in *Chroniq. & Hiſtoires*, *Jo. Villanum* in *Hiſt. Florent.* atque *Rob. Gaguinum* in *Annalibus* rerum Gallic. *Jo. Aventinum* adhæc in *Hiſtor. Bavar.* *Nic. Burgundum* in *Ludovico Imp.* *Thomam Walſinghamum* in *Hiſt. Angl.* *Henricum de Knygthon de Eventibus Anglorum*, *Eduardum Barus* in *Vita Eduardi R.* aliosque, ac conf. inſuper, quod ad documenta ſecuritatis, maioris cauſa invicem data, attinet, *Th. Rymerum* in *Actis Angliæ.* quod autem ad Vicariatum, ſpeciatim conceſſum, *Juſt. Chriſtoph. Dithmarum* in pec. Diſſert. *de Orig. & Progreſſ. Vicariorum imp. Part. I* *Sylloges Diſputationum Academ.* *pag.* 72, coll. *not. c).*

Anglo, nequaquam ſervaret, c) nullum tamen eſt dubium, quin ſub veſtibulum initæ conſociationis haud

c) Continuator *Mart. Poloni Tom. I Corpor. Hiſt. med. æt. Eccardiani col.* 1455 in eam fere abit ſententiam, protraxiſſe ſaltem & diſtuliſſe *Ludovicum* auxilia, usque dum plus æris acciperet a Rege, quia, ſicut aliunde conſtat, ipſi auctoramenti primi inſtar atque in anteceſſum Renſæ non niſi octingenti mille floreni fuerant ſoluti. Similiter putat, quod diſtentus fuerit idem quoque illecebroſis pollicitationibus Regis Francorum, ſiquidem ſpoponderat, ſe cum ſede Papali ipſum reconciliaturum. Verba ceteroquin ejus ita ſe habent: *Inſtante igitur expeditione, cum omnium deſideria Ludovici præſentiam exſpectarent, ipſe, munera Regis exſpectans, ſe movere neglexit. Fertur tamen, quod ſponſiones Regis Franciæ de impetranda ſibi ſedis Apoſtolicæ gratia ipſum retraxerint a promiſſis.* Nec multum abludunt, quæ ſcripta in eandem cunctationem dicamne, an retractationem atque deſertionem, reliquit *Henric. Rebdorſius pag.* 33 edit. *Gewold: Anno XV regni idem* Ludovicus, *conſumta parte pecuniæ, ſibi data a Rege Angliæ, cum de reliqua parte non poſſet ſibi ſatisfacere, auxilium non fecit eidem, propter quod & multi alii Principes Alemaniæ in ſubſidium ejusdem Regis non veniunt, prout tractatum exiſtebat: imo* Ludovicus *familiaritatem contrahit cum Rege Franciæ, ſperans, per hoc ſe conciliari Papæ & Eccleſiæ.* Id certum eſt, Cæſarem retinuiſſe copias domi, nec Anglo unquam ſuccurriſſe; quo & vide *Jo. Trithem. Chron. Hirſaug. Tom. II pag.* 83. In Chronico *Colmarienſi* apud *Urſtiſium Tom. II Script. German. pag.* 2 faceta legitur narratio, quam exempli paralleli inſtar huc adſuere liceat. *Albertus,* Dux Auſtriæ, Regi Galliæ contra Regem Angliæ militem adducebat in adjumentum; *Adolphus,* Rex Romanorum,

haud ſecus, ac poſtea Principi noſtro, *Friderico*, genero ſuo, incitator ſedulus atque monitor exſtiterit, ut conceſſurus ipſius amori aliquid, haud dedignaretur, huius apparatui bellico & certaminibus cum Gallo ineundis intereſſe aliquando. quod neque Noſter abnuit, licet præſagire poſſe haud difficulter, propriis id impenſis & ſumtibu fieri oportere. Colligo hæc egomet non ſolu n ex eventu, ſed & præcipue inde, quod *Ludovicu Bavarus* voce eadem excitavit etiam alios Germaniæ Principes, præſertim in inferioribus partibu regni hoſpitatos, ex quibus aliqui *Alberto Argentinenſi*, *Jo. Froiſſardo*, *Jo. Villano*, & *Rob. Gaguino*, nec non aliis Hiſtoricis, quorum loca inferiu; affero, enumerantur. Imo id omnium opportuniſſime potuit tum facere, quando *Fridericus* Landgravius per prius dimidium ann MCCCXXXVIII adhuc ſatis diu cohabitavit concilio Procerum, *Francofurti* inſtituto, atque conſultationibus quotidianis, ſuper negotiis, tum imperii ipſius, tum exterorum, ſtatum attinentibus, habitis, adhibitus fuit. d). Cum hinc poſt ferias pen-

rum, autem a parte poſteriori in eundem finem ære conducebatur. Cui cum minus hic ſatisfaceret, contentus tamen prorſus eſſe noluit, quod iſte priori ſe addixiſſet. Proinde ait Dux: *Si Dominus meus Rex ſtipendiarius eſt Anglici factus, & ego minore dedecore ſtipendiarius ero Franci.* Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

d) *Fridericum Severum* confeſtim ſub initium anni ad Comitialem conventum iſtum celebratiſſimum viſen-

pentecoſtales, remeaſſet in ditionem ſuam, velut mandata & Diplomata, quæ exinde ibi publicari fecit,

ſendum advolaſſe, ex diverſis monumentis chartaceis poteſt evinci. Spectat eo, quod, cum viæ ſe commiſiſſet, in occurſum datus *Henricus*, Archipræſul Moguntinenſis, cum ipſo pepigerit pactum defenſionis mutuum contra quemlibet, qui alterutrum hoſtiliter aggredi minaretur, quemadmodum Noſter in pace provinciali, quam deinceps redux factus, ſub finem eiusdem anni ſanxit, mentionem injecit. Non minus eidem in monaſterio Wetteraviæ *Arneſpurgenſi*, quod haud procul Münzenberga & Hungena eſt diſſitum, die Jovis poſt feſt. Purif. B. Virg. convenit *cum illo antiſtite, ipſiusque præfecto in caſtro Dreſurt de pace burgenſi ibidem conſervanda*, cuius gratia Lectorem ablego ad Codicem diplomaticum, Operi pleniori meo *de Principis geſtis & fatis exſtantioribus* annexum, *Num.* CXLVI. Quandoquidem is ipſe quoque in illo itinere *Henricum* Ruthenum, Advocatum de Plauen, tutorem hactenus ſuum & Capitaneum provinciarum hæreditariarum ſupremum, adſciverat ſibi comitem, accidit, ut, cum adveniſſent Francofurti, Imperator huic die lunæ poſt feſt. S. Georg. Mart. partim aſſenſerit, *poſſe ſe tutela abdicare, & caverit de moleſtia tollenda, ſi quam gener ipſi eius cauſa poſthinc creaturus foret*, partim *confirmarit literas quasvis pignoratitias, quas ab eo antehac per Comites Hennebergios ſuper caſtro Nuenburg acceperat.* Vid. *Petri Becklers Erläut. der Reuß, Pl. Stamm-Tafeln pag.* 57 *ſeq.* & 290. Rurſum Noſter in dicta civitate imperiali Francofurtana Dom. Voc. Jucund. *inducias fecit in biennium cum Abbate Fuldenſi Heinrico, qua occaſione pariter ſe contra quosvis invaſores mutuo defendere, & ſecuritatem viæ regiæ inter Iſenacum atque Fuldam manutenere, invicem*

fecit, commonſtrant, anno dicto ad exitum properante etiam ſeſe ſenſim præparavit ad operas militares, quas Anglo ſequente certo navaturus erat.

IV. Ea videlicet intentione, ut in abſentia ipſius regionum ſuarum cives & incolæ viverent tanto pacatius, nec perpetuis diffidationibus ſe invicem lacerarent, die *Andreæ* in terra *Thuringiæ* inprimis quod hæc ob varietatem iurisdictionis & multitudinem inquietorum Comitum & Dynaſtarum potentum facile & omnium primo „*quateretur* tumultibus, pacem univerſalem in annum ſtatuit, ut, „qui hanc violatum iret, a iudice, eidem fini con„ſtituto, eiusque XII aſſeſſoribus, banno imperiali „ſubiiceretur.„ Chartam integram produxit Auctor *der nothwendigen Gegen-Anzeige und Urſachen, warum der Rath zu Erfurt die Sachſiſchen Anzeige und Gegen-Information contra Chur-Mayntz*

tem promiſere, cuius teſtes tabulas publicavit, poſt *Struvium* in *Hiſt. Polit. Archiv*, emendatius *Jo. Frid. Schannat* inter *Probat. Hiſtoriæ Fuldenſ. pag. 256 ſeq.* Tunc temporis igitur, cum adhucdum haud dubie materia de ſuppetiis *Edaardo* contra Galliam ferendis unus graviſſimorum extiterit articulorum, qui in congreſſibus Principum præſentium, vel inter ſe, vel cum Cæſare, celebratis, ventilationi ſunt ſubiecti, exiſtimo, quod hic præſentem generum ſuum etiam atque etiam exhortatus ſit, ne deſiſteret Regem una cum aliis imperii membris proxime cum armata manu in caſtris inviſere, & ad minimum oſtendere, quam vehementer cupiat, ut ei ſors bellica ſit propitia.

Mayntz nicht ſtillſchweigend übergehen kanne; inter Adiecta *lit. F.* Porro *Fridericus* accuravit ſtructuram ſepulcreti ſui in Cœnobio *Veteris Cellæ* ad Muldam condito, ſi forte fato prohiberetur, ne vivus in patriam rediret, e) ac hinc ingruente vere anni MCCCXXXIX Dreſdæ una cum conſiliariis, aliquibus, Clericis & Cancellariæ officiatis, in meditullium terræ Misnenſis divertit. f) Ager nempe

e) Coniicio hoc ipſum non duntaxat, ſed firmiter adeo, concludo, ex tabulis, quibus Princeps, regioni ſuæ patrimoniali redditus, eidem conventui, quia interim Capella B. *Andreæ*, quam ſumtu ſuo ibi in eundem finem de novo ædificari iuſſerat, complementum ſortita erat, ſub dato Wartberg die Jovis poſt Ægid. A. MCCCXXXIX *compenſationis ergo privilegia cuncta, ab antiquo conſecuta, renovavit non tantum, verum etiam hoc beneficium addidit, ut ipſe & Fridericus atque Balthaſar, ſui filii, eorumque hæredes, idem monaſterium & bona eius nullis precariis, exactionibus, ſive petitionibus quibuscunque, deberent aggravare, niſi quod abſit proprium corpus, vel corpora, de captivitate redimere ipſos contingeret.* Conf. *Jo. Georg. Reinhard Medit. de Jure Principum cumpr. Sax. circa ſacra ante Reformat. exerc. Cap. III pag.* 211. *ſeq.*

f) Eminebant in hocce Comitatu eius, ut huius teſtimonium luculentiſſimum producere valeo, potiſſimum *Henricus de Plawen*, quem paullo ante in obſervat. marginalib. ad §. *III* etiam deſcripſi, & Princeps ſæpenumero *avunculum ſuum* ſalutat, itemque *Otto de Bergow* ſen. *Bertholdus* Vicedominus de *Ecſtete*, *Arnoldus* Marſcalcus ſuus *de Hersfeld*, *Fridericus de Honsperg*, & *Joannes de Syreſchin* iunior, milites, ulterius Dominus *Ludovicus de Schenckinburg*,

nempe *Rochlicenſis*, niſi totus fallor, a Landgravio ſitu omnium commodiſſimus reputabatur, g) in quo congregaret ordinem equeſtrem, feudis & vaſallagiis a ſe præditum, &, luſtratione inita, tot lancearios deligeret & ſagittarios, quot ſequelæ ſatis fore arbitraretur. Eodem tempore haud ſecus reor deputaſſe nonnullos cœtum ſanctimonialium prope *Dobelinum*, qui *Fridericum* primo de templo parochiali loci iis appropriando ſupplices adirent, quibus etiam, ubi caſtra Regis Anglici in Francia ingreſſus eſt, gratificari vovit, quemadmodum literæ proxime excitandæ plenius hoc edocebunt. h)

V. Ex

burg, (qui videtur ipſius Landgravii fuiſſe primarius Confeſſor, ſeu, prout hodie loquimur, Confeſſionarius,) *Joannes de Yſenberg*, Protonotarius, *Nicolaus de Jyten*, Notarius, ut plures alios *Secretarios & familiares*, ad hoc iter ſpecialiter evocatos, reticeam. Sub his enim elogiis ea tempeſtate præter ceteros officiales ipſimet quoque comprehendebantur miniſtri potiores & conſiliarii, ac in ſubſcriptionibus Diplomatum ſimul includebantur.

g) Auguror id prope ex dato præcepti, quo adhuc die Veneris ante Dom. Judica ibidem ſe continens, *advocato, aut etiam quæſtori, iniunxit, ne habitatores villarum, quæ conſervationi piſcinarum prope Geythenam ab antiquo fuerant deſtinatæ, aliis ſervitiis gravarent*. Adi *Kreyſſig. P. II der Ober-Sächſchen Nachleſe pag. 134 ſeq.*

h) Ex his, quæ huc usque diſſerui, præter argumenta, quibus inſequens diſcurſus etiamnum nobis commodabit, iam ſufficienter licet percipere, quam falſi ſint ii, qui Principis abitum in caſtra Anglicana iam

anno

V. Ex quo itaque *Fridericus* noſtras, tranſitu per Germaniam facto, attigiſſet fines Galliæ, ac ſuas cohortes auxiliares in eiusdem regni facie iunxiſſet cum exercitu reliquorum fœderatorum, cui itineri facile inſumſerat quatuor hebdomades, ſalutatum præcipue ivit Regem Angliæ, & officia ipſi ſua detulit. Hinc ob vitæ necisque incertitudinem condidit quoque *teſtamentum* legale, talibus formulis conceptum, quales forenſis mos tunc ferebat, cui indidit ſimul diverſa vota, quæ adimpleturus erat, ſi Deus ſoſpitem ipſum reduceret. Optandum ſane fuerat, ut hoc ipſum perveſtigari ullibi in Archivis quiviſſet, vel reperiri, ne, cum vetuſtiori usque hac in Hiſtoria Saxonica de Principibus ſtirpis Misnico-Conradingicæ careamus documento, & hæc ætas tali deſtitueretur. Id enim ſi ſuppeteret, certiores redderemur exinde de ipſius ſtilo curiali, ut & legatis tam variis, præſulatibus, aut monaſteriis, in eventum addictis, quin forte inſuper hinc inſtrueremur, an non Princeps

anno MCCCXXXIIX aſſignant. Et multo craſſius errant, qui cum *Ad. Urſino Chron. Thuring. col.* 1313 edit. *Menck.* rem ſub anno MCCCXXXVI collocant, vel etiam *Jo. Rothio* in *Chr. Thur. col.* 1788 eiusdem ed. *Menck.* obſecuti, tum *Chr. Franc. Paullinio Annal. Iſen. pag.* 79, atque *Frid. Wildeburgio Antiqu. Marggraviat. Miſn. P. II pag.* 81, ad annum adeo MCCCXXXI referunt. Hoc ſane tempore Anglus in Scotia, *Roberto Bruis* Rege A. MCCCXXIX morte ſublato, diſtringebatur negotio, ſucceſſionis tantopere, ut prætenſionem Gallicam perſequi facile intermitteret.

ceps teſtator inſeruerit etiam pariter unam, vel alteram, ordinationem, quid circa regimen civile & bellicum, præſertim autem, in caſum mortis repentinæ, circa adminiſtrationem regionum avitarum & ſucceſſionem, fuerit tenendum. At ſuperſunt interea nonnulla veſtigia, tabulæque ex naufragio quaſi reliquæ, quæ corroborant, ipſum tunc donationes certas & pias cauſas voviſſe, quippe quod domum reverſus, ſuper quibusdam iis, quorum intererat, peculiares aſſecurationis literas conſcribi iuſſit ac emancipari.

VI. Ea ratione, ſi demum aliquando opus principale meum de toties memorato *Friderico Severo*, quod iam ante viginti annos lucem debuit videre, repagula perruperit, lector in eius, ſub colophonem adiecto, Codice diplomatico *N. CXCI* epiſtolam, ex avthentico exemplo deſcriptam, offendet, vi cuius ille paucos annos poſt, ſeu MCCCXLII, Dom. ante *Mar. Magd.* in caſtro ſuo Wyſſenfels, *cum altari B. Virg. Barbara, a Joanne, Miſſenenſi Epiſcopo, in Eccleſia S. Crucis civitatis* Dreſdenſis *conſtructo de novo, & villa Chunradisdorf donato, appropriaret dotem, ſub pari conditione addidit quatuor ſexagenas groſſorum latorum de precaria, quam per diſtrictum iſtius urbis annis ſingulis in quibuslibet S. Michaelis feſtis petere conſueverat, ut vicarius inde laucius vivere valeret, percipiendas.* Mox poſt introitum Diplomatis & titulos Landgravii præmiſſos notabilis periodus deprehenditur, quæ de tabulis ultimæ voluntatis, ea tempeſtate confectis, aperte

fidem facit: *Univerſis preſens ſcriptum intuentibus volumus eſſe notum, quod eo videlicet tempore, quo magnificus Rex Anglie terram & dominium Regis Francie hoſtiliter invaderet, & per regni ſui fines magnifice & potenter gradiens, contra ipſum exercitus ſui in tantum dirigeret aciem, quod de conflictu inter eos habendo ſpes indubia & preſumpcio vehemens haberetur. Nosque, ſicut & ceteri principes & magnates, ſuccurſum ſibi facientes, eſſemus pro tunc ibidem cum noſtra gente preſencialiter conſtituti, devota nobis celitus miniſtrata devocione concepimus, ac finaliter inter alios teſtamenti noſtri, ibidem conditi, articulos decrevimus, ut altare, quod in Eccleſia ſancte crucis civitatis* Dreſdenſis, *venerabilis in Chriſto Dominus Dominus Joannes, Miſſnenſis eccleſie Epiſcopus, amicus & ſecretarius noſter kariſſimus, de novo in honorem beate ac glorioſe virginis Barbare conſtruxit, & villa, que Chunradisdorf dicitur, in diſtrictu Dreſdenſi ſita, quam ad preces eius predicto altari appropriavimus, dotavit, aliquibus eciam redditibus certis tot & tantis ſaltem, quantis iam dotatum eſſe dinoſcitur, dotavimus* &c. Quid obſecro, hoc loco, poſſet luculentius eſſe delineatum, quam id, cuius antea autographum cernendi me deſiderium cepit.

VII. Simili deinceps modo Vir olim Illuſtris, *Reinhardus*, egregiis Meditationibus ſuis *de Jure Principum cumprimis Sax. circa ſacra ante Reformat. exerc. Cap. II pag. 84 ſeq.* inſerendum curavit monumentum, virgines clauſtrales, extra muros oppidi *Dobelin* locatas, ſpectans,

quo

quo Fridericus iisdem ecleſiam parochialem S. Nic. ibid. anexuit, ut Præpoſitus ipſarum, decedente plebano, nunc exiſtente, eam per honeſtum ſacerdotem, vel plures, regi procuraret, reliquia autem emolumentorum, quæ iis non inſumerentur, ipſarum ſororum refectioni deſervirent. Formula finalis: *Actum in campis, cum procederemus in Franciam Anno Domini MCCCXXXIX fer. quinta ante Lamperti, ſed datum Wartberg eodem Anno Incarnacionis Domini MCCCXXXIX in vigilia nativitatis Domini Jeſu Chriſti*, innuit partim, quod, uti ſuperius univerſim contendebamus, Landgravius, ubi in caſtris *Eduardi* campeſtribus teſtamentum erexit, de hoc quoque negotio mandaret articulum inſeri, partim, cum lares ſuos reviſiſſet, nil præterea neceſſe habuerit, quam ut *beneficiatis* ſuper eodem de ſingulari, eoque conſummato, Diplomate provideret. Dies *Lamperti* alias cadit in menſem Aprilis, & memoria utique eſt dignum, quod Princeps, præter morem ſtili in aliis ipſius Chartis uſitati, hac formula auſpicatur, quæ in conſtructione, ſeu cohærentia, argumento primario, quod tradit, haud admodum bene reſpondet: *In nomine Domini Amen. Trinus & unus in maieſtate Deus altiſſimus ſui nominis ineffabilis, magnificentiam dignis per orthodoxe fidei Chriſticolas venerationibus pullulare diſponens, corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, credentibus dedit, quatenus per huiusmodi miniſterii participacionem ſecum ſine fine vivere ac regere mereantur. Hanc cum ſtupenda Sacramenti hu-*

ius inſtitucio inter regulares & ſpirituales perſonas, maxime eas, que a ſecularibus ſequeſtrate ſunt, ſtrepitibus dignius & laudabilius frequentetur, dignum eſſe dignoſcitur, ad hoc pro viribus anhelare. Quamobrem coniectione ducor, quod eadem tempeſtate, qua talem materiam tractavit, reconciliari ſe una ſit paſſus divino Numini, delictaque ſua palam confeſſus, ac exin per fruitionem devotam Sacramenti S. Cœnæ, tanquam viatici ſumme ſalutaris, perſonam ſuam fato, vel ad vitam, vel necem, trahenti, abſolute ſubmiſerit, nec tamen caruerit præiudicio omni, Clericos de eodem medio cœleſti multo aptius poſſe participare, quam laicos, etiamſi fulſerint principali faſtigio. i)

VIII. Nunc

i) In receſſu quid habet, & contemplatione omnino dignum eſt, quod hic diſtincte dicitur, *Deum corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, credentibus dediſſe, quatenus per huiusmodi miniſterii participationem ſecum ſine fine vivere ac regere mereantur.* Unde tuto conſequitur, in his regionibus tunc nondum innotuiſſe decretum Papæ Romani, vel Concilii cuiusdam Canonem invaluiſſe, quo prohibiti fuerint laici, ad inſtar Cleri communione ſub utraque uti. Quin imo inter recentiores Pontificios, utpote *Gabrielem Vaſquez, Alphonſum de Caſtro, Georgium de Valentia,* & alios, convenit, quod ante Concilium Conſtantienſe ſynaxis ſub una per omnes provincias Chriſtianitatis vix ac ne vix quidem locum invenerit, etiamſi calix ſacer iam inde a Seculo poſt reparatam ſalutem ſecundo hinc illinc mutilationi fuiſſet expoſitus, aut ad minimum intincta euchariſtia

intro-

VIII. Nunc ex re foret, deſcriptionem dare accuratiorem, ubi ſignate *Fridericus* Landgravius, ſuperatis Franciæ limitibus, fixerit primo pedem, & ſe cum reliquo milite auxiliari coniunxerit. Atqui in limine ſtatim conqueri decet, quod, uti ſcriptorum noſtrorum relationes, quæ eo tendunt, ieiunæ valde ſunt & macilentæ, ne inde exſculpere queas modum narrata ad Heroa noſtrum commode applicandi, quin circa aliquos metuere oportet, ne acta plus quam unius anni invicem commiſcuerint, k) ita Anglicani multo minus ad-

introducta, ac per excogitationem doctrinæ de transſubſtantiatione in Concilio Lateranenſi IV ſub *Innocentio III* circa annum MCCXV ſpecies una, promovente Scholaſticorum turba, ſenſim crebriorem approbationem impetraſſet, ſiquidem in Germania nunquam, nec ullibi fere, contradictio eſt intermiſſa, & adhæc ritus utramque accipiendi in ipſa Misniæ vicina urbe Praga eodem etiamnum Seculo XIV, quo Princeps noſter vixit, ac idcirco diu ante, quam *Jacobus de Miſa*, concionator Huſſitarum, eundem reſtitutum ex pleno cuperet, valuit, ceu cuncta & ſingula *Mart. Chemnitius*, *Jo. Gerhardus*, *Ge. Calixtus*, *Hermannus von der Hardt*, *Auguſtus Pfeifferus*, *Jo. And. Schmidius*, *Juſtus Feuerborn*, *Jo. Muſæus*, *Hect. Gottf. Maſius*, *Phil. Lud. Hannekenius*, *Henricus Hæpfnerus*, *Jo. Adamus Scherzerus*, & plures, fuſius demonſtrarunt.

k) Ut geminum ſaltem ſpecimen eiusmodi commiſtionis adducam, *Henricus Rebdorfius* initio a tali non eſt immunis, dum acceſſum *Eduardi* Regis in Germaniam & opus confœderationis cum Imperatore haud ſecus anno MCCCXXXIX atque expeditionem

huc inhæſerint ordini concinno, aut geſtis rite digerendis invigilarint. Unus equidem *Henr. Rebdorfius pag.* 33 edit. *Gewold.* tantum hoc edisſerit: *Rex autem Angliæ cum adiutorio Alemanorum, maxime inferiorum, Ducis Brabantiæ, Comitis Holandiæ, Comitis Gelrenſis, Comitis Juliacenſis, Flamingorum, & aliorum quamplurimorum, cum magna potentia intravit regnum Franciæ, obſedit civitatem Andegavenſem, & alia quamplura damna & ſcandala intulit eidem. Sed Rex Franciæ, ex oppoſito cum magno exercitu in campis exiſtens, bellum non audebat inire. Tandem Rex Angliæ, conſumto magno theſauro, in Angliam eſt reverſus.* Rurſum, fultus antiquiori Auctore *Hermannus Cornerus* in *Chron. col.* 1055 ed. *Eccard.* talia effert: *Edwardus, Rex Angliæ, cum poteſtate maxima mare tranſiens, Franciam eſt ingreſſus, ſecundum* Wilhelmum, l) *ubi conſiſtens cum claſſe*

hoc eodem in Galliam ſuſceptam attribuit. Pari modo procedit etiam Continuator *Mart. Poloni col.* 1455. *ſeq.* ed. *Eccard.* ſub anno MCCCXXXIIX, iſtius intuitu aditus Germanorum, atque tranſitus, quem hinc *ſuper Durdracum, civitatem Olandiæ, in Pictavorum* (an *Piccardorum*) *partes feciſſe,* dubie refertur.

l) Lubens profiteor, me hunc haud noviſſe ſcriptorem, niſi ſub illo cenſendus veniat Abbas S. *Dionyſii, Guillielmus de Nangis,* qui *Geſta Philippi, Regis Francorum,* reliquit, aut prior ejus potius Continuator, quoniam conditoris ipſius primi labor apud *Pithœum* ſaltem pertingit uſque ad annum MCCLXXXV, aut, ſi *d' Achery* editio præferenda, ad MCCC.

claſſe magna navium, emiſit literas ad Principes Alemanniæ, petens ſubſidium eorum. Qui omnes benivoli & promti venerunt, in magno numero, puta Lodowicus de Brandeburg, Raynoldus, Dux Gelriæ, Fredericus, *Dux Brabantiæ,* Wilhelmus, *Marchio* Guliæ, *vel* Juliaci, Wilhelmus, *Comes Hollandiæ, & plures Comites Weſtphaliæ. Et intrantes Pikardiam, demoliti ſunt magnam partem ejus. Edwardus autem libenter bello* Philippum, *Regem Francorum, aggreſſus fuiſſet, ſed ipſe nullibi comparere voluit, diſſuadente ſibi hoc* Joanne, *Rege Bohemorum, qui pro tunc auxilio ſibi erat. Et hic Principes Teutoniæ reverſi ſunt ad propria.* Itaque *Cornerus*, eiusque anteſignanus, determinant *Piccardiam*, quod eo Principes Germanorum per diverſas colonias cum agminibus ſuis convenerint, *Rebdorfius* autem provinciam *Andegavenſem*, in qua Rex metropolin Andium oppugnarit. At enim regiones ambæ a ſe longo ſatis intervallo ſunt disiunctæ, ut ſcrutinio ſane ampliori indigeat, qua via hic primum ad eam ſit delatus, & an non propediem obſidionem iterum ſolverit, ubi locorum dein cum fœderatis coierit, & caſtra ſit metatus.

IX, Quicquid eius ſit, *Carolus IV*, Marchio tunc Moravorum ex domo Lucemburgica, omnium primo potuit noſſe, quæ terra potiſſimum, qualis omnino *Piccardia* hoc anno fuit, inſervierit *Eduardo* pro palæſtra quaſi & theatro belli primario, quandoquidem expeditioni eidem etiam interfuit coram, & cum parente ſuo, *Joanne*,

Rege Bohemiæ, a partibus *Philippi*, Regis Galliæ, ſtetit. m) Quare & de geſtis eius militiæ ſpecialiora prodit,

m) Caſus hic, quod aliqui Principes Germaniæ Galli, plures vero Angli, partes ſunt ſecuti, ad inſtar aliorum innumerorum, in hiſtoria occurrentium, inſigni æſtimatur conducere lumini & teſtimonio ICto, in probando eorum iure belligerandi maieſtatico, & inde reſultante poteſtate peregrina caſtra ſequendi, occupato, in quam rem alias quoque peculiarem concinnavit Diſſertationem Vir olim conſummatiſſimus, *Caſp. Henr. Hornius, de Libertate Germanorum exteris militandi, Wit. 1699.* Compara itidem, ſi iuvat, Viros Celeberrimos, *Chr. Gottl. Buderum* in *nützl. Sammlungen zur Erlaut. der Teutſchen Rechte und Hiſtorien*, ac *Jo. Theod. Schefferum* in Diſputat. *de Præeminentia Principum Imp. præ Princibus aliorum regnorum, Tub. 1732, pag. 27 ſeq.* &c. Quod ad nos proxime pertinet, locus, qui huc ſpectat, Continuatoris *Mart. Poloni Tom.* I *Corp. Eccard. med. ævi col 1455* non prorſus abſque omni conſideratione eſt tranſmittendus. Quando enim Hiſtoricus deſcribere ingreſſus erat, ſub anno quantumvis falſo MCCCXXXIIX tractationem Angli cum Imperatore prope civitatem Confluentiam ſuper ope ferenda inſtitutam, hoc modo pergit: *Cum igitur a Principibus communi omnium ſententia eidem Regi acclamaretur iuſtitia, & patrum hæreditas adiudicaretur, Rex ipſe Odaardus ipſum* Ludovicum, *qui eius ſororius fuerat, & alios Principes & Nobiles multos, ibidem exiſtentes, qui ſe offerebant in auxilium ſuum, datis & promiſſis eisdem magnis ſtipendiis fecit conſcribi, rogans eos, ut usque ad certum terminum, per ipſum præfixum, ſe ad præſtandum omnibus ſuum ſubſidium de neceſſariis præparent. Quibusdam tamen ex eis, iam Regi Franciæ obligatis, viſum fuit, quod ſine*

prodit, & teſtatur, eam non prorſus inerter & inaniter fuiſſe conſumtam, qui cum præterea aſſeveret, *Marchionem Miſnenſem*, tum itidem præſentem, inter arma clangentia repertum, ac ideo ipſius aſſertio cum tempore, quod eruimus ſupra ex Diplomatibus, & ipſius profectioni in Galliam præfiximus, egregie concinat, non gravabimur perci-

ſine ſuæ fidei corruptela, ſi Ludovicus *adeſſet, ſigna imperialia ſequi poſſent.* Obſervatu nempe omnium digniſſima ſunt verba ultima, niſi quod, ſi recte cerno, ob lacunam obverſantem, vel voculæ ſumme neceſſariæ defectum, obſcuriora ſint nonnihil & difficiliora intellectu, quæ forte emendare, ſeu ſupplere, oportebit ita: *Quibusdam tamen* &c. *obligatis* (*minus*) *viſum fuit, quod ſequi poſſent;* aut, ſi mavis: *Quibusdam* &c. *viſum fuit, quod ſigna imperialia* (non) *ſequi poſſent.* Nec enim credibile ſit, ipſos formulam, *ſigna imperialia,* in generaliori ſenſu voluiſſe capi, aut reſtringi ad Regem Galliæ, eiusque *banneria* & vexilla militaria. Quanquam &, ut nil diffitear, expeditioni adeo huic locutio, *ſigna imperialia ſequi,* penitus incongrue videatur applicata, cum *Ludovicus* modo non aliter, ac Principum Germaniæ reliquorum caterva, ſe profeſſus ſit ſocium ſaltem Angli, minime vero expeditionis moderatorem ſupremum, quippe quod bellum iſtud non habuit pro imperiali, uti quidem convenerat, ſi cauſa rigidius fuiſſet examinanda, ipſeque idem in imperiali ſolo, aut imperii nomine, gerere occœpiſſet, ſed ſaltem pro privato, interque exteros coorto. Alias fas potius fuerat, Ordines, qui Regi Franciæ miniſteria ſua obtulerant, avocare, quam arbitrio eorum relinquere, cuinam belligerantium militare vellent.

percipere, quæ is ipſemet in vita ſua *pag.* 102 edit. *Freheri* in *Vol. Script. Bohem.* conſignata reliquit: *Proceſſi in auxilium regi Franciæ, cui tunc obſederat rex Angliæ civitatem Bannatonenſem, antequam gentem ſuam ipſe congregaret. Et abinde proceſſit ante oppidum S. Quintini, deinde ante oppidum Rubemontis, & abinde prope usque civitatem Laudinenſem. Demum reverſus eſt verſus Comitatum Hannoniæ; ubi rex Franciæ ſecutus eſt eum usque ad metas. Metatus eſt uterque caſtra in metis Hannoniæ. Rex vero Angliæ ſeceſſit & receſſit, dimittens regi Franciæ campum, cum eum per integrum diem exſpectaſſet, & acies eſſent paratæ: quamvis in exercitu haberet multos, Principes Alemaniæ, videlicet Ducem Bravanciæ, Marchionem Juliacenſem & de Monte, Comitem Flandrenſem, de inferiore Alemania: de ſuperiore vero* Marchionem Miſnenſem, *Marchionem Brandenburgenſem, filium Bavari, & complures* alios cum potentia *Ludovici*. Ex his pateſcit affatim, quod, uti modo Anglus cum copiis ex regno ſuo traiecit in *Flandriam*, n) ita etiam ipſe quidem pro-

n) Per eandem ferme viam *Eduardus* quoque annis antecedentibus fuerat delatus, dum aggredi Franciæ ditiones anhelavit, vel actu in eas irruit. Ita enim ſcribit *Joannes*, Scriptor Anglus, *Chr. Lib.* II apud Dominum *de Ludewig Tom. XII Reliquiar. pag.* 162: *MCCCXXXVII eundem cum ſua militia Id. Jul. mare tranſiiſſe, & apud Antwerpiam per tempus non modicum ſumtuoſam traxiſſe moram.* Et iterum: *MCCCXXXIIX vig. St. Matth. inde cum Duce Braban-*

progreſſus ſit in Piccardiam usque, attamen, quia fortunam ſibi nondum ſatis faventem experiretur, non tam ſategerit penetrare in interiores provincias Galliæ, inter quas etiam Andegavenſis reputabatur, niſi id fieret caſu & coacte per repentinam excurſionem, quam potius eo allaborarit, ut in dorſo permaneret liber, nec reditu præcluderetur. Inter hæc præſtolatus eſt iterum iterumque, an non Gallus cum ipſo deſcendere vellet in ordinatam aciem, & prælio legitimo decernere, ſed minis ſaltem, levioribusque procurſibus, & vagationibus, aut velitaribus pugnis, perpetuo inſtare, quorum prius tamen hic hac vice ſedulo & ſerio cavit. o)

X. At

bantiæ ac militia magna pagum Cameracenſem in Gallia intraſſe. Compone adhæc, quæ ad poſteriorem *Georgius Lilye* in *Chr. Regum Anglor. pag.* 361 ed. *Gualth.* annotavit.

n) Id ad marginem adhuc annectere fas duco, quod, cum recentiores plerique ſingularium, quæ memoravit *Carolus Lucemburgius* hoc anno peracta, plane dememinerint, niſi forte *Eduardus Barns*, Regis Anglicani biographus, recoluerit ex iis aliqua, *Georgius Lilye* quoque in Epitome modo excitata dominatorum eius regni, ſecundum ſeriem chronologicam digeſta eadem cuncta tacitus prætererit. Ex adverſo is, neſcio, quo fonte ductus, ſub anno appellato *pag.* 361 ed. *Gualth.* hoc adiecit, *quod Gallus iam Guilielmum Sarisburienſem Comitem, quem Anglus anno præcedente una cum Roberto Suffolcio Comite in exercitu præfectum reliquerat, ceperit in oppidi* Inſulæ *oppugnatione occupatum, & Lutetiam abduci iuſſerit.*

X. At, ut ad *Fridericum* noſtrum revertamur, commoratus ille ſecundum computum *Ge. Fabricii Lib. VI Orig. Saxon. pag. 643, & Jo. Chriſtoph. Prætorii Hiſt. Saxon. Spec. I Cap. 2 §. 45*, ibidem per tres menſes, cum paviſſet in his motibus ſpiritum heroicum ad ſatietatem, annuit denique, tametſi ſub certa conditione, ut, Rege Angliæ ex optimis quibusque virorum ſuorum equites auratos creante, & ipſe ab hoc clinodiis militaribus ornaretur. Ita enim *Fabricius* l. c. actum ſolennem deſcribit, qui cum eodem inprimis ſit peractus: *Multi inde ex nobilitate equeſtria inſignia deportabant, quæ cum ad ipſum quoque Principem deferri Rex mandaret; a nullo accepturum ſe ea dixit, niſi ab eo, quem ſciret hoſtis conſpectum nunquam fugiſſe. Cum rogaretur, ut proferret nomen talis viri;* Fridericum Wangenhemium, *familiarem ſuum*, o) *digito monſtravit qui mox*

o) In Opere de Principis noſtri præcipuis geſtis & fatis *Art.* I ſub fin. huius equitis incluti prolixiorem mentionem feci, quodque ultimo viduæ matris Landgraviæ præfectus in urbe Gotha & per Thuringiam Capitaneus, nullatenus autem filii tutor unquam fuerit, aſſertum ivi, in cuius alioqui gente etiam adeo inventi ſunt, qui ad Ordinem Nobilium, qualis tunc erat, pertinuerunt, ſicut clare ex Diplomatibus variis conſtat. De reliquo brevibus quoque laudem eiusdem Viri renovavit *Chr. Fr. Paullinius Annal. Iſenac. pag.* 79 his verbis: *Sequente anno (MCCCXXXVI) Fridericus, ob res ſtrenue geſtas creatur eques auratus iuſſu Eduardi* III, *Britanniæ regis, a dilecto fideli que ſuo*, Friderico Wangenhemio, *cuius terga hoſtis*

mox regio iuſſu inſpectante exercitu inſignia ei contulit de more, gladium inauratum, baltheum, calcaria, phaleras, quibus acceptis, ſacra publica facta ſunt, quibus Regi ornamentis eiusmodi adſtans, interfuit. p) Hæc ille, qui cum ſua evidenſtis nunquam viderat. Id enim ſpecialiter rogarat Princeps.

ſtis nunquam viderat. Id enim ſpecialiter rogarat Princeps. Aſt, ſicut iam ad fin. §. IV. *not.* e) animadvertimus, ipſum in calculo nimium quantum eſſe evagatum, dum cum *Rothio* annum MCCCXXXI deſtinavit abitui eius *in Angliam*, (ut itidem erronee pronuntiat,) militaturi contra Galliam, ita hic æque tam craſſe impingit, atque multo minus eſt tolerandus. Nam, ſi componas invicem numeros huius & illius anni, conſequetur inde, quod Landgravius in miniſterio regio ſteterit *per quinquennale ſpatium & amplius*, antequam torque aurea donatus, ſuisque redonatus fuerit terris. Quin indidem abunde patet, non poſſe locum habere, ſi, neglecto prorſus priore, ſaltem & unice inſiſtere cum ipſo velimus poſteriori, ſed eius vice neceſſario ſubſtitui debere annum MCCCXXXIX, quem intextu ſuperflue liquidum reddidimus.

p) Quod his temporibus ipſimet Reges, Principes, regii Duces, aliique ex claſſe Illuſtrium, haud recuſarint, cingulo equeſtri conſueto ac ceteris inſigniis militaribus ſolenniter inveſtiri, Annales omnino pluribus documentis & exemplis teſtatum faciunt. Interim in iis non admodum multi reperientur, qui diſtuliſſent tam diu participes effici eiusdem honoris, quam equidem *Fridericus* noſtras, qui usque ad annum ætatis XXIX rem prorogavit. Unum tamen novi *Waldemarum*, Marchionem Brandenburgenſem, conformaſſe ſe ipſi, & ad XXX annos provectum fuiſſe, antequam ſymbolis ſolitis inaugurâretur. Qua pompa

denter hauſerit ex *Jo. Rohtii* Chron. Thuringiæ, nil nimium fecero, ſi & hujus, tanquam Auctoris antiquioris, relationem in congenito idiomate, quo rem protulit, huc recolam: *Ez geſchah yn demſelben jare, daz Lantgrafe* Frederich *von Doringin unde Margrafe zcu Miſſin, ſich mit velgudir ritterſchafft koſtlichin bereitte, unde zcoch in Engelant zcu deme Konnige, der Kreig mit deme Konnige von Frangrich unde waz by eme eyne wile, unde wart do ritter, unde vele der jungin manne, der erbar luthe Kindir, dy wordin do mit eme ritter, unde do en dy Forſtin unde Herrin, dy ouch yn deme Krige by deme Konnige von Engelant lagin, en woldin zcu ritter ſlabin, alſo ez ſetbe iſt, do ſprach her,* Ich wel hute von nymande zcu ritter geslagin werde, danne von deme, der ny geſlah, *do fragetin ſy wer der were, do ſprach her,* Ez were der alde Frederich von Wangeheym, *der yn der jogunt ſyn lantfogit geweſt waz, unde dy Herrin von Dreforte beſtretin unde gefangin hatte, der wart do vor allin Herrin*

pa illud, & quibus cerimoniis, ab *Erico*, Rege Daniæ, A. MCCCXII ſit patratum, *Herm. Cornerus Tom. II Corp. Eccard. col. 976 ſeq.* enarrat. Similiter ego ipſe in *Deſcript. Vit. & Rer. geſtar. Friderici Belli-coſi, Elect. Sax. Sect. X pag. 447 ſeq.* memoravi, quod hic Herois noſtri glorioſiſſimus nepos anno ætatis XXII primum ad eandem dignitatis notam ſit graſſatus, ubi, A. MCCCXCI Ordini Teutonicorum in adiumentum adverſus infideles Litthuanos proceſſiſſet.

rin gebeiſtbit, unde der slug ſynen eigin herrin do zcu ritter, deſſe ere ted her vor der forſtin ſyne manne, deme fromen menlichin ritter ern Frederich von Wangeheym, unde darnach liez her ſich an deme andirn tage undir meſſe zcu ritter ſeyne, alzo waz zcu der zcid der forſtin, unde der herrin gewonheid, unde der fromen criſtin, dy erlichin ritter wordin. Vid. *Menck. Script. Rer. Germ. Sax. Tom. II col. 1788.* q)

XI. Hoc adhuc urgere hic ex re fuerit, *Jo. Chriſtoph. Rudigerum Lib. II der Sächſiſchen Merckwürdigkeiten pag. 359* minus conſiderate eſſe locutum, quando autumavit, Regem *Eduardum* Landgravium condecoraſſe *Ordine quodam equitum*

q) Cui nauſeat dialectus Chroniſtæ, & ſtilus in tædium vergit, adeat vice eius *Pet. Albinum Meiſſniſchen Land-Chr. Tit. XVIII pag. 230*, ut qui pleraque *Rothiana* convertit in ſermonem hodieque popularem, & noſtrarum orarum incolis uſitatiorem. Quod vero cerimoniæ, in inveſtitura *Friderici* tunc adhibitæ, haud multum diſcreparint ab iis, quæ Thuringis & Miſnenſibus conſuetudinis fuere, ex *Jo. Seldeni* duntaxat libro *de Titulis Honorum Part. II pag. 466* datur iudicare, cui quippe Angli & Germani in iis differentiam quandam aluiſſe minime videtur, materiaque in *pag. ſeq.* uberius tractatur. Addantur adhæc in genere *Ge. Schubartus in Comment. de Ludis equeſtrib. pag. 64 ſeq. B. G. Struvius Tom. II Obſervat. Halenſ. Obſ. 3 & 4. Gerh. Feltmannus* Lib. *de Titul. Honor. Ant. Matthæus Lib. IV de Nobilitate Cap. 13 ſeq. Jo. Frid. Pfeffingerus* in *Vitriar. illuſtrato, Aug. Henr. Kerſtenii Tr. de Emancipatione Equeſtri*, al.

tum Anglicano, mit dem Engellandiſchen Ritter Orden. Qualis enim iſte, quæſo, fuiſſet, cum Rex Ordinem S. *Georgii*, vel Periſcelidis aureæ, perhibente *Froiſſardo* primo A. MCCCXLIV, aut, ut *Aub. Miræus, Georgius Lilye*, & plures alii, cenſent, MCCCL, fundarit, tametſi nonnulli apud *Guil. Cambdenum* in *Deſcr. Britanniæ pag.* 213 putent, *Richardum I* iamiam condidiſſe eundem, *Eduardum* autem ſaltem reſtauraſſe. Equidem ſint, qui aiant, ipſum A. MCCCXXX ad minimum natales accepiſſe, quando apud Dominum *de Leibniz* in *Cod. Jur. Gent. Diplomat.* & quidem in Serie *Contentorum Partis II Mantiſſæ*, Leges inſtituti Ordinis Garterii, ab *Eduardo* eodem factas, ſub nullo alio, quam hoc, anno allegatas oſtenderint. Sed, cum cognitum ſit, toties nominatum Regem A. MCCCXXVII imperium adiiſſe, & ibidem annus iam XXHI regiminis annotatus legatur, nec non, ſi per paginas aliquot pergimus, in Impreſſo Statutorum ipſorum nil aliud reperiatur, quam quod is anno regni ſui poſt Conqueſtum XXIII ordinarit & ſtabiliverit ſocietatem illam, ultro hinc fluit, annum fundationis, ceu antea deſignavi, MCCCL, nec ullum alium, fuiſſe. Ut ne oggeram, quod inter primos XXV conſodales, tunc in ordinem adſcitos, qui *Thomas Milles* in Lib. *de Nobilitate polit.* recenſentur, nullus adhuc alienigena advertatur. Conf. *Jo. Gualther. Chron. Chronic. Eccleſ. Lib. II pag.* 224 *ſeq.* Qui ergo *Eduardus* ſimiles iam antehac comprobaſſet, vel allegiſſet? Qua de cauſa

firmum

firmum etiamnum & inconcuſſum manet, quod nec *Fridericus Severus* A. MCCCXXXIX aliter nomen, vel ſymbolum, Equitis aurati reportarit, quam uti communiter apud Germanos aliosque moratiores Europæ populos invaluerat ea ætate, præterquam quod eo ipſo ordini cuidam certo factus fuiſſet adſtrictus.

XII. Poſtquam igitur Landgravius noſter in ſolo Gallico ſufficienter exſeruerat, ſe Principem eſſe, ac virtute & modeſtia ſibi ſumme devinxerat ceterorum præſentium animos, nec adeo multos viros ex Comitatu militari ſuo amiſerat, Rege *Eduardo* ultimum ſalutato, honorifice admodum a cunctis & ſingulis fuit dimiſſus. Quando *Rothius l. c.* huius valedictionis & diſceſſus meminit, annectit aliquas adhuc circumſtantias, quas ruminaſſe haud pigebit, e. g. qui abs Rege largiſſimis muneribus fuerit affectus, &, cum penates ſuos atque territorii fines aſſecutus eſſet, vaſallos comites exceperit ſplendide, atque in quiete domum ablegarit. Sic namque inquit: *Alzo her do eyne wile by deme Konnige gewaz unde daz beſte mit den ſynen geted, do nam her orlob von deme Konnige, unde zcoch wedir zcu lande, do gab eme der Konnig vele Heyligetummer, daz man nach zcu Warperg unde in ſente Elſebethin Kloſtir do gab, unde vele Kleynotis, dacz her unde dy ſynen zcu lande brachtin, unde quamen mit groſſin erin, unde undir en waz nymant ant redelichis uſſe blebin, unde machte do zcu Iſenache ſynen volgern eyne ſchone wertſchaft.* Conf. *Menck. loc. all. col.*

 1788

1788 ſeq. Id eſt, reverſus à peregrinatione, iuſſit cumprimis, ut in templis & monaſteriis Deo T. O. M. pro aſſiſtentia & protectione præſtita gratiæ decentes dicerentur. Exinde nobilitatem, quæ vel ſponte conſcenderat equos, vel etiam cum induſtria excita fuerat ac delecta ad ſequelam, apparatu adhuc vario epularum & ludorum refecit, quo ea in ſeriis & triſtibus caſibus, qui in poſterum & quotidie poterant in ipſa etiam ditione ſua emergere, ſe exhiberet tanto promtiorem. Ceterum *terminus reditus* felicis *Friderici*, & *locus requietis*, ad tempus ab ipſo hinc cultæ, clarent utcunque ex Diplomatibus & præceptis, quæ ex tunc diſpertiit, quodque ille fuerit collocandus in menſem Julium, hic vero modo in oppido *Iſenach*, modo in caſtro *Wartberg*, quærendus, ut adeo ipſe alternatim ſeſe per ſemeſtre ſpatium continuerit ibidem aut in planitie, aut in aſpero monte. Quo aſſerto utrique fides conſtet eo pleuior, ex Chartis, quotquot hactenus datum fuit congregare, infra in Notis illas recito, quæ mihi eadem ſuggeſſerunt, r) & hic hoc unicum ſaltem

r) Prima nempe, quam abhinc Landgravius prodire iuſſit, continet *Confirmationem aliquot cenſuum in Burgtonna, quos* Heinricus *a* Tentleben *Cœnobio* Reinersbronnenſi *vendiderat*, die Saturni ante Jacobi feſtum A. MCCCXXXIX data. Vid. *Henr. Frid. Ottonis Monaſticon Thuring. pag.* 231. Inde obvenit mihi approbatio *ſuper traditione ſex manſorum agri in villa Korwete, prævia reſignatione illorum de Haldeck, ſororibus religioſis in* Beutiz *facta*, ſcr. in die In-

tem adhuc addo, quod itidem ex ſimilibus literis didici, ipſum haud prius, quam novieṅnium, de MCCCXL illuxerat, Iſenaco promoviſſe pedem, & *Potham* verſus deſcendiſſe. s).

Invent, Steph. a. d. ex MS. Porro huc facit *Exemtio conuentus* Vet. Cellenſis *ab omni precaria & exactione ordinaria ideo, quod ille Principi Capellam B. Andr. in locum ſepulturæ exſtruendam conceſſerat*, die Jovis poſt feſt. Ægid. concinnata, nec non *Incorporatio parochiæ S. Nicol. in oppido* Dobelin *ad clauſtrum monialium ibidem*, in Vigilia Nativit. Domini conſummata. Utriusque documenti uſum in præſenti tractatione primarium occupavimus nos ſupra *§. VI* coll. *not.* i) & *§. VII.* Cur autem Princeps præter morem per tam longum tempus uni eidemque loco inhæſerit, ratio adhucdum eſt incognita, niſi id adſcribas forte ipſius corporis imbecillitati, quæ, delineato ante itinere longinquo, quod tum communius equo, quam rheda, perageretur, haud fuit correcta, nedum ſublata. Quicunque plures Epiſtolas *Fridericianas*, ex hoc anno collectas, in penu ſua poſſident, facile me potuerint inſtruere, an cogitatis ac concluſionibus, quas elicui ex productis, & in textu propoſui, cum fundamento indulſerim, nec ne, aut, ſi ſecus, aberrantem in tramitem reducere.

s) Ut id clarum reddam, haud anxia circumſpectione eſt opus, vel Auctorum pervolutatione, dum nobis apud *Paullinium Annal. Iſen. pag.* 147 *ſeq.* quaſi aliud agendo ſolum occurſavit Diploma *ſuper fundatione novi altaris apud B. Mar. Virg. in Iſenac.*

VII.

DAN. VVILH. TRILLERI,

PHILOS. ET MED. DOCT. HUIUSQUE IN ACAD. VITEMB. PROF. PUBL. REG. POL. ET ELECT. SAX. CONSILIARII AULÆ,

AD VETERUM AUCTORUM LOCA NONNULLA OBSERVATIONES CRITICAE.

Poſt tot præclaras doctiſſimorum Virorum curas & vigilias in optimos Auctores Græcos & Latinos, quibus grati fruimur, multa adhuc in iisdem reſtare, quæ nec ſatis intellecta ſint, nec ſatis emendata, nemo, credo, facile negaverit, niſi qui plane hoſpes fuerit in elegantioribus literis. Multa

in dicta urbe Gotha Sabbatho proximo ante diem S. *Priſcæ* A. MCCCXL. conſignatum. Equidem in dato legitur falſa epocha MDXL, ut inde cui queat ſcrupulus exſurgere, num hæ literæ a Principe noſtro plane ſint profectæ, præſertim quod & ipſum documentum ab Editore loco prorſus incongruo inſertum, rebusque, quæ Seculo XVI acciderunt, eſt intermiſtum. Verum nil dubitare habemus, ſiniſtram translocationem eius unice incuriæ eſſe tribuendam, quod apographum vitioſum, ad manus ſua perlatum, neglexit perluſtrare, emendationeque ſolius anni integritati reſtituere.

Multa ſane, quod non negandum, in his vidit ſuperior ætas, aliqua videt noſtra, ſed plura forte videbit poſterior. Adeo ſemper larga illa meſſe maius adhuc ſupererit ſpicilegium, nec materia fabris deerit, ſed fabri potius deerunt materiæ; inprimis ſi perrexerit, pro more ſuo, hoc, quod iam vivitur, ſeculum ſubtilioris potius, quam utilioris, Philoſophiæ vanis & inanibus commentis nimium indulgere, bonasque ac interiores literas, ſine quarum tamen adiumento nemo ſolide & eleganter doctus cenſeri vere poteſt, ceu obſoletas, viles, nihilque profuturas, temere faſtidire, & tumido faſtu adſpernari. Interim tamen verum eſt, ſemperque erit, illud *Senecæ: Qui ante nos iſta moverunt, non domini noſtri, ſed duces, ſunt. Patet omnibus veritas, nondum eſt occupata: multum ex illa etiam futuris relictum eſt.*

Nemo igitur, ſpero, mirabitur, ſi affirmavero, in ipſo illo adeo Poetarum principe *Virgilio*, poſt tot, innumeras fere ac egregias Clariſſimorum Virorum & interpretum curas & commentationes, multa adhuc ſupereſſe, quæ nondum ſatis caſtigata fuerint atque emendata.

Quod ut liquido probemus, ex quampluriinis aliis jam unicum ſufficiat exemplum; ſed luculentum, niſi fallor, & perſpicuum. In *Ecloga* nempe *IX verſ. 57* & *58* hi notiſſimi quidem verſus vulgo leguntur:

Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor: &
omnes
(*Aſpice*) *ventoſi* ceciderunt murmuris auræ.

In quibus ſane poſtremus inprimis verſus raucum & inconditum quoddam murmur mihi iure reſonare videtur: quid enim, quæſo, tandem ſunt *murmuris auræ*, & quis unquam ſic locutus? Dici quidem bene, *aurarum murmura*, ſat ſcio ex ſedula Poetarum lectione; ſed, quis inverſo ordine, *murmuris auras*, dixerit, equidem prorſus adhuc neſcio, & exemplum inſolitæ eiusmodi & peregrinæ dictionis fruſtra plane huc usque quæſivi.

Quamobrem ſemper mihi, vel adhuc puero, verſus iſte de gravi mendo ſuſpectus, & maieſtate *Virgiliana* prorſus indignus, viſus fuit; inprimis cum viderem, *Servium* ipſum adeo frigide & ieiune illum explicaſſe, ut aliud plane ibi egiſſe, & cogitaſſe videretur; unde ſuſpicio mea de mendo latente, ſemel mente concepta tanto magis aucta fuit. Ita enim ille optimus alias *Virgilii* Interpres ad iſtum locum commentatur: *Ventoſi ceciderunt murmuris auræ, frondes ſcilicet arborum, oſtendens, vel ipſas auras quieviſſe, quibus nihil omnino moveatur*, ſed ubi, quæſo, de illis arborum frondibus aurarum murmure tremulis vel verbulum, vel levis ſaltim ſuſpicio, in dicto verſu *Virgiliano* deprehendatur, cum ille potius liquido agat de ſtrato æquore & ſedato fluctuum tumore ac ſtre-

pitu,

pito. Quare reliqui recentiores Interpretes, ne exceptis quidem *Nic. Heinſio* & *Petro Burmanno*, me quidem iudice, longe cautius ac prudentius mihi egiſſe videntur, cum intactum plane hoc fœdum ulcus relinquerent, & aut re ipſa latens hic mendum non viderent, aut viſum quoque, deſperatione felicis & ſalutaris medelæ adhibendæ, præterirent. Sed, ut nunc tandem ad rem ipſam veniam, neque Lectorem per longiores ambages diutius teneam, ita in poſterum hunc depravatum verſum emendandum & reſtituendum iure cenſeo:

Adſpice! ventoſi ceciderunt marmoris iræ.

Quem verſum, ita correctum, ſi nunc demum ſonorum, rotundum, ac ſublimi *Virgilii* ingenio haud prorſus indignum, eſſe dixero, a veritatis forſan tramite haud nimis aberravero, nec modeſtiam, aut verecundiam, ut ſpes eſt, temere læſero. Omnia enim nunc, ut nemo non liquido animadvertit, belle & apte cohærent, ac placide decurrunt:

Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor: & omnes
(Adſpice!) ventoſi ceciderunt marmoris iræ.

Ita autem Poëtas crebro loqui, tralatitium eſt, nec eruditis lectoribus multis id probare exemplis opus eſſe videtur. Sic enim *Ovidius Epiſt. XVIII: Si cadat ira maris*, & *Lib. XII Metamorph.* pariter: *Maris ira receſſit*; item, ut alia

 plura

plura ſtudio omittam, *Metam. I: Nec maris ira manet.* Ipſe quoque noſter *Virgilius Æn. Lib. I* in eundem pæne ſenſum: *Sic cunctus pelagi cecidit fragor;* & inprimis *Lib. VII:*

Cum venti poſuere, omnisque repente reſedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonſæ.

Ex quo loco ſimul clare patet, *marmor* interdum de æquore ſtrato & placido dici, quod & ex aliis locis *Virgilianis* plurimis notiſſimum eſt, ut vel pueri, credo, hodie probe ſciunt. *Stratum* autem *æquor*, ut id obiter adiiciam, quia ab interpretibus præteritum video, more *Virgiliano*, e Græcis eſt petitum: ἡ θάλασσα εἰς γαλήνην ἐςόρεςαι, & *Heliodorus Lib. V:* τὴν θάλασσαν ἐςόρεσεν ἡ γαλήνη. Plura vid. apud *Berkerum* ad *Epiſt. I Alciphronis*. Sed de his hactenus.

Iam autem a *Virgilio* ad alterum Poetarum, inprimis Lyricorum, principem, nempe *Horatium*, tranſire libet, qui pariter, poſt innumeras fere medelas, ab omni ævo ipſi adhibitas, immo, fateri piget, poſt tot ſectiones & uſtiones, tamen in hunc usque diem nondum undiquaque ſanus atque incolumis exhiberi potuit. Illuſtris enim *Bentleii* beneficio, Viri de elegantioribus literis alias immortaliter meriti, *Horatium* potius nunc habemus *Bentleianum*, quam *Horatianum*, ſi verum quidem impune hic effari liceat. Ex innumeris enim ipſius Emendationibus, licet acutiſſimis, pauciores omnino erunt, quæ, rigido ſeduloque

inſti-

inſtituto examine, aut neceſſariæ deprehendantur, aut appoſitæ, probabiles, ac ad aſſenſum eruditorum promerendum fauſto ſidere ſubnatæ & excogitatæ. Id quod iam dudum a multis præſtantibus viris paſſim liquido oſtenſum fuit, & a me quoque ipſo alibi manifeſtius demonſtrabitur. Iam enim aliud agimus. Scilicet in lepida & amœna illa *Oda Horatiana VII Lib. IV* illi verſus ſemper mihi obſcuri, dubii, & contra rationem & experientiam ipſam formati ac compoſiti, ſunt viſi:

Mutat terra vices, & decreſcentia ripas
Flumina prætereunt.

Ita enim hæc ipſa interpretum plerique vulgo explicant: *Flumina intra ſuas ripas fluunt, neque eas tranſiliunt, ut hiberno tempore;* quomodo nempe infra *Od. XII* huius *Lib. IV;* cum tamen e contrario cuivis crebra experientia potius notiſſimum ſit, ſub blandi veris initiis flumina non tam decreſcere, quam potius increſcere & exundare, ripas quoque ſuas ſæpe transcendere, & in apertos campos proruere, liquatis nempe eo ipſo tempore, per mites placidosque floridi veris tepores, nivibus. Nimirum,

Ubi in rivos, nivibus ſolutis
Sole iam forti, medioque vere
Tabuit Hæmus,

ut

ut grandiſonus *Seneca* cecinit eleganter in *Medea.* Conf. Imp. Cæſ. *Manuelis Palæologi* Imago veris in Aulæo textili phrygii operis *pag.* 442, in *Præceptis Educationis Regiæ ac Orationibus* in fine. Quare vix dubito, quin in hoc *Horatii* loco, leviſſima quidem mutatione, ſed graviſſima, dictis ex cauſis, ratione, legendum fuerit:

Mutat Terra vices, & recreſcentia *ripas*
Flumina prætereunt.

Hoc nempe ſenſu facili & naturali: Flumina increſcentia, &, ſolutis nivibus, aucta, ripas ſuas ſuperant ac tranſiliunt; id enim ſignificare verbum *præterire*, doctis & indoctis iuxta notiſſimum eſſe arbitror. Ita enim, exempli cauſa, curſu aliquem præterire, pro ſuperare, & poſt ſe relinquere, frequentiſſime aqud optimos quosvis Auctores occurrit, ut neminem, credo, fugit. Probum quoque eſſe verbum *Recreſcere*, pro rurſus creſcere & augeri, affatim patet ex ipſo *Ovidio, Livio,* & aliis; quare, id operoſe nimis probare velle, præpoſteræ mihi diligentiæ iure videtur. Ceterum vix mihi dubium hæret, quin *Horatius* pro more ſuo ſolito veteres inprimis Poetas Græcos ubivis fere diligentiſſime imitandi, imo & ſæpius plane exſcribendi, ut alibi latius ſuo tempore oſtendam, expreſſerit hic potiſſimum elegantiſſimum illum locum *Homeri Lib.* XIX *Odyſſ.* 205 *ſeq.*:

Ὡς

* * *

Ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,
Ἥντ' εὖρος κατέτηξεν ἐπὴν ζέφυρος καταχεύοι,
Τηκομένης δ' ἄρα τῆς ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες.

Sicut autem nix liqueſit in ſummis verticibus montium,
Quam Eurus liqueſecit, poſtquam Zephyrus effuderat,
Liqueſcenteque ea fluvii implentur fluentes.

Conf. & *Quint. Smyrn. Paralipom. Homeri Lib. X, 415 ſeq.* qui locus eximius huc vel maxime facit: ut & *Ovid. Lib. II Faſtor. 219 ſeq.* qui non ſolum hunc ipſum *Homeri* locum elegantiſſime expreſſit, ſed & præcipue hunc *Horatianum* locum illuſtrat, noſtramque coniecturam, ſuperius propoſitam, egregie prorſus confirmat. Sed en ipſa Poetæ verba:

Ecce! velut Torrens, undis pluvialibus auctus,
Aut nive, quæ Zephyro victa tepente fluit,

Per

✡ ✡ ✡ ✡

Per fata, perque vias, fertur, nec, ut ante ſolebat,
Riparum clauſas margine finit aquas.

Sed nolo plura iam afferre teſtimonia ad hanc coniecturam liquidam, & ſua ſponte ſenſibus ſeſe facile ingerentem, confirmandam; niſi, quod iure vereor, quia tam facilis, atque obvia utique eſt, forte iam ab aliquo erudito Viro Critico præoccupata fuerit: quale nempe fatum docti Viri, ut notum, quotidie experiuntur.

Nunc demum coronidis loco unum adiiciamus locum e *Philoſtrati Lib. IV de Vita Apollonii Cap. 20 pag. 157*, his quidem verbis: *Μειράκιον τῶν ἁβρῶν, ὅυτως ἀσελγὲς νομιζόμενον, ὡς γενέσθαι ποτὲ καὶ Ἀμαζονῶν ᾆσμα.* Sed quæ illæ, quæſo, *Amazonum* ſunt *cantilenæ*, & quid in hoc loco faciunt *Amazones? Gothofr.* ergo *Olearius* inficetas illas fœminas hic merito explodit, ſed, quando cum *Eraſmo* Μαζονόμων, aut cum *Caſaubono* Μαζόνων, legere contendit, ut ex Addendis patet *pag. 953*, vel ibidem Viri maximi, *Sam. Bocharti*, coniecturam approbat, qui longa doctaque, ut ſolet, Diſſertatione oſtendere, & le-

& lectoribus perſuadere, ſatagebat, legendum ibi eſſe Μουσικῶν ἄσμα: tum ſane, quod inviti fatemur, Vir ille præſtantiſſimus, & in gloriam Lipſiæ ſuæ, immo univerſæ Germaniæ, natus, nos non habet conſentientes, qui potius eo in loco ſimpliciſſime & forſan veriſſime legendum eſſe coniicimus: Ἀλαζόνων ἄσμα, hoc eſt, *iactatorum, oſtentatorum, circulatorum, & ſcurrarum, cantilena & fabella*; ſenſu ſane liquidiſſimo, & loco huic accommodatiſſimo. Illud vero maximopere miror, tam facilem obviamque coniecturam nulli ex tantis Viris in mentem incidiſſe. Adeo ſæpe, dum ſubliniora & doctiora illi ſectantur, ea non vident, quæ ante pedes quaſi naſcuntur, & facile parabilia ſunt. Sed de his ſubitaneis coniecturis tantum.

VIII.

D. CHRISTIANI BENEDICTI MICHAELIS

QUÆSTIONES GRAMMATICÆ EX LINGUA EBRAEA.

Quam-

Quamvis & ſuperiore & noſtra ætate in Grammatica Linguæ Sanctæ præclaram poſuerint operam doctorum virorum ingenia; ſuperſunt tamen hæc illa huius dialecti phænomena, quæ vel plane non, vel minus ſufficienter, explicata, ulteriorem attentionem &, ſi fieri poſſit, dilucidationem exigere videntur. Liceat mihi, in hoc campo haud indiligenter verſato, exempla illorum aliqua recenſere, inſimulque eruditis velut Problemata ad reſolvendum exhibere, præmio quidem alio nullo propoſito, quam gloria illuſtrati Ebraiſmi, & fructu, in ſanctiorem inde Philologiam redundaturo. Poſſem ea perſequi ſecundum ordinem illum, quo doctrinæ grammaticæ partes ordinarie explicari ſolent, ut primum ex Orthographia, deinde ex Etymologia, tum vero ex Syntaxi, eas promerem quæſtiones, quæ lumina doctorum videantur requirere; ſed in præſenti ſufficiet mihi pars orthographica.

In hac igitur *Orthographica* parte primum occupant locum *Conſonantes*. De quibus quærere mihi liceat: 1) Sintne *numero XXII*, quæ recepta ſententia eſt; an vero *XXIII*, computatis nempe שׂ & שׁ tanquam duabus, iisque diſtinctis, in Alphabeto Ebraico literis, quæ eſt novior *Matth. Hilleri* in *Inſtitutionibus L. S. pag.* a aſſertio; 2) Cur Græci, cum in Verſione vulgo dicta LXXvirali in Capitibus ſacri Codicis alphabeticis, v. g. *Thren. I, II, III, IV*, cetera literarum Ebraicarum Ebraica *nomina* ſatis convenienter expreſſerint, Ἄλεφ, Βὴθ, Γίμελ, κ. τ. λ: e contrario ר & ש extulerint Ῥῆχς & Χσεῖν, quæ literarum nomina & a valore illarum, & ab Ebræorum uſu, abludunt; 3) Cur item Græci, qui a Phœnicibus, ac nominatim a *Cadmo*, literas, earumque

tum

tum nomina, tum ordinem, acceperunt, in Alphabeto ſuo, ס quidem in Ξ, vel ש in Σίγμα, ſive *Samech*, commutaverint, צ vero & ק plane expunxerint; 4) Num vitio dari queat Græcis, quod ש non per σχ, ſed per merum σ, & v. g. שַׁבָּת non σχάββαθον, ut *Paſor* in *Lex. Græc. Lat. N. Teſt. pag. 608* volebat, ſed σάββατον extulerint; 5) Sitne *ordo* literarum in Alphabeto Ebræorum fortuitus, an rationalis: &, ſi hoc, num ratio fuerit habita figuræ, an vero poteſtatis, ſive pronuntiationis. Si prius, coordinari debuerant ב, כ, ג, נ; itemque ד & ר; ה, ח & ת; י & ו; ו & ז; כ & ק; ſin poſterius, coniungi debuerant eorundem organorum literæ, ut ſunt gutturales אחהע, labiales בומף, palatinæ גיכק, linguales דטלנת, dentales זסצרש: & vero tum has, tum illas, in Alphabeto diſſociatas eſſe, apparet. Quæ ratio? 6) Si ordo ille literarum Ebraicarum non Grammaticorum demum recentiusque inventum eſt, ſed iam priſcis ſeculis, & Iſraelitis Rempublicam habentibus, uſu receptus fuit, qui factum, ut in Pſalmis aliisque ſacri Codicis Capitibus alphabeticis aliquando iſte ordo immutatus ſit? verbi gratia *Thren. II, 16, 17; III, 46-51, & IV, 16, 17,* ubi ע & פ transpoſitæ; *Pſ. XXV, 18, 19,* ubi omiſſa ק, & geminata contra ר; itemque *Pſ. CXLV, 14,* ubi נ pariter omiſſa; 7) Num, ut ratione *figuræ* conveniunt invicem ב & כ, ח & ת, כ & ק, eo quod valore & ſono affines ſint, eadem, aut alia, apta reddi poſſit ratio convenientiæ figurarum, qua literæ ב & כ, ט & ר, ו & י, ה & ת, ד & ל, ſe mutuo contingunt? 8) Num & quomodo ratione poteſtatis diſtinctæ fuerint literæ, nobis quidem idem ſonare viſæ, ט & ת, כ & ק; ס & ש; & qui in pronuntiando diſcerni invicem ab

Ebræis potuerint טָוָה, *nevit*, & תָּוָה, *determinavit*, נָצַר, *ſervavit*, & נָתַר, *ſubſiliit*, עֵט, *ſtilus*, & עֵת, *tempus*, כָּבַר, *multus magnusvè fuit*, & קָבַר, *ſepelivit*, חִכָּה, *exſpectavit*, & חָקָה, *exaravit*, נִשְׁכָּה, *cubiculum*, & נְשִׁיקָה *oſculum*, סָחָה, *abraſit*, & שָׂחָה, *natavit*, סָכַל, *infatuavit*, & שָׂכַל, *prudentem effecit*, סָפַק, *comploſit*, & שָׂפַק, *ſuffecit*; 9) Unde ſit, quid ſibi velit, gemina litera quieſcens, una alteram ſine intercedente mobili excipiens, in vocibus הִבְאִישׁ, *putrefactus eſt*, *Eſ. XXX*, 5, לְמוֹאוּל, *ex adverſo*, *Neh. XII*, 38, מְאוּם, *labes*, *Dan. I*, 4, בִּמְלֹאות, *Job. XX*, 22, בְּנֹאד, *utrem*, *Jud. IV*, 19, צֹאנֵנוּ, *oves*, *Pſ. CXLIV*, 13, שְׂמֹאוּל, *ſiniſtrum latus*, ſimilibus aliis, tum appellativis, tum propriis; 10) Quomodo legenda grammaticeque reſolvenda ſit vox הַלַיהוָה, *num Domino? Deut. XXXII*, 6.

Quod ad *Vocales*, ſeu alterum lectionis & ſcriptionis momentum, quæritur, 11) qui factum, ut A longum, & O breve, eadem apud Ebræos gaudeant figura. 12) Utrum hæc figura (ָ) *A longum*, an *O breve*, ſit in his ſimilibusve exemplis, אָנָּא, *quæſo*, ſub א *Pſ. CXVI*, 4, 16, בָּתִּים, *domus* paſſim, הַצָּרְעָתִי, *Tſareatenſis*, vel *Tſoratenſis*; ſub צ *1 Par. II*, 53, וּנְבָזְבְּיָתָךְ, *& præmia tua*, ſub ב *Dan. V*, 17, יָרָבְעָם, *Jeroboam*, ſub ר, *1 Reg. XI*, 26, יָשָׁבְעָם, *Jaſobeam* ſub ר *1 Par. XI*, 11, כָּל עַצְמוֹתַי, *omnia oſſa mea*, *ſub* כ *Pſ. XXXV*, 10, itemque כָּל *omnes*, *Prov. XIX*, 7, מָחֳרָת & מָחֳרָת *cras*, ſub מ paſſim, מִקָּבְלוֹ, *e regione ſui*, ſub ק *Ezech. XXVI*, 9, קָבָל-עָם, *coram populo*, ſub ק *2 Reg. XV*, 10, קָדָשִׁים, *ſancta*, ſive *ſanctitates*, ſub ק *Exod. XXIX*, 37, &c. קָטָנִּי, *minimum meum*, *1 Reg. XII*, 10, vel קָטָנִּי item *2 Par. X*, 10, ſub ט, קָטָבְךָ, *exitium tuum*, ſub ט *Hoſ. XIII*, 14, מִיָּרְדִי, *a deſcendere me*, ſub ר *Pſ. XXX*, 4, רָדְפִי, *perſequi me*, ſub ſub ד *Pſ. XXXVIII*,

2, שָׁמְרָה, *cuſtodi*, ſub ש *Pſ. LXXXVI*, 2, & שָׁמְרֵנִי, *cuſtodi me*, *Pſ. XVI*, 1, עֲמָדְךָ, *ſtare te*, ſub ע *Obad.* v. 11, סָמְכָךְ, *fulci*, *Jud. XIX*, 5, קֳדָם־, *coram*, ſub ק *Dan. II*, 10, 36, מָרָדְתָּא, *rebellis*, ſub ר *Eſdr. IV*, 12, מָאָסְכֶם, *reprobare vos*, ſub מ *Eſ. XXX*, 12, קָסָמִי, *divina*, ſub ק 1 *Sam. XXVIII*, 8, קָרְבָּן, *oblatio*, ſub ק *Ezech. XL*, 43, כְּקָרָבְכֶם, *ſecundum appropinquare vos*, ſub ק *Deut. XX*, 2; 13) Anne Kibbuts in Cthibhan ſub literis initialibus ac medianis ante quieſcentes idem valeat ac Schurek; v. g. in לֻא 1 *Sam. XIX*, 7, 2 *Sam. XVIII*, 12, יֻקְרַוה *Lev. XXI*, 4, שְׁמֻמָה *Ezech. XXXV*, 12, &c. itemque ſub finalibus, ut in בַּדָּבָר 1 *Reg. XII*, 7, יִקְּח 2 *Reg. XX*, 18, וְקִבֵּל *Eſth. IX*, 27, &c. 14) Num, & quænam illa fuerit ratio, cur vocalium inventores τῷ Chirek figuram inferni puncti unius τῷ Tſere gemini, & τῷ Sægol & Kibbuts terni, ſeu triplicati, illi quidem ſub trifolii, huic vero ſub ſcalæ trium graduum, forma, dederint; 15) Num omne Chirek, quod ab Iod quieſcente excipitur, pro magno habendum ſit, etiam in his & ſimilibus, וִילְלַת, *& eiulatus*, *Jer. XXV*, 36, לִיסוֹד, *ad fundandum*, 2 *Par. XXXI*, 7, לִיקְּהַת, *obedientia*, *Prov. XXX*, 17, בְּיקְּרוֹתֶיךָ, vel בִּיקְּרוֹתֶיךָ, *in charis tuis*, *Pſ. XLV*, 10, כְּיִתְרוֹן, *ſecundum præſtantiam tuam*, *Cohel. II*, 13; 16) Cur Suffixum 1 perſ. ſing. ־נִי, *me*, in penultima ſyllaba, utut ſimplice, & per vocalem terminata, tamen ordinarie habeat parvam vocalem Patach, v. g. in שְׁלָחַנִי, *miſit me*, *Gen. XLV*, 5, צְרַפְתַּנִי, *liquaviſti me*, *Pſ. XVII*, 3, cum contra Suffixum plurale ־נוּ, *nos*, ſecundum analogiam punctationis habeat magnam vocalem Kamets, v. g. נְתָנָנוּ, *dedit nos*, *Pſ. CXXIV*, 6, בְּחַנְתָּנוּ, *probaviſti nos*, *Pſ. LXVI*, 10; 17) Cur item in auctis per

ה paragogicum, ſive Verbis, ſive Nominibus, penultima ſyllaba Patach loco Kamets habeat, in הַחְבִּאַתָה, *occultavit*, *Joſ. VI*, 17, (ubi vid. Var. lect. in edit. Halenſi,) נִפְלְאַתָה, *mirabilis fuit*, 2 *Sam. I*, 26, גִּתָּה, *verſus Gath*, ſecundum plurimos Codices, 1 *Reg. II*, 40, מִדְבָּרָה, *verſus deſertum*, *Joſ. XVIII*, 12, צָרְפָתָה, *verſus Sareptam*, 1 *Reg. XVII*, 9, 10, חַשְׁמַלָה, *electrum*, *Ezech. VIII*, 4, & ante ת adformativum in תֵּאָמַנָה, *portabuntur*, *Eſ. VI*, 4; 18) Num ſcriptio ־וֹ Cholem plena, vel defectiva, hoc eſt, cum vel ſine fulcro ו, v. g. in חֹם, *aeſtus*, גָּדוֹל, *magnus*, אָדֹם, *rufus*, &c. plane indifferens ſit, an certas utplurimum, & quasnam, regulas ſequatur; 19) Num in *Danziana* de tribus cuiusvis ſyllabae moris hypotheſi recte ſupponatur, duas conſonas, vocalem in ſyllaba praecedentes, moram facere tantum unam, ita ut ratione morae non differant בָּא & בְּבוֹא, לֵב & בְּלֵב, פִּי & לְפִי; 20) Num ei conveniat cum Ebraicorum accentuum legibus, ſecundum quas brevitate quidem ſua laborant מַלְכָּה & נִגְלָה, non vero laborant מְלָכָה & נִגְלָתָה; 21) Num ex eadem hypotheſi recte ſupponatur, duas conſonas, vocalem in ſyllaba ſequentes, itidem moram facere tantum unam, ita ut ratione morae in pronuntiatione non differant הָלַךְ & הָלְכָה; cum tamen poſteriores formae ex accentuum Ebraicorum doctrina penacutis vocibus vel quaſi accenſeantur; 22) Si, ex Danziana ſententia, in ſyllabis ſimplicibus, per vocalem parvam ſcriptis, defectus unius morae ſive per tonum penſatur, ut in עֶרֶב, שְׁפִי, פְּקָדְנִי; ſive per Metheg, ut in הֶחֱלֵיתִי, בֶּאֱמֶת, וַאֲנִי, הַשְׁכֵּחִים; quaeritur ergo, quid de his ſimilibusve exemplis dicendum ſit, אֶחָת, אָחַר, וַיָּחֶל, נָאַץ, אֶחָת, אַחֲרֵי, in quorum prioribus ſyllabis

prae-

præſumtus defectus moræ tertiæ neque per tonum, neque per Metheg, vel penſatur, vel penſari poteſt? 23) Anne tonus, cum unius moræ defectum penſare dicatur, moram & ipſe facere, ac adeo ſyllaba compoſita, tono & vocali magna gaudens, quatuor, non tres, habere moras cenſeri debeat, v. g. in יֵשֵׁב, לַיְלָה, יֵשֵׁב, אֹמֵר, גָּדוֹל, חָרוּל, נִשְׁמָה; 24) Anne in monoſyllabis, בֶּרֶךְ, קֹשְׁטְ, aut in biſyllabis, ſimiliter deſinentibus, וַיֵּבְךְּ, וַיֵּשְׁתְּ, vel quintuplex ex hypotheſi ſtatuenda mora ſit; 25) & quid tandem utilitatis ex morarum principio in rem grammaticam, ad menſurandas ſyllabarum quantitates, cognoſcendumque diverſum vocalium longarum breviumve uſum, redundet? 26) Unde ſit, ut, ſive in regimine, ſive incremento vocis finali, deſcendente accentu, vocales aliquæ invariabiles maneant, ubi nec quieſcentem literam, nec Dageſch forte involvere videantur, v. g. *Kamets* ſub 1 radicali in verbis Conjugationis Niphal, הִקָּשְׁרוּ, תִּבָּאוּ, יִנָּשְׁעוּן, תִּשָּׁמְעוּן; הִשָּׁמְרוּ; in Nominibus item, tum appellativis, maſculinis, שֶׁמֶן אָסוּךְ 2 *Reg. IV*, 2, דָּלְיָו *Num. XXIV*, 7, צִירֵי & וָוֵיהֶם *Exod. XXVII*, 10, 17, יָשְׁפֵה *Exod. XXVIII*, 20, שָׁבֻעִים *Dan. IX*, 24, שָׂהֲדִי *Job. XVI*, 19, שָׁלִישִׁים *Ezech. XXIII*, 15, Chald. הַדָּבְרַיָּא *Dan. VI*, 8, הַדָּבְרֵי *III*, 27, לְהַדָּבְרוֹהִי *v.* 24, fœmininisque, ut אָלָתִי *Gen. XXIV*, 41, בָּגוֹדָה *Jer. III*, 7, קִוִּיתִי *Pſ. LXIX*, 22, גָּלוּת כּוּשׁ *Eſ. XX*, 4, גָּלוּתִי *XLV*, 13, דָּלִיּוֹתָיו *Jer. XI*, 16, יָם, niſi ſit ante סוּף, *Eſ. XI*, 15, הָרוֹתֵיהֶם 2 *Reg. VIII*, 12, זָוִיּוֹת מִזְבֵּחַ *Zach. IX*, 15, יָפָתִי *Cant. II*, 10, 13, מְנוֹתֶהָ *Eſth. II*, 9, שָׁבֻעוֹת *Deut. XVI*, 16, שָׁבֻעֹתֵיכֶם *Num. XXVIII*, 26, tum propriis, iisque ſive abſolutis in augmento finali, ut בַּרַכְאֵל *Job. XXXII*, 2, 6,

a, 6, בגבליו 2 *Par. XXXI*, 12, 13, ſive conſtructis, ut אבל מים 2 *Par. XVI*, 4, אבל בית מעכה 1 *Reg. XV*, 20, &c. יבש גלעד *Jud. XXI*, 8, קדש ברנע *Num. XXXIV*, 4, שוה קריתים *Gen. XIV*, 5, (כספיא *Eſdr. VIII*, 17,) in patronymicis item gentilitiisque, ut אשרי *Jud. I*, 32, הררי 2 *Sam. XXIII*, 11, חמולי *Num. XXVI*, 21, יאירי 2 *Sam. XX*, 26, ימיני & יכיני *Num. XXVI*, 12, ישבי *v.* 24, כלבי 1 *Sam. XXV*, 3, חפרי *Num. XXVI*, 29, סבאים *Ezech. XXIII*, 42, הזרחי *Num. XXVI*, 13. Item *Tſere* tum *Lev. XV*, 29, in תקח־לה, tum ſub 1 radic. in Nominibus ſive conſtructis, ut אזור חלציו *Eſ. V*, 27, אפוד בד 1 *Sam. II*, 18, אבוס בעליו *Eſ. I*, 3, אטון מצרים *Prov. VII*, 16, חמת מים *Gen. XXI*, 14, נכר־הארץ *Deut. XXXI*, 16, אלהה 2 *Par. XXXV*, 13, & in gentilitio רכבים *Jer. XXXV*, 2, 3. Item *Kamets* ſub 2 radic. tum in appellativis maſculinis, ut בצרת *Ezech. XXXIV*, 12, גדיי *Gen. XXVII*, 9, 16, דתי & דתיהם *Eſth. III*, 8, חטאי 2 *Reg. X*, 28, חטאיכם *Eſ. I*, 18, כנותיו *Eſdr. IV*, 7, יקר תפארת, *Eſth. I*, 4, שאר ישראל *Eſ. X*, 20, ובכתב בית ישראל *Ezech. XIII*, 9, לחיי *Eſ. XXX*, 28, מלחיהם *Ezech. XXVII*, 9, עבדיהם *Coh. IX*, 1, מעבדיהם *Job. XXXIV*, 25, בעים רוחו *Eſ. XI*, 15, fœmininisque, ut אילותי *Pſ. XXI*, 20, אזכרתה *Lev. II*, 2, מנת כוסם *Pſ. XI*, 6, מנאות התורה *Neh. XII*, 44, מניות הלוים *XIII*, 10, מערת המכפלה *Gen. XXIII*, 9, נאצותיך *Ezech. XXXV*, 12, tum in propriis, עמלקי *Gen. XIV*, 7, &, ſub 3 litera, אשתאלי 1 *Par. II*, 53, פרעתוני *Jud. XII*, 13. Et *Tſere* ſub 2 radic. ſive in appellativis, ut אבלי *Eſ. LXI*, 3, אשריהם 1 *Reg. XIV*, 15, טמאת *Ezech. XXII*, 5, שכחי *Pſ. IX*, 18, שמחי *Pſ. XXXV*, 26, ברכת 2 *Sam. II*, 13, שפלתו *Joſ. XI*, 16, ſive in

in propriis, ut גְּדֵרֹתַיִם *Joſ. XV, 36*, גְּדֵרָתִי *1 Par. XII, 4*, מְכֵרָתִי *XI, 36*.

Notæ diacriticæ lectionis præbent & ipſæ aliqua ζητήματα: ut *Dageſch lene* 27) cur inſit literis בגדכפת in principio vocis poſt aliam, neque conſona mobili terminatam, neque accentu diſtinctivo inſtructam, ut *Exod. XV, 1 & 21*, גָאֹה גָּאָה, *verſ. 11*, מִי כָּמֹכָה, *verſ. 13*, זוּ גָּאָלְתָּ, *verſ. 16*, יִדְּמוּ כָּאָבֶן, *Dan. V, 11*, חָכְמָה כְּחָכְמַת, *Eſ. LIV, 12*, וְשַׂמְתִּי כַּדְכֹד, *Jer. XX, 9*, וְנִלְאֵיתִי כַּלְכֵל; 28) Cur idem eis inſit in medio vocis in ſtatu conſtructo & ante Suffixa dicta gravia, ut *Deut. III, 17*, אַשְׁדֹּת, *Gen. L, 23*, בִּרְכֵּי, *XXVIII, 4*, בִּרְכַּת, *Thren. III, 22*, חַסְדֵּי, *Prov. XXIX, 25*, חֶרְדַּת, *Pſ. LXIX, 10*, *Joſ. V, 9*, חֶרְפַּת, חֶרְפּוֹת, *Exod. XXVI, 7*, צִפְּרֵי, *Job. XII, 5*, עַשְׁתּוֹת, *Joſ. II, 6*, בְּפִשְׁתֵּי, *Ezech. XVII, 9*, שָׁרְשֵׁי, *Gen. XLII, 25, 35*, כַּסְפֵּיהֶם, *Num. VI, 15*, נִסְכֵּיהֶם, *XXVIII, 31*, נִסְכֵּיכֶם, *Job. XXXVIII, 16*, נִבְכֵי, *Eſ. V, 10*, צִמְדֵּי, *Cant. VIII, 6*, רִשְׁפֵּי; 29) Cur idem in Imperativo, *Jer. X, 17*, אִסְפִּי, *Eſ. XLVII, 2*, חֶשְׂפִּי; 30) Cur idem inſit Suffixo ךָ, *Jer. XXII, 24*, אֶתְּקֶנְךָּ; 31) Cur e contrario abſit ab initio vocum poſt vocem conſona mobili terminatam, ut *Pſ. LXVIII, 18*, אֲדֹנָי בָם, *Eſ. XXXIV, 11*, קַו תֹהוּ, *Ezech. XXIII, 42*, שָׁלֵו בָהּ; 32) Cur abſit in medio vocum poſt Schua quieſcens: tum in appellativis, ut *Eſth. VIII, 6*, אָבְדַן, *IX, 5*, אַבְדָן, *Eſ. XXV, 11*, אָרְבּוֹת, *Eſdr. IX, 3, 5*, בִּגְדִי, *Gen. XXXIX, 12*, בִּגְדוֹ, *Pſ. XLV, 9*, קְצִיעוֹת, *Exod. XXVIII, 26*, בַּיְתָה, *Gen. XXVII, 36*, בִּרְכָתִי, *Prov. VIII, 35*, דַּלְתֹתַי, *2 Par. IV, 21*, וּמַלְקְחַיִם, *Eſ. II, 4*, חַרְבוֹתָם, *Gen. XLIX, 13*, וְיַרְכָתוֹ, *Exod. XXVI, 23*, יַרְכָתַיִם, *Exod. XXVIII, 17*, פִּטְדָה, *Pſ.*

CXVI, 15, תמותה, *Job. XXXIV*, 25, מעבדיהם, *Ezech. XXIII*, 11, עגבתה, *Eſ. LI*, 3, ערבתה, *Eſth. X*, 2, אחשורוש *Prov. VII*, 16, & *XXXI*, 22, מרבדים *Cant. V*, 13, שושנים, *Eſth. IV*, 11, שרביט; tum in propriis, & his non peregrinis ſolum & barbaris, ut ſunt *Eſdr. IV*, 9, אפרסתכיא, *I*, 10, אבגתא, *II*, 21, בגתן, *VI*, 2, בגתנא *I*, 10, בזתא *IX*, 7, דלפון, *I*, 10, חרבונה, 1 *Par. V*, 6, תלגת, *Eſdr. IV*, 9, שושנכיא; ſed etiam in Ebraicis indigenisque, ut 2 *Reg. XXI*, 19, יטבתה, *Deut. III*, 10, סלכה, *Neh. II*, 10, סנבלט, 2 *Sam. XXIII*, 41, אבי־עלבון, 2 *Sam. XXIII*, 27, ענתתי, 1 *Par. VIII*, 23, ענתתיה, *Neh. II*, 19, ערבי; maximeque in his, dupla ex ratione Dageſch lene videbantur requirere, *Joſ. XV*, 56, יקדעם, & *Joſ. XV*, 38, יקתאל.

II. *Dageſch forte* 33) cur impreſſum ſit initialibus vocum literis, poſt vocales longas I & V, ut *Gen. XIX*, 2, ויאמרו לא, *verſ.* 14, קומו צאו, *Pſ. XCIV*, 12, תיסרנו יה, *Pſ. CXVIII*, 5, קראתי יה, *verſ.* 18, יסרני יה; 34) Cur item primis radicalibus poſt literas præformativas, ut *Pſ. LXXXIX*, 45, ותמגרתה, *Hoſ. III*, 2, ואכרה, *Job. IX*, 18, ממררים, *XVII*, 2, ובהמרותם, *Neh. III*, 17, מנוריה, *Eſ. XXXIII*, 1, כנלתך, *Dan. VIII*, 9, ממצערה, *Exod. II*, 3, הצפינו, *Exod. XV*, 17, מקדש, 1 *Sam. XXVIII*, 10, יקרך, (1 *Sam. I*, 6, הרעמה,) *Jud. XXIII*, 43, תהדיפנו, *Ezech. XXVII*, 7, ממשמיך, *Eſ. X*, 15, המשור; quin & מ in מ formativo, poſt aliud מ formativum, ut *Joel. I*, 17, in ממגרות; 35) Cur inſit mediæ radicali, *Lev. XXV*, 5, & *Deut. XXXII*, 32, ענבי, *Gen. XLIX*, 17, עקבי, *Pſ. LXXXIX*, 52, עקבות, *Eſ. LVIII*, 3, עצביכם, *Prov. XXVII*, 29, ישבות; 36) Cur denique tertiæ radicali,

ut

ut in Kal, *Eſ. XLI, 17*, נָשַׁתָּה, *Ezech, XXVII, 19*, נָתָנוּ; *Jud. XX, 32*, וּנְתַקְּנֻהוּ, *Eſ. XXXIII, 12*, יִצַּתּוּ, &, ſec. aliquos, *Eſ. XIX, 6*, קָמֵלוּ; in Niphal, *Prov. VIII, 24*, נִכְבַּדֵּי; & in Piel, *Job. XIII, 9*, וִיהַתֵּלּוּ, *Jer. IX, 5*, יְהָתֵלּוּ; 37) Cur inſit Nun affiormativo, *Mich. VII, 10*, תִּרְאֶינָּה; 38) Quid ſibi velit Dageſch impreſſum τῷ א quatuor in locis, *Gen. XLIII, 26*, & *Eſdr. VIII, 18*, וַיָּבִיאּוּ; *Lev. XXIII, 17*, תָּבִיאּוּ, *Job. XXXIII, 21*, רֻאּוּ; cum א, ceu gutturalis litera, nec ferat alias, nec per analogiam citatis in locis requirat geminationem per Dageſch; 39) Cur contra deficiat Dageſch compenſativum, *Ruth I, 13*, in תֵּעָגֵנָה, *Eſ. LX, 4*, תֵּאָמַנָה, & ſecundum plures Codices *Pſ. LXXI, 23*, תְּרַנֵּנָה; item 1 *Sam. III, 2*, הֵחֵלּוּ, *Cant. VII, 13*, הֵנֵצוּ, *Prov. VII, 13*, הֵעֵזָה, 1 *Sam. XIV, 36*, נָבֹזָה, & ſecundum plurimos 2 *Sam. XXII, 33*, מָעֻזִּי; & 40) qui potuerit excidere ſine ulla compenſatione, quin præcedente Schua, *Gen. XI, 7*, in וְנָבְלָה, *Eſ. XIX, 3*, וְנָבְקָה, *Ezech. XLI, 7*, וְנָסְבָה, & *Num. XXII, 6, 11*, קָבָה, ſiquidem ſint a בָּלַל, בָּקַק, סָבַב, קָבַב; 41) Cur literæ ſimiles diſſimilesve, quarum priores Schua quieſcens habent, non contrahantur per Dageſch forte, *Job. XX, 7*, כְּגֶלְלוֹ, *Ezech. IV, 12, 15*, גֶּלְלֵי, *Jer. VI, 4*, צִלְלֵי, *Deut. XXI, 23*, קִלְלַת, *Pſ. CII, 14*, לְחֶנְנָהּ, *Eſ. XV, 8*, יִלְלָתָהּ, *Mich. VII, 1*, אַלְלַי, *Neh. IX, 24*, עַמְמֵי, *Pſ. CXXXIX, 2*, בְּתוֹכָהּ, *Eſth. III, 9*, גִּנְזֵי.

III. *Schua* 42) cur in fine vocum non niſi ſub literis בגדכפת, vocali deſtitutis, præcedente alio Schua, expreſſum ſubiiciatur; 43) Cur contra ſub aliis literis in fine vocum mobilibus, ſed vocali vacuis, ſi vocalis immediate præcedat, tantum ſubticeatur, excepta ſolum

ך, ſub

ɓ, ſub qua ubique exprimitur; 44) Num Schua, quod in ſe quieſcens fuerat, mobile fiat in compoſitionibus Nominum, ſive appellativi, מַאְפֵּלְיָה, *Jer. II, 31*, ſive propriorum, אִישְׁהוֹד, *1 Par. VII, 18*, בִּזְיוֹתְיָה, *Joſ. XV, 28*, בְּסוֹדְיָה, *Neh. III, 6*, טָבְאֵל, *Eſ. VII, 6*, יְדִידְיָה, *2 Sam. XII, 25*, נֵרְגַל, *2 Reg. XVII, 30*, ut legenda ſint, *Ma'pe-lja*, *I-ſch'hod*, *Bizjo-thja*, *Bſo-dja*, *Ta-b'al*, *Iedi-dja*, *Ne-rjal*; 45) Num, quod extra compoſitionem & in ſe Schua mobile fuerat, in compoſitis contra, & retracto ex ultima ad penultimam accentu, poſt vocalem tonicam quieſcens fiat, ita ut legere oporteat *Jud. XVII, 1*, מִיכָיְהוּ, *Michaj-hu*, *Prov. XXX, 15*, אָמְרוּ, *am-ru*, *verſ. 16* שָׂבְעָה, *ſab-a*, *XXXI, 16*, נָטְעָה, *nat-a*, &c. 4) Quid ſibi velit Schua, ſub finalibus poſt literam quieſcentem anomalice expreſſum, *2 Sam. XIV, 2*, הָיִית, *verſ. 3*, וּבָאת, *1 Reg. XVII, 13*, וְעָשִׂית, & ſecundum aliquos Codices *Gen. III, 13*, עָשִׂית.

IV. *Schuaim compoſita*, 47) cum immediate poſt tonum mutentur in ſimplex, v. g. *Num. XXXIV, 5*, נַחְלָה, *1 Sam. IX, 2*, מַעְלָה, *Eſ. XXVIII, 7*, שָׁעְרָה׃, cur maneant contra, *Gen. XVIII, 6*, הָאֹהֱלָה, *XIX, 23*, צֹעֲרָה׃; 48) Cur Chatephpatach loco Schua ſimplicis ſit, tum in conſtructis, tum in abſolutis quibusdam, ut *Joſ. XI, 2*, *XII, 3*, כִּנֲרוֹת, *Ezech. XXXV, 7*, שִׁמֲמָה *verſ. 9* שִׁמֲמוֹת עוֹלָם, & ſec. aliquos Codd. *Zach. XI, 3*, יִלֲלַת; *Mich. VI, 7*, בְּרִבֲבוֹת, *Eſth. I, 6*, רִצֲפַת; itemque in propriis, *Neh. XII, 36*, גִּלֲלַי & מִלֲלַי.

V. *Patachgnubba* 49) annon debuerit eſſe ſub penultimis ח & ע, ſequente ת, *1 Reg. XIV, 3*, in לָקַחַתְּ, *Jer. XIII, 25*, in שָׁכַחַתְּ, ubi contra in vulgaribus editionibus eſt *Schua*.

VI.

VI. *Metheg* 50) quid ſibi velit poſt Schua, *Exod. IV*, 13, שְׁלַח־, *XXV*, 33, מְשֻׁקָּדִים, *Deut. IV*, 19, וְנִדַּחְתָּ, *IX*, 10, בַּקָּהָל־, & multo pluribus in exemplis; 51) Quid item poſt vocalem parvam in ſyllaba compoſita, *Num. XXX*, 6, 9, 13, in יִסְלַח־, *Deut. V*, 19, וַיִּכְתְּבֵם & וַיִּתְּנֵם, *VII*, 8, בְּיָד, &c. 52) Num debitam ſyllabam occupet, *Gen. XLV*, 14, בִּנְיָמִן־, *Deut. VIII*, 13, אֲשֶׁר־, *Neh. VIII*, 9, קָדֹשׁ־, *IX*, 23, מִלְאִים־, &c. 53) Num recte ponatur immediate ante aliud Metheg, vel literam tonicam, *Gen. XXIX*, 26, לֹא־יֵעָשֶׂה, *XLVII*, 20, כִּי־מָכְרוּ, *XLI*, 23, אַף־בָּאִים.

VII. *Accentus*, utpote ſeparatam diffuſioremque inquiſitionem requirentes, nunc prætermitto.

Tonus vero vocum, 54) cum a Grammaticis non niſi in ultima penultimave ſyllaba ligatur; quæritur ergo, quid ſentiendum de hoc exemplorum pari, in quo antepenultima accentum, & conſequenter tonum, habet, *Eſ. L*, 8, נַעַמְדָה, & ſecundum plures & meliores Codices, *Exod. XV*, 8, נֶעֶרְמוּ, ſine *Makkeph*; 55) Cur tonus, qui in Imperativis ante ה paragogicum milel eſſe ſolet, v. g. *Dan. IX*, 19, in שְׁמָעָה & סְלָחָה contra milra fit in ſequentibus hiſce, *Gen. XXIX*, 21, הָבָה, *Jud. IV*, 7, סוּרָה bis, *Pſ. LXVIII*, 29, עוּזָּה, *Pſ. III*, 7, קוּמָה, *Pſ. VI*, 5, שׁוּבָה, *Pſ. XLI*, 5, רְפָאָה, *Pſ. XLIII*, 1, וְרִיבָה; 56) Cur item dicatur *Num. XIV*, 3. לָמָּה pro לָמָּה, *Deut. I*, 28, אָנָה pro אָנָה, *Eſth. VIII*, 6, אֵיכָכָה? 57) Cur tonus anomalice milra fit in Verborum med. radicis ו quieſcentis, vel geminatæ, Præteritis, cum in Plurali 3 perſ. *Num. XIII*, 32, הָרוּ pro חָרוּ, *Ezech. XXII*, 28, תָּמוּ, *Gen. XL*, 15, שָׂמוּ, *Thren. IV*, 18,

12, נִמְצָא *Gen. XXVI*, 22, רָבּוּ; *Pſ. III*, 2, רַבּוּ pro רַבּוּ, *Jer. IV*, 13, קַלּוּ, *Job. XV*, 15, זַכּוּ, *Hab. III*, 6, שַׁחוּ, *Eſ. XXXVIII*, 14, דַּלּוּ, *Pſ. LXXIII*, 9, שַׁתּוּ; tum in 3 Sing. femin. 2 *Reg. XIX*, 21, בָּזָה pro בָּזָה; 58) Cur item in Verbis geminatis & 2 rad. ו tonus milra ſit, in 1, vel 2, perſ. Præteriti *Pſ. CXVI*, 6, in דַּלּוֹתִי *Pſ. XVII*, 3, זַמּוֹתִי, *Eſ. XLIV*, 16, חַמּוֹתִי, *Deut. XXXII*, 41, שַׁנּוֹתִי, *Pſ. LXXIII*, 28, שַׁתִּי, *Pſ. XC*, 8, שַׁתָּה; itemque in Imperativis, *Eſ. XLIX*, 13, רָנִּי, *LIV*, 1, רָנִּי, *Jer. VII*, 29, גָּזִּי, *Zach. IX*, 9, גִּילִי, *Jud. V*, 12, עוּרִי עוּרִי; 59) Et contra, cur tonus contra analogiam in penultima ſuſpenſus ſit, in Verbis 3 rad. ה, *Ezech. XVI*, 13, וַתִּיפִי, *Pſ. XXXVII*, 20, כָּלוּ:, 2 *Par. XXIV*, 11, וִיעָרוּ, *Pſ. CXXXVII*, 7, עָרוּ עָרוּ, *Neh. VIII*, 11, הַסּוּ, & in Chaldaico *Eſdr. VII*, 25, מַנִּי; 60) Cur item *Eſ. LVI*, 9, 12, אֵתָיוּ, *Jer. XII*, 9, הֵתָיוּ, *Pſ. LXVIII*, 32, יֶאֱתָיוּ, *XXI*, 12, נִטּוּ, *Pſ. LVII*, 2, חָסָיָה, *Deut. XXXII*, 37, חָסָיוּ, *Pſ. CXXII*, 7, שַׁלְוָה, *Pſ. LXXIII*, 2, נָטָיוּ; 61) Cur *Job. XX*, 26, in יֵרַע, *Prov. XVII*, 10, תֵּחַת, *Num. XXX*, 3, תָשֵׁבַע; 62) Cur *Mich. VII*, 8, 10, in אֹיַבְתִּי 2 *Reg. V*, 18, בְּהִשְׁתַּחֲוָיָתִי, *Amoſ. IX*, 1, וּבְצַעַם; 63) Ac denique cur in propriis, *Jud. XVII*, 1, 4, מִיכָיְהוּ:, 1 *Par. IV*, 3, הַצְלֶלְפּוֹנִי:, 1 *Par. XXV*, 4, 25, חֲנָנִי, *Neh. IX*, 4, בָּנִי, 1 *Par. III*, 24, עֲנָנִי, *XXV*, 4, יָשְׁבְּקָשָׁה.

His igitur LXIII Quæſtionibus qui ſatisfecerit, ei & ego me obſtrictum profitebor, & gratias aget orbis eruditus, ab illo informatus.

INDEX
DISSERTATIONUM,

QUÆ

VOLUMINIS SEPTIMI

PARTE SECUNDA

CONTINENTUR:

I. Io. Christoph. Harenbergii Expoſitio Quæſtionis: Cur Deus in ſyſtemate Levitico ſibi corda immolari haud iuſſerit, eiusque enodatio. Pag. 185 - 20.

II. Petri Zornii Diſſ. poſthuma de Cæſaris Neronis domeſticis Chriſtianis, ad *Phil. IV*, 22. Pag. 203 - 215.

III. I. P. S. Speciminis Gloſſarii Græco-Phœnicii quæ reſtant. Pag. 215 - 247.

IV. Christoph. Aug. Heumanni Emendationum Minucii Felicis Ferculum ſecundum. Pag. 247 - 272.

V. Frid. Ottonis menckenii Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typogra-

graphici Maittairiani, Decas quinta, eiusque prior Pars. Pag. 272 - 317

VI. Jo. Gottlob Hornii Hiſtoria expeditionis auxiliaris, a Friderico Severo, Landgravio Thuringiæ, & Marchione Miſniæ, in honorem & emolumentum Eduardi III, Regis Angliæ, contra Philippum Valeſium, Regem Galliæ, belligerantis, A. 1339 ſuſceptæ, ex Annalibus optimis eruta, & ope Chartarum publicarum pro virili probata. Pag. 318 - 349.

VII. Dan. Wilhelmi Trilleri ad Veterum Auctorum loca nonnulla Obſervationes criticæ. Pag. 350 - 359.

VIII. Christiani Benedicti Michaelis Quæſtiones Grammaticæ ex lingua Ebræa. Pag. 359 - 372.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS SEPTIMI PARS TERTIA.

Cvm Privil. Reg. Pol. et Elect. Sax.

LIPSIAE,
APVD B. LANCKISII HÆREDES,
MDCCL.

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
NOVA

AD [illegible]

SCIENTIARVM,

AB

QVI [illegible]

ERVDITORVM [illegible]

[illegible]

PER PARTES [illegible]

[illegible]

AP [illegible]

I.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII
EXPOSITIO ODÆ DAVIDICÆ XVI.

SYNOPSIS.

§. I. Illuſtratur inſcriptio. II. Eruitur & oſtenditur is, ad quem ſpectat vaticinium. III. Illud ad Davidem haud quadrat. IV. Subjungitur metaphraſis Latina. V. Illuſtrantur nomina ac verba difficiliora. VI. Expenditur verſio LXX. VII. Exhibetur theologia hujus Pſalmi.

I.

Oda XVI *Davidica* appellatur מִכְתָּם, & quidem cum adjecta voce לְדָוִד. *Cimelium*, *Davidi* donatum ac traditum, ſignificatur. Non enim modo hæc *Davidi* in-

ſpirata divinitus ac donata fuit Oda, ſed ipſe per eam animæ ſuæ exhibitum traditumque nactus eſt pretioſiſſimum ac præſtantiſſimum theſaurum. *Cimelium*, *κειμήλιον*, Græci ſic dixerunt a recondendi cura, ac a negotio reponendi pretioſa ſecreto atque arcano. Orientales populi æque appellarunt *michtam* ex *catam*, id eſt, *celando*, *abdendo*, *occulendo*. Quis addit ac occulit quidquam, niſi ipſi res ſit cum pretioſis maximique momenti rebus? Arabes terunt adhuc familiari uſu verbum كَتَمَ, *catam*, quoties de re ſtudioſe celanda, occulenda, vel abdita, cogitant, vel mentionem injiciunt. *Jacobi Golii Lexicon Arabico-Latinum* cito in præſens ad teſtimonium *pag. 2002*, ſiquidem ſupervacuum eſt, id, quod planum ac in medio eſt poſitum, locis ex Arabum apparatu literario decerptis comprobatum ire, vel illuſtrare. Univerſis Odis *Davidicis* appellatio cimelii luculenta haud fuit præfixa. Veniunt in hunc cenſum duntaxat *Odæ XVI, 1, LVI, 1, LVII, 1, LVIII, 1, LIX, 1, LX, 1.* In hiſce cardo rei ac argumentum vertitur circa liberationem Jeſu glorioſiſſimam e ſtatu prorſus deplorato, ac ex miſeriis multo exquiſitiſſimis triſtisſimisque. Nihil mortalibus magis auro contra carum eſſe poteſt, quam retractio ex abyſſo, quam vita a mortuis revocata, quam ſalus e rebus deſperatiſſimis enata. Græcis in uſu ac more fuit æque poſitum, cantilenas ac orationes argumenti præſtantiſſimi *aurum* vocare ac *cimelia*. De *Pithermo*, Poeta Tejo, *Hipponax Clazomenius*

in

in *Jambis* apud *Athenæum Dipnoſoph. XIV*, *309*, *pag. 625*, ſic judicat: Χρυσὸν λέγει Πύθερμος, ὡς οὐδὲν τ᾽ ἄλλα, *aurum Pithermus loquitur, nihil aliud*. Ebræi *laminam pretioſi metalli* vocarunt כֶּתֶם, *Ketem*. Litera *mem*, nomini præfixa, denotat vel receptaculum, vel inſtrumentum, vel utrumque ſimul. *Michtam* itaque eſt proprie id, quo laminæ pretioſi metalli aſſervantur, ſeu receptaculum, in quod reconduntur. Receptaculi vero ejusmodi pretium æſtimatur re inibi contenta, & aſſervari ſolita. Quare cogitatio, cum de *michtam* eſt ſermo, ad theſaurum potius, quam ad ejus receptatricem ciſtam, decurrit ac feſtinat. Uſus numi ſignati demum ad *Phidonem Argivum* ac *Darium Medum* referendus eſt. Antea mortales loco pecuniæ utebantur laminis auri argentique tenuioribus, quæ in ſegmenta pro pretio varia poterant ſcindi. Fruſta, inde deciſa, poſtea, ut de pondere conſtaret, ad lancem appendebantur. Mos hic apud Tzinenſes aliasque gentes adhuc viget. Veteres non ſtatim apparatu multiplici mechanico aurum argentumque extuderunt, eliquarunt, excoxerunt. Neceſſitas & avaritia artes metallurgicas invenerunt. Auri ſacra fames quid non mortalia cogit pectora? Veteres collegerunt primo tempore aurum ex fluviorum arenis, idque igni haud excoctum, ac dictum inde a Græcis ἄπυρον. Quapropter laminæ auri, vel pretioſioris metalli, nomina traxerunt a fluviis, in quibus aurum, vel argentum,

inſtar graporum fuit inventum. Celebrantur hos inter fluvios Pactolus Phrygiæ, Phaſis in Colchide, ſeu Mingrelia, Araxes, Bardines, ſeu Chryſorrhoas, Damaſcum interfluens, amnes aliquot Arabiæ, flumina Hiſpaniæ Bætis, Tagus, Iberus. Ne quid porro adjiciam, in cauſa eſt rei claritas. Inde כֶּתֶם פָּז, *ketem pas*, eſt *lamina auri*, *ex Phaſi collecti*. *Cant. V, 11.* Aurum *ex Uphas* ex Abeſſinia in Ægyptum ac Arabiam fuit perlatum. *Jer. X, 9.* Apud Æthiopas Macrobios plus auri, quam Perſas, quondam erat, teſte *Pomponio Mela*. *Dario Hiſtaſpidæ* Æthiopes quotannis in tributum dederunt *δύο χοίνικας ἀπύρυ χρυσίυ*, *duos auri rudis ſemodios*, teſte *Herodoto III, 97.* Ultima Ætpiopiæ iam olim auro abundarunt, teſte eodem *III, 114.* Necdum hodie in ora maritima Zanguebar aurum fluviatile ac effoſſum deſiit. Si quis hoc dubitat, eum ad *Maffeji Hiſtoriam Indiæ Lib. I pag. 15* remittimus, nec non ad *Oliverium Dapperum*, de Africa ex ſcriptoribus fide dignis ſua commemorantem *pag. 640.* In mentem venit כֶּתֶם אוֹפִיר, *lamina auri Iberici*, memorata *Job. XXVIII, 16.* Iberia, quam Arabes & Iſraelidæ *Moſis* ævo habuerunt commerciis cognitam, eſt procul dubio illa, quæ inter mare Euxinum & Caſpium interiacet. In Iberiam occidentalem Hiſpaniamve ſerius Phœnices excurrerunt ac Troia demum everſa, quæ antea dominatum in maria ad *Herculis* usque columnas exercuerat. Troia, Phrygum caput ante Sardes, fortaſſis

iam

iam ævo *Moſis* ac *Jobi* claſſem in Hiſpanias miſit. Quo minus tamen id firmo complectamur aſſenſu, impedit ſilentium, quo hic conflictamur, eorum, quos vetuſtiſſima tulit ætas, Autorum. Suffecerint hæc ad vocem *michtam* propius noſcitandam. Alexandrinus Interpres Græcus, id nominis parum habuit compertum, illud convertens in vocem Græcam, in στηλογραφίαν, *inſcriptionem, conſpicuam in ſtatua publice erecta.* Si ipſe ſibi perſuaſit, ſuum eſſe, ſubſtituere vocem מכתב, *michtav*, voci *michtam*, ipſe fidei ſuæ admodum defuit. Crediderim tamen, ſuperfuiſſe interpretis ætate intra Ægyptum nomina permulta, ævi *Pharaonici* reliquias, quibus Interpres Græcus in locum Hebraicorum ſubſtitutis, aggreſſus fuerit voces difficiliores Hebraicas exponere. Rem alibi exponam copioſe. Progrediendum enim nunc eſt ad Odam ipſam. Satis diu hæſimus in limine. Hoc ſalutato, licebit porro arcem cauſæ invadere.

II. Scopus Odæ in eo verſatur, ut Meſſias partim ad eccleſiam, partim ad Deum patrem, orationem dirigat. Vaticinium ineſt Odæ, quo tum Judæorum errores præiudicati removentur, tum ſtatus Meſſiæ uterque, unus exinanitionis, alter exaltationis, exponitur. Tempus & ſcriptionis occaſio ignoratur. *David* ſenex doctrinam, ſibi de Meſſia probatam, ediſſeruit haud unis vicibus. Clariſſima ſunt ea, quæ leguntur *2 Sam. XXIII, 1.* R. *Abbu* in *Midraſch Tehillim* a)

a) Ad *Pſ. XVIII*, 51, & *Pſ. XVI*, 9.

Odam noſtram de Meſſia expoſuit, nonnullis, quæ limam merentur, intextis. Omitto teſtimonia aliorum recutitorum, qui idem ſenſerunt. Veritas Judæis vetuſtioribus adeo ſeſe infuderat, ut, quin hæc Oda Meſſiam delinearet loquentem, dubitare haud poſſent. R. *Iſaac* docuit, *inciſo* Odæ noſtræ *nono* indicari, nec vermem, nec tineam, poteſtate ulla in Meſſiam gaviſos eſſe. Autor libri *Nepheſch Chochmah* Capite de *Myſterio Paſchatis* Odam ſecundam æque ac decimam ſextam expoſuit per ſenſum proximum de Meſſia. *Petrus* ac *Paulus*, legati divini, Odam noſtram de Chriſti ſtatu utroque explicarunt. *Act. II, 25—28, XIII, 34, 35.* Spiritus ſanctus, qui *Davidem* rexit, ac ei Odam noſtram inſpiravit, Apoſtolos æque animavit, atque in omnem, ipſis convenientem, perduxit veritatem. Inter Chriſtianos itaque controverſiam agitari nefas eſt de quæſtione, an Odæ noſtræ ſenſus Jeſu noſtro, Meſſiæ genuino & unico, ſit proprius & congruens. *Inciſi ſecundi* ac *tertii* ſenſus eſt difficilior. Præmittitur eis verbum אָמַרְתְּ. Qui perpetuum verbi huius ac formæ uſum ob oculos ſibi ponunt, non poſſunt non fateri, præſto eſſe ſecundam temporis præteriti, ſeu perfecti, perſonam generis foeminini. Inducitur itaque Meſſias loquens ad eam, quæ Jehovam venerata eſt Dominum ſuum ac benignitatis fontem, quæ ſanctis, in regione illa, ſeu Palæſtina, verſantibus, haud citra errorem admodum ſuis confiſa & immixta, ſanctulis, quorum pœnæ inſtabant & dolores. Qualis hæccine fœmina? Qualisnam hæc virgo?

virgo? Qui ea curæ habent, quæ ei tribuuntur, illis facile eſt intellectu, eccleſiam deſignari Judaicam, in qua plurimi eos, qui ſanctitatem ac magnificentiam oſtentabant, pluris fecerant, quam fieri debebant. Si quis vero ambigit, an Meſſias *Oda XVI* loquens inducatur, eum volumus rogatum magnopere, ut ad argumenta ipſa intendat attentionem. Loquitur enim in ea is, qui 1) ſanctulos, eosque fucatæ pietatis oſtentatores, doloribus mactabit, ac ipſos deprimet, *v.* 4; qui 2) ſanguinem dicitur potius, quam libamina, immolaturus *v. 4;* qui 3), ſe nunquam a Patre Jehova dimoveri, dicit *v. 8;* qui 4) perhibet, ſeſe in ſtatu mortem excepturo non relinqui *v. 10*; qui 5) perhibet, ſeſe in eo ſtatu corruptionem haud ſenſurum eſſe *v. 10;* qui 6) addit, ſe ſemitam vitæ multijugæ & gaudiorum ſatietatem iuxta conſpectum Jehovæ aditurum eſſe *v. 11;* qui 7) adiicit, ſe delicias ad dextram Jehovæ perpetuo habiturum. Quis eſt hominum, Meſſia excepto, in quem hæc quadrant ſigillatim & ex univerſo? Jeſum hominem, in utroque ſtatu delineatum, hic facile pervidere licet. Nec tamen is modo repræſentatur ut homo, ſed etiam ut Deus. Qui enim hypocritas introſpicit, pœnisque onerat, is cordium eſt omniſcius inſpector, & impiorum iuſtiſſimus iudex.

III. Quis ſibi perſuadebit, hæc ad *Davidem* congruere? Is certe ſanguinem ſuum pro hominibus haud profudit. Quis ipſum dixerit

cordium ſcrutatorem & improborum iudicem? Quis credet, eum in ſtatu mortem excipiente corruptionem haud ſenſiſſe? Quis audivit, ipſum morti haud relictum, vel in vitam revocatum? Sepulcrum *Davidis* in Judæa adhuc oſtenditur viſentibus. Reges domus *Davidis* in ſpelunca montis Zion ſunt tumulati, docente id Autore *Cipporum Hebraicorum pag.* 42, quos *Joannes Henricus Hottingerus* iterum publicavit Heidelbergæ A. 1662, 8. Autor idem Ebræus ſecundum metaphraſin *Hottingeri* de ſepulcro *Davidis* hæc tradidit *pag.* 30: *Chebrone ſupra ſpeluncam ædificium eſt mirabile & pulchrum, quod Davidi Regi p. m. tribuitur. Dio Caſſius* præterea *ſepulcri Davidici* meminit *Lib. LXIX pag.* 749. *Davidem* vero Hieroſolymis opera *Salomonis* fuiſſe tumulatum, tradidit *Joſephus Ant. Jud. VII,* 15, §. 3, *pag.* 412 *Tom. I edit. Havercamp.* Adiecit nonnihil *Joſephus* de *Hyrcano*, Pontifice, & *Herode*, Rege, qui magnas ex monumento *Davidis* opes ſuſtulerint, nec tamen turbaverint θήκας τῶν βασιλέων, *loculos Regum*, profunde quippe reconditos. De *Hyrcano* idem repetiit *Ant. Jud. XIII, 8,* §. 4, *pag.* 658, ac *de Bello Jud. I,* 2, §. 5, *pag.* 56, *Tom. II*; de *Herode* autem *Ant. Jud. XVI,* 7, §. 1, *pag.* 802. *Petrus* Judæos omnes monuit rei conſcios, ſua ætate *Davidem* ſepulcro manſiſſe concluſum, *Act. II,* 29. Necdum hodie corpus *Davidis* ad vitam fuit revocatum.

IV. Progredimur, hiſce præmiſſis, ad *Odæ* ipſius metaphraſin. En eam!

1. *Serva me, Deus, provide, ſiquidem in te fiduciam colloco.*
2. *Dicis*, o eccleſia, *Jehovæ: Dominus meus es tu, benignitas mea!* qui totus totus es benignus ac iuſti rectique promus condus! *non ſupra, iuxta, & præter, te* eſt quidquam eiuſdem perfectionis, tibi ſimile, vel æquale.
3. Dicis *ſanctis, qui in hac terra ſunt*, בָּאָרֶץ, *& eis, qui ſplendidum* b) *quid oſtentant: omnis oblectatio mea eſt in ipſis.*
4. *Augeſcent dolores ipſorum poſtea. Feſtinant ipſi* ad dolores ſuſtinendos. *Non libabo libamina ipſorum præ ſanguine, nec evebam ipſorum nomina, quæ ſunt ſuper labiis meis.* Ipſi ſunt mihi ſatis cogniti. Societatis ipſorum ſum expers. Ipſos averſor. Libamina ipſi ſua habeant. Sanguinem profundam, non libamen ipſorum, hypocriſi iunctum. Deprimam ipſos, ac ſinam pœnas incurrere, quibus imminent, & quas ſibi celeriter contrahunt.
5. *Jehova, pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu ſuſtentaſti tribum meam.* Tribus Judæ eousque conſervata Reges ipſumque Jeſum produxit. Calix perpeſſionis ſymbolum, adeundæ a Meſſia ante hæreditatis aditionem.
6. *Partes hæreditatis aſſignatæ obtigerunt mibi in ſuaviſſimis* (partibus) *& amœnis: immo poſſeſſio hæreditaria perplacet mibi.* Pater Je-

Bb 5 ſu

b) אַדִּירֵי ſupple הָאָרֶץ, vel בָּאָרֶץ, ac intellige *oſtentatores magnificos in Judæa*, ſeu Phariſæos.

Sic omnia ſunt in expedito.

ſu noſtro ſecundum huius illam naturam, quæ amplificari poterat, aſſignavit regnum mundi ac hominum. *Pſ. II, 8, 9, 12, Ebr. II, 9, 10.*

7. *Celebrabo Jehovam, qui conſilium iniit mecum, quin etiam, ad noctes quod attinet, erudiunt acrius & ſeverius tunc me qua renes meos.* Conſilium illud pertinuit ad pactum de genere humano redimendo ac expiando. Noctu vigilantiſſime Jeſus ad Deum patrem in ſtatu humilitatis preces direxit. *Pſ. LXXXVIII, 2.* Deus dicitur noctu Meſſiæ cor luſtrare, nec invenire quidquam. *XVII, 3.* Ne noctu quidem hoſtes Jeſum reddiderunt quietum, vel tranquillum ſiverunt ipſum. Intima & occultiſſima explorarunt & quæſiverunt ex ipſo. Meſſias indicat iudicium, de ſe habitum apud *Caipham* & *Hannam*, ignorantes conſilium Dei, cum Meſſia initum. Qui inveſtigant renes ſacerdotes victimarii, abditiſſima explorant. Significatus renum hic ſolicitandus non eſt. Chaldæi enim & Syri vocant renes כֻּלְיָן, ܟܘܠܝܢ, ܟܘܠܝܬܐ.

8. *Propoſui Jehovam in conſpectum meum perpetuo, nam a dextra mea eſt; non dimovebor.* Licet Judæi quæſtione iudiciali & ſupplicio Jeſum excruciarent; nihilo minus perſtitit in conſilio pacis, cum Patre inito. Et eam ob cauſam Pater filium exinanitum ſuſtentavit, ac robore animi præmunivit. Verbum שִׁוָּה

idem

idem eſt, ac *ſibi proponere*, *in animum inducere*. Interpres Græcus Alexandrinus ſubſtituit verbum προορᾷν, *prævidere*, *proſpicere*. Quod enim quis ſibi in animum inducit, id ſimul prævidet, ſeu mente providet, cui tribui ſolent oculi. Monuit id ipſum *Guilielmus Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς *pag. 392*. *Alexandrinus* illud בַּל אֶמּוֹט, *non dimovebor*, reddidit per ἵνα μὴ σαλευθῶ, *ne dimoveat*, ut hæc verba cum antecedentibus eo arctius iugaret, ac rationem redderet, cur Deus Pater ei a dextris eſſet, cur tantus ei præſto eſſet tutator.

9. *Propterea lætatur cor meum, & exultat gloria mea: quin etiam caro mea ſedem tenebit cum fiducia.* Gloriam Hebræi vocant id, quod præcipuum eſt ac in ſuo genere perfectum. Quid vero homini inter res creatas eſt præcipuum, niſi lingua, rationis & orationis promacondа? Ipſa quid eſt nobilius, ſi bono cum affectu gloriam ac perfectiones Dei prædicat? *Jac. III, 16.* Ex eo factum eſt, ut Hebræi linguam vocaverint *gloriam*, כָּבוֹד. Exempla huius ſignificatus exſtant *Pſ. XXX, 12*, *Gen. XLIX, 6.* Alexandrinus Interpres eam ob cauſam hoc loco *gloriam* per *linguam* reddidit.

10. *Certe non relinques me in ſtatu, mortuis communi: non permittes, benignum recti cuſtodem ſentire corruptionem.* Jeſus itaque re vera mortuus eſt; at incorruptus ab omni pu-

tredine

tredine carieque manſit. Hebræi reddunt me per נַפְשִׁי, ſi vel maxime corpus duntaxat indicetur. Statum, qui mortem hominis conſequitur, ante beatitudinem, iidem vocant שְׁאֹל ex ævo primo, quo res, a ſenſibus abductæ, per figuras ac adſpectabilia ſymbola fuerunt delineatæ, eo quod is expreſſus fuit per voraginem lati oris, omnes appetentem, ex שָׁאַל appetendo, rogando, quæ vox nec Arabibus eſt ignota, teſte *Golio pag. 1129.*

11. *Manifeſtum mihi efficies tramitem modumve vitæ multijugæ, ſaturitatem gaudiorum iuxta vultum tuum. Amœnitates ſunt ad dextram tuam, eaque ſempiternæ.* Status vitæ, a Jeſu, reſumtæ, & exaltationis ad potentiam & poteſtatem, ipſi cum Patre communem, ſignificatur.

V. Vocem ſecundæ perſonæ fœmininæ אָמַרְתְּ haud attenderunt, nec penſi ſatis habuerunt, plerique Interpretum, rati potius, eam eſſe mutandam in אָמַרְתִּי, *dixi.* At nobis ne hilum quidem in vocibus ſacrarum literarum mutare licet. Nulla hic nobis, ut ſic agamus; patrocinatur varians lectio. Si vocem illam fœmininam clare inſpexerimus, reliqua ſunt in expedito. Depingit ac luculente repræſentat *David*, perſonam Meſſiæ loquentem inducens, ſtatum eccleſiæ Judaicæ, qui, Jeſu naſcente, ac miniſterium adſpectabile obeunte, vulgo vigebat. Judæi enim ea ætate plerique fiduciam ſuam in miſericordia Dei ponebant, licet

eet pretium redemtionis Meſſianæ cum ea haud coniungerent, in operibus ſuis ceruſſa obductis, in ſanctis ſuis, Patribus præcipue & magiſtris ac ſacerdotibus, in ignis expurgantis, a *Platone* adoptati, expiatione, ac in ſplendore hominum, templi, ac cerimoniarum, externo acquieſcentes. In his ſita erat Judæorum oblectatio & fiducia. Quid vero iudicat, quid ſentit, de hac fiducia Meſſias? Prædicit illis, qui ſic ſentiebant, dolores, e veſtigio inſtantes, ſiquidem ſanctitatis ac ſplendoris illius fiducia exſpiravit & evanuit Hieroſolymæ excidio ac ruina. Meſſias deſignat, ſe victimam ſanguinemque potius eſſe immolaturum, quam libaminibus operaturum. Hoc enim erat Levitarum; illud vero Meſſiæ. Prænuntiat Meſſias, fore, ut ſanctulos Judæorum, Phariſæos, non magnifice evehat, ſed deprimat ac reprehendat. Verbum שמר *v. 1* denotat ſolicitam & diligentem rei, vel hominum, cuſtodiam *Pſ. XVII, 18.* Cuſtodes enim, rebus aſſervandis, ac hominibus cuſtodiendis, prorſus intenti, appellantur שׁוֹמְרִים. *Inciſo ſecundo* leguntur illa בַל עליך, quæ *M. Petrus Joannes Wincklerus*, Stollbergenſis Superintendens, credit c) vertenda: *in te non eſt ſitum*, an dir liegt es nicht. Vocula עַל deſignat id, quod Latini efferunt per *ſupra*, *iuxta*, *contra*. Proprie eſt עַל id, quod ſupra, vel iuxta, rem eminet. *Pſ. L, 4a.* Cognatum ei verbum עלה indicat *niſum ac tendentem operam in altum.* Inde eſt מַעַל,

מַעֲלָה

c) *Gelehrte Leipziger Zeitung* 1746 *pag.* 789.

מַעְלָה, *ſupra, deſuper*, ac ſubſtantive *pars eminens & incumbens ſuperne*. Illud רֹאשִׁי — עַל eſt idem ac *in parte ſuperiori, in vertice, capitis mei. Gen. XL, 16.* Vocula autem בַּל *negationem* infert, haud ſecus ac בְּלִי, בִּלְתִּי, ex בָּלָה *conſumi, interire, in nihilum redigi.* Idem itaque eſt בַּל עָלֶיךָ ac *nihil ſupra te eſt, quod tibi immineat, vel incumbat*, benignitas tua ac gratia eſt liberrima, prorſus a maioris auctoritate ac iuſſu, vel coercitione ac determinatione, immunis. Exiſtimabant Judæi, Patrem cœleſtem citra omnem Filii expiationem eſſe ipſis benignum ac miſericordem. At fallebantur. Nomen הָאָרֶץ, *terra illa*, ſæpius definit ac deſignat *terram illam* promiſſam, ac Iſraelitis impertitam. De eccleſia Judaica, hic agitur. Ergo terræ eius fit mentio, quam Judæi potiſſime incolebant. *Inciſo tertio* præterea אַדִּירִים commemorantur. אַדִּיר proprie dicitur is, qui magnæ eſt auctoritatis, qui potentia pollet. Inde vox אַדֶּרֶת eſt geſtamen, auctoritatis ac dignitatis indicio excellens, Prophetis conſuetum. *Jon. III, 6, Zach. XIII, 4. Arueb fol. 5, 1.* Vox deperdita אדר Arabibus Perſisque in uſu adhuc eſt, ac modum *prominendi & eminendi* denotat. Inde eſt nomen menſis *Adar*, vel *Adſar*, apud Perſas noni. *Addar, Adſar, Adar,* آذر *,eminentem,* immo *Deum* ipſum, apud Aſſyrios Perſasque deſignavit. Perſæ *fulmen* ac *ignem* vocant آذر, eo quod ignis fuit Perſarum Medorumque veterum

terum Deus. Confer *Golium pag. 55*. Tribum Meſſiæ Jehova perſtare voluit, hoc eſt, tribum Judæ, e qua Jeſus fuit natus *v. 5*. Eousque & ultra excidium Hieroſolymitanum tribus illa manſit impermixta. Genus *Davidis* adhuc *Domitiano* imperante ad finem Seculi primi exſtitit, licet afflictum & depreſſum. *Domitianus* iuſſit univerſos, qui a *Davide* originem generis ſui ducerent, occidi. Cum vero comperiſſet, eos eſſe egenos ac tenuiſſimæ conditionis, regnum vero Jeſu nec huius mundi, nec terræ, eſſe, intentatam conſectationem eorum compeſcuit, haud amplius timens, ne adventus Chriſti ipſi noxæ foret. Teſtem compello *Hegeſippum* apud *Euſebium Hiſt. eccl. III, 19, 20. pag. 109 ſeq.* ed. Cantabrig. 1720 f. *Joſephus Scaliger* in *Chronico Euſebii ad A. 97*, hæc ita accepit, quaſi *Domitianus*, quicquid tribus Judæ ſuperfuerit, dederit neci. P. *Halloix* in *Notationibus* ad vitam *Hegeſippi* errorem *Scaligeri* merito reprehendit. Status mortuis communis appellatur ab Hebræis שְׁאוֹל, a Græcis ᾅδης. שַׁחַת eſt proprie *corruptio*, pereundi modus. *Job. IX, 31, Pſ. LV, 24.* Ad *Scheol*, ᾅδην, *deſcendiſſe* dicuntur, qui ſunt mortui. *Prov. XV, 24, Eccl. III, 21.* *Pindarus* eandem loquendi formulam adhibuit *Pyth. Od. III, v. 13 ſeq.* Inde tamen haud conſequitur, in ſtatu poſt mortem nullam animarum improbarum vindicem rationem habuiſſe locum. Apud inferos enim luere pœnas mentem quamvis improbam, peccatis ante mortem haud refragatam,

tam, tradunt ipſi etiam homines, qui a religione vera fuerunt alieni. Prodeat *Pythagoras* apud *Diogenem Laertium* in *Vita Pythagoræ pag 221.* Prodeat in medium *Æſchylus* in *Prometheo vincto pag. 14* ed. Pariſ. 1557, 4. Parco aliorum locis ac teſtimoniis. Priſca ætas, ante inventionem literarum alphabeticarum, figuris uſa eſt, res abſtractas a ſenſibus delineatura. Inde evenit, ut ſtatus miſeriæ per deſcenſum ad ſpecus carceris ſubterranei tenebroſos fuerit ſignificatus. Qui conſulunt apologum *Eris Armenii* apud *Platonem de Republ. Lib. X pag. 518,* d) ii intelligent, morem priſcum, figuris indicatum, penetraſſe ad ſecula nobis propiora, quibus iam per ſigna alphabetica cogitationes memoriæ prodere conſueverunt mortales. Meſſias vocatur חֲסִידִים *v. 10*, eo quod in ipſo eſt complexus quidam benignitatum ac ſtudii, perfectiſſimarum virtutum. Idem ipſi nomen tribuitur *Eſ. LV, 3, Act. XIII, 34,* nempe *bhasde David binneemanim;* τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιςά. Ipſe enim, expiationis autor, fœderis œconomiæ novæ cardo & ſumma, eas effectui dedit gratiæ promiſſiones, quas Deus *Davidi* impertiverat. *Aben Esra* ad *Es. LV, 3,* ita: *Probabile eſt, miſericordias Davidis deſignare Meſſiam, qui ex familia eius naſciturus eſt.* Alexandrinus interpres Græcus in Oda noſtra חֲסִידֶיךָ per ὅσιον σε tranſtulit, ſententiamque eandem firmavit. Nec improbabile eſt, per *mortem ſanctorum Dei Pſ. CXVI, 16,* Meſſiæ

d) Edit. Lugd. 1590, fol.

Meſſiæ mortem ſignificari, nobis pretioſiſſimam, ſiquidem in hac Oda continetur gratiarum actio Meſſiæ in vitam revocati ad Patrem ſuum cœleſtem, quemadmodum alias comprobaturus ſum idoneis argumentis.

VI. Metaphraſi Græca Alexandrina Judæi, Græca lingua loquentes, Seculo, quo Jeſus in terris ſeſe ſpectandum præbuit, uſi fuerunt univerſi. *Lucæ* itaque & Apoſtolorum fuit, eam adhibere, quantum per veritatem licebat. Sunt etiam loca in Græca translatione, quæ immerito reprehenduntur. Exſtant tamen & aberrationes in ea ſatis multæ. Huc refero ex hac Oda exemplum haud unum. Verbum אָמַרְתְּ *v.* 2 non erat exprimendum per *εἶπα*, ſed per *εἶπας, γυνὴ, dicis, mulier.* Nomen מִכְתָּם *v.* 1 immerito redditum fuit per *ςηλογραφίαν.* In *inciſo ſecundo* ſubit mirari, cur Alexandrinus illud בַּל עָלֶיךָ reddiderit per hanc enuntiandi rationem, *ὅτι τῶν ἀγαθῶν μȣ ȣ̓ χρείαν ἔχεις, beneficiorum meorum haud indiges.* Nomen טוֹבָתִי ſpectat ad priora, non ad *bal alécha. Inciſi tertii* ſenſum Alexàndrinus haud aſſecutus fuit, ſiquidem nomen אַדִּירֵי convertit in *ἐθαυμάςωσε*, id eſt, *admirabiles reddidit*, quaſi Chaldaice hic legeretur אָדִיר, vel אֶאֱדִיר, אִידִיר, אַדִיר, vel אֲדִר. *Omnis oblectatio mea in ipſis ſita eſt*, כָּל־חֶפְצִי בָם, pronuntiatum eſt luculentum. Alexandrinus vero hæc ſic expreſſit: *πάντα τὰ θελήματα αὐτȣ̃ ἐν αὐτοῖς, omnia arbitria eius in ipſis.* In *inciſo quarto* עַצְּבוֹת ſunt

gens. Ipſe videtur participium præſentis, vel perfectum, in hoc commutaſſe. Verbum יסר de ſervis adhibetur; qui meliora docentur caſtigationibus ac aſperiori diſciplina. *Prov. XXIX, 9, 1 Reg. XII, 11, Pſ. CXVIII, 18, Hoſ. VII, 11, Pſ. XCIV, 10.* Unde מוסר eſt manuductio ad bonum per legis diſciplinam, *Eſ. LIII, 5.* Alexandrinus: Ἔτι δὲ καὶ ἕως νυκτὸς ἐπαίδευσάν με οἱ νεφροί μου, *adhuc autem & usque ad noctem erudierunt me renes mei.* In Hebraico contractius: אף — לילות יסרוני כליותי, *quin immo, ad noctes quod attinet, acriori diſciplina inſtituunt me qua renes meos.* De diſciplina renum, non eſt, quod cogitemus. Num hi poſſunt magiſtrorum vicem ſuſtinere? Num intima Jeſu ipſum per diſciplinam coercuerunt? Nonne ipſe eſt ſanctiſſimus? Homines alii erant, qui aſperiori diſciplina ex caſtigationibus ſervilibus Jeſum coercere ſtudebant. *Pilatus* & accuſatores id muneris & officii involaverant, ut de nocte Jeſum erudirent, coercerent, ac ſervilem in modum compeſcerent. Ad *inciſum 8* & *9* iam ſupra commentati ſumus. Alexandrinus nomen כבוד per γλῶσσαν, *linguam*, tranſtulit. Vaticinia de Jeſu diligentiſſime fuerunt tractata. Eam ob cauſam ſenſus ipſorum perſtitit cognitus & certus. Et id eſt in cauſa, cur Alexandrinus ea plerumque expreſſerit quam luculentiſſime, in ceteris crebrius aberrans. Inde factum eſt, ut vocem חסידיך de *unico illo ſanctitatis promo condo* interpretatus fuerit, congruens admonitioni ſcri-

barum,

barum, qui ultimo jota circellum ſuperimpoſuerant, ne, de pluribus ibi ſermonem eſſe, nobis perſuaderemus. Reliqua ſunt ſatis impedita.

VII. Docemur hac Oda, exiſtere Numen ſupremum; benigniſſimum erga pios ac perfectiſſimum, cui nihil ſit æquale, nihil ſimile. *v.* 2. Ipſum eſſe ſuis ſervandis intentum, ideoque res humanas curare, ac eis providere, conſtat ex *v.* 1. Unde profluit doctrina, noſtrum eſſe, in eo ſolo fiduciam collocare, ac ab eo opem exſpectare inter calamitates noſtras. *v.* 1. Peccant in eam fiduciam, ſoli Deo conſecrandam, ſanctuli, ſeu ſanctitatis oſtentatores, qui ſe potius, quam Deum, reſpiciunt *v.* 3, 4 Qui in hos fiduciam collocant, peccant omnino *v.* 3. Deus, dum dolores pœnasque immittit ſanctitatis ſimulatoribus, oſtendit, ſe eſſe omniſcium, potentem, & iuſtum. *v.* 4. Jeſus, peccatorum expers *v.* 8, 10, effudit ſanguinem ſuum *v.* 4, perpeſſus eſt varia, mortuus & ſepultus eſt *v.* 7, 8, 9, non pro ſeſe, quippe innoxius, ſed pro aliis. Ob officium mediatoris, ſuſceptum ex conſilio pactoque cum Patre inito (*v.* 7), Jeſus homo hæreditatem præſtantiſſimam obtinuit (*v.* 5, 6,), dominatum mundi. Eſt itaque Jeſus & Deus & homo. Ipſe, qua homo, incorruptus ac putredinis expers manſit in ſepulcro (*v.* 9, 10), ac inde in vitam atque ad gloriam ſempiternam fuit revocatus (*v.* 11), membris ſuis felicitatem impertiturus. Animæ igitur hominum ſunt beatitudinis capaces. Quem in finem? Deus, qui adminicula & media

media dedit, finem per ea reſpicit. Datur itaque æterna beatitudo, ad quam homines progrediuntnr, niſi dolores hypocritis convenientes ſibi contraxerint. Hypocritas enim Deus congruenter iuſtitiæ ſuæ pœnis mactat. Quanto magis eos, qui aperte & intrepide ſunt ſcelerati? Animæ igitur hominum ſunt immortales. Habent vero pii, quibus invitamentis ſuas calamitates, quibuscum hic confligari neceſſum habent, ſolari poſſint. Princeps enim & frater ipſorum, Meſſias, non citra dolores temporarios ad gloriam ſempiternam ſeſe evexit. Id inprimis ſtudendum eſt, ut Deum reſpiciamus, in eum fiduciam omnem collocemus, ac, eum, credamus, nos ſuſtentare, nobisque præſto eſſe. Aperit, ille ſuo tempore nobis viam vitæ & amœnitatum. Pietas noſtra ne ſit fucata, providendum. Hanc enim dolores conſequuntur. Qui in operibus & ſuis & ſanctorum aliorum confidunt, nihil inde niſi dolores metunt ac pœnas. Jeſus in nullo præter Deum Sancto poſuit fiduciam, nec nos aliter facere iuſſit. Quid itaque nobis eſt faciendum? An ea anteferamus doctrinæ & vitæ Jeſu, quæ nec mandato, nec promiſſionibus, eius nituntur? Quæ exemplo eius deſtituuntur? An ipſe non eſt omniſcius, potentiſſimus, & benigniſſimus? Eſt omnino. An opera Ieſu, eiusque redemtio, ſupplementis egent? Ipſe pro nobis ex aſſe ſatisfecit, eo quod ipſe qua homo præmium propoſitum obtinuit completum & omnibus numeris abſolutum. Si ipſe, utique ſanctiſſimus, non ex toto nobis promeruit expi-

ationem

ationem iuſtiſſimi Patris; homines certe, per ſeſe peccatores, & per Jeſu gratiam nihil non conſequi neceſſum habentes, nobis haud prodeſſe poterunt conatibus ſuis. Qui enim pro ſeſe nequeunt Deo facere ſatis, quomodo illi alios Deo placabunt? Quæ quis in uſum eccleſiæ ſuſtinet ac tolerat, ea vim meriti haud habent. Quicquid enim habemus boni, id habemus ex Dei gratia. Si ex gratia Dei id habemus, per Jeſum parta; ergo illud haud obtinemus ex operibus vel noſtris, vel hominum aliorum. Gratiam vero illam haud obtinemus, niſi fide & fiducia, beneficia Jeſu ac inter ea expiationem & peccatorum remiſſionem accipiente. Reſtat, ut unicum adiungamus officium, quod noſtri perpetuo inculcant. Gratiam illam haud retinemus, niſi imitando Jeſum in rebus, per ſeſe ad redemtionis officium haud ſpectantibus, ac vitam fidei exercendo.

II.

GOTTLOB FRIDERICI GUDII,

V. D. M. LAUBÆ LUSATORUM,

TENTAMEN, PAULI VERBA

Ebr. VI, 1 — 2,

ILLUSTRANDI.

I.

Quos ſolvere debebant nodos, magis magisque nectunt,

nectunt, qui, hac in pericopa *doctrinarum capita* proponi, exiſtimant, *quæ ab Apoſtolis Chriſtianæ religionis tironibus* tradita fuerunt. e) Hanc enim ad amuſſim qui *Pauli* verba expendunt, ſemet ipſos una cum lectoribus ſuis haud facile ſuperandis difficultatibus implicant, rationem ignorantes, ob quam *Paulus* rudimentis illis *manuum impoſitionem* annumeraverit, quæ quidem ad Apoſtolicæ eccleſiæ ſacros ritus, non autem ad doctrinas tironibus aptas, pertinebat. E contrario doctrinas de *Deo* & *Chriſto*, omiſerit, quibus procul dubio rudiores erant imbuendi. Dictu porro eſt difficile, cur doctrinas de *mortuorum reſurrectione*, & *extremo iudicio*; iterum docere

e) Videantur ex numeroſa horum interpretum caterva *Gebh. Theod. Meieri* liber *de tribus novellorum naſcentis eccleſiæ Chriſtianorum initiamentis*, Helmſt. 1690, nec non *Jo. Ge. Walchii* Diſſertat. *de Apoſtolorum inſtitutione catechetica*, Jenæ, 1728; quorum illc a reliquis, quorum in caſtris militat, in eo quidem diſcedit, quod verba, *βαπτισμῶν*, *διδαχῆς*, ἐπιθέσεως χειρῶν *parentheſi minori* includat, & *tria illa adminicula* deſcribere dicat, per quæ novellis Chriſtianis religionis ſuæ rudimenta communicata fuerint. Vid. *l. c. pag.* 19 At vero coacta verborum interpretatio nobis videtur, regimen vocis θεμέλιον interrumpens, & tribus hiſce nominibus novum & inexſpectatum regimen tribuens. Hunc enim in modum hæc verba interpretatur: *Non iacientes fundamentum reſipiſcentiæ, ab operibus mortuis, & fidei in Deum,* (baptiſmis, doctrina, & manuum impoſitione,) *& reſurrectionis mortuorum, & iudicii æterni.*

docere noluerit, quarum iterata tractatione tamen vel adultiores opus habebant. Multo minus pronuntiare valent, quam ob rem doctrinam de *fide in Deum* capitibus illis, quæ miſſa facere volebat, addiderit, quam tamen hac in *Epiſtola*, maximo cum niſu ediſſeruit ipſe *Paulus*. *Obiectum* igitur *minus adæquatum* tironum inſtitutioni ex verbis *Pauli* eliciunt, qui, in illis capita tironibus tradenda comprehendi, ſibi aliisque perſuadent.

II. Grata itaque mente proſequamur *Zeltneri*, τοῦ μακαρίτου, &, qui eum ſecutus eſt, Cel. *Telleri*, fautoris noſtri cum cura dicendi, operam, nodos illos ſolvendi, & tenebras, quas communis illa interpretatio verbis illis offuderat, diſpellendi; genuinum vero illorum ſenſum eruendi, qui & *naturæ rei*, & *ſcriptoris ſcopo*, *verborumque nexui*, pariter ac *autoris dictioni*, reſponderet. f) Quamvis alios ſuperiori ætate

Cc 5 in

f) Conferatur Celeberrimi *Telleri* Diſſertatio *de perfectione novi fœderis*, quæ in eiusdem *Diſſertationum ſacrarum* Decade locum *ſeptimum* occupat, *pag.* 90. Ante quos Duumviros eundem ſenſum perſpexit *Peircius*, doctiſſimus Anglus, in *Paraphraſi Epiſtolæ huius*, locum noſtrum *interpretum crucem* appellans, & dubitante quidem animo docens, *priſcum fœdus*, *legem inprimis*, *adumbrationem*, *atque imaginem Chriſti*, *indigitaſſe Paulum*; *quibus obſcuris uti lineis*, *in tanta Evangelii luce opus non eſſet*; *unde*, *illas ſe relicturum eſſe*, *diceret Paulus*. Laudatus a translatore & editore ſuo Clariſſimo, *Michaele*, *alienos a Paulo* inter-

in emendanda horum verborum interpretatione fruſtra laboraſſe perceperint. Aſſenſum enim communem merentur, quæ, *Zeltnero* præeunte, de horum verborum explicatione præcepit *Tellerus: Paulum* ſcilicet *non doctrinas a Chriſto nato ſcitu neceſſarias hic removere, ſed ea non niſi præcepta, eumque illa docendi & cognoſcendi modum, præterire voluiſſe, quorum cognitione, & cuius uſu, homines ante Chriſtum natum opus habuerint. Cerimonias*, inquam, *ad Leviticæ legis formulam olim obſervandas. Typis* quippe locus non ſupereſt, quos in *antitypo* completos fuiſſe videmus.

III. Hiſce ergo veſtigiis, quæ cum *Zeltnero Tellerus* calcavit, ſecure inſiſtimus. Enimvero negare nobis non licet, illa nobis prementibus ſcopulos quosdam obveniſſe, circa quos hærere incepimus; qui nobis, ſignatam viam proſecututis, offendiculo fuerunt. Suſpenſos enim nos habebat, quod obſcuritatis non facile abſolvi poſſet *Paulus*, ſi per μετάνοιαν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, *circumciſionem*; per *mortuorum reſurrectionem*, *Iſraelitici populi regreſſum ex Ægypto;* per κρίμα αἰώνιον denique *minas & comminationes, Leviticæ legis violatoribus imminentes*, eum ſignificaſſe, cum *Tellero* g) aſſumeretur. Quam ob rem de ſuperandis,

interpretes indicante, *qui doctrinæ Chriſtianæ articulos fundamentales, atque catechuminis tradendos, hic intelligerent.*

g) Vide loco citato *pag.* 115, &, quæ ſequuntur.

ſuperandis, & e medio tollendis, ſcopulis meditandi initium fecimus, eosque ut evitare poſſemus, in eam ſententiam ivimus, ut, doctrinis, a *Paulo* commemoratis, vulgarem ſuum ſenſum, ex tabulis ſacris hauriendum, & in civitate ſacra receptum, relinquentes, uni non niſi voci θεμέλιον, ex qua *genitivi*, qui ſequuntur, dependent ſinguli, genuinum ſenſum conſtitueremus, cuius eruendi ſuperiores interpretes negligentiores nobis quidem videntur.

IV. Mentem noſtram luculentius explicemus. Accipiendam eſſe ſentimus μετάνοιαν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, καὶ πίστιν ἐπὶ θεὸν, pro *reſipiſcentia impiorum*, *& fide ipſorum in Chriſtum;* Βαπτισμὸς autem tam pro *baptiſmi lavacro, hominum animos regenerandi adminiculo*, quam pro *collatione extraordinariorum Spiritus Sancti donorum*, aetati illi deſtinata, & *Matth. III*, 11, βαπτισμὸς ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ πυρὶ, dicta. Διδαχὴν a voce βαπτισμῶν ſeparandam, h) & per illam *Evangelii praeconium* intelligendum eſſe, ducimus. Ἐπίθεσις χειρῶν eſt nobis *initiandi ritus Epiſcopos, & primi ordinis Clericos pariter, ac ope baptiſmi aſſumti Chriſtianis ſacris adſcribendos*, i) *energumenos etiam, & cum eccleſia in gratiam redituros*. Ἀνάστασιν νεκρῶν doctrinam de *mortuorum hanc in vitam reditu, terrarum orbe pereunte tandem expectando*,

h) Id quod etiam *Meiero* viſum fuit *l. c. pag.* 19.

i) Docente *Binghamo* in *Originibus eccleſiaſticis Vol. II pag.* 27 *&* 184, *IV pag.* 8 *&* 377; *V pag.* 323, *VIII pag.* 117 *&* 208.

ſpectando, indigitare putamus; κρίσιν autem αἰώνιον *iudicii diem*, *qui aliquando hominum ad unum omnibus ac ſingulis a ſummo Numine dicetur*. Atque harum doctrinarum θεμέλιον dici credimus *hominum inſtitutionem*, *quæ ætati ante Chriſtum natum ſolennis fuit*; tam per *varios ritus*, *ſecundum Leviticam legem obſervandos*, quam per *vaticinia*, *typica facta*, *viſiones*, & *ſomnia*. Quippe per quem informandi modum *fundamenta doctrinarum illarum*, *a Chriſto nato luculentius & uberius proponendarum*, iecit ſapientiſſimus Deus, homineſque, ſub novi Fœderis ingreſſum viventes, excitavit, ut occaſioni, doctrinas illas ſine umbris multoque apertius, diſcendi, eo avidius & ſtudioſius inſervirent.

V. Ecquis enim neſcit, doctrinas illas vel ante *Chriſtum* natum cognoſcendas, & a *Deo* quoque traditas fuiſſe? Quamvis, pro gratiæ ſuæ œconomia paulo parcius & obſcurius earum notitiam communicaverit *Deus*. Pingendo enim & vaticinando maximam partem ille docebat. *Leviticæ legis* ſtudium in perdiſcendis hiſce doctrinis utramque faciebat paginam. Per eam ante omnia præcinebat *Deus* filii ſui adventum in carnem, & lytron ab ipſo ſolvendum; ſed docebat ſimul rationem lytro illo fruendi. Quippe, frequentiores illas luſtrationes præcipiendo, commonefaciebat *Iſraelitas* eluendorum ſuorum criminum. Fiduciam quoque in futurum ſponſorem ſuum collocandam iis commendabat, quando manus ſuas immolandis victimis imponere

eos

eos iubebat. *Circumciſionis ritus* regenerationis erat typus. *Dona* autem, quibus ante *Chriſtum* natum doctores interdum inſtruebat *Deus*, primitiæ & præludia dici poterant donorum, quibus N. F. doctores affluere volebat. *Manuum impoſitione* homines ad certa munia initiare, & peccatorum veniæ a *Deo* impetratæ certiores reddere, neque ſuperiori ætati erat inſuetum. Sicut nec illius ætatis homines *mortuorum reſuſcitatio*; & *ſupremum iudicium*, prorſus latuit. Utramque doctrinam & verbis, & factis, tradebat ac illuſtrabat *Deus*. Nonne utriusque eventus vatem ſe geſſit *Enochus*, *Iuda* referente in *Epiſtola* ſua *v.* 14, 15? Quem ipſum una cum *Elia* ad cœlites hac ex vita traxit *Deus*, ut futuræ vitæ teſtes eos ſiſteret. Inſtantem denique Iudæorum liberationem ex captivitate Babylonica Prophetæ *Heſekieli* e longinquo commonſtraturus, *futurum mortuorum reditum e ſepulcris ſuis in hanc vitam* per ecſtaſin Prophetam eum videre, curabat *Deus*.

VI. Sed vero doctrinarum harum notitia omnis, ad quam *Leviticæ legis*, *typorum*, *vaticiniorum*, *viſionum*, & *ſomniorum*, nec non *exemplorum*, ductu ante *Chriſtum* natum pervenire datum erat hominibus; (*placuit enim Deo* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *ad patres ſermonem facere*, *Ebr. I*, 1,) θεμέλιον non niſi cognitionis dici merebatur, quam a *Chriſto* nato conſequi hominibus licuit. Quam cum *ædificio*, quod θεμελίῳ illi impoſitum fuit, haud immerito comparaveris.

ris. Placita enim ſua per gradus & ſcalas revelare, & ipſorum cacumen ævati, quæ *Chriſtum* natum ſecuta eſt, aſſerere. libuit *Deo*. Nec fieri poteſt, ut quis futuros eventus tam clare & plene perſpiciat, quam qui factis intereſt ipſe, & typorum pariter ac vaticiniorum complementa oculis ſuis uſurpat. Quam ob rem, quæ in dicto noſtro *θεμέλιον doctrinarum* audit *Paulo*, in antecedente *Capite commate 12* τὰ *ςοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ*, *prima elementa divini verbi*; nec non γάλα, νηπίοις nutriendis conveniens; (quibus cum V. T. homines comparat *Paulus Gal. IV*, 1,) & ſub initium *Cap. VI* λόγος τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριςοῦ, hoc eſt, *verbum, quo Chriſtum manifeſtandi initium fecit Deus*, dicta fuit *doctrinas illas docendi & cognoſcendi ratio*. k)

VII. Et hoc ipſum eſt illud θεμέλιον, quod *iterum ponere* nolebat *Paulus*. Illud contra præterire, & miſſum facere, conſtitutum illi erat, ad τελειότητα, h. e. ad *eam docendi rationem* paratus, *qua N. F. genio reſpondebat*; *alienam ab obſcuritate, luce ſua coruſcantem*; *Meſſiam* una cum lytro ſuo non tanquam futurum, ſed ἐν πληρώματι τοῦ χρόνου præſentem, lectoribus & auditoribus ſuis ſiſtentem. l) Quas enim ante orbem

k) Eundem phraſium conſenſum affirmat loco citato *Peircius*.

l) Genuinum vocis τελειότητος ſenſum egregie inveſtigavit & ediſſeruit Celeberrimus *Tellerus*, a nobis plus vice ſimplici laudatus, *pag*. 106.

orbem terrarum conditum in ſe ſuſceperat ſponſoris partes, quas ſe aliquando rite obiturum eſſe maioribus promiſerat, iamiam expleverat *Chriſtus*, ut in iis deſiderare quidquam potuerit nemo. Τελειωθὲις ἐγένετο τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ πᾶσιν αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου, docente *Paulo*, *Cap. V*, 9. Id quod vero munus *Chriſtum* confeciſſe negatum iviſſet, qui θεμέλιον, *ædibus, quæ ſuper illud ſunt exſtructæ*, hoc eſt, *docendi rationi, quam N. F. indoles requirebat*, præferre maluiſſet. Spe itaque ſalutem conſequendi excidiſſet *Chriſtum* migrans, & fiduciam ſuam in lytron quoddam reponens, quod ſibi ſine iure futurum eſſe perſuaſiſſet. Inprimis ſi quis cognitione *Chriſti* aliquando ſat ſuperque iam inſtructus, & poſtea *Chriſto* valedicere auſus fuiſſet; aliam viam ad ſalutem ingreſſus, quam duce *Chriſto* premere debuerat. Lytri, *nondum ſoluti*, ſed *in poſterum ſolvendi*, ſtudioſus. Ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας — — — πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ παραδειγματίζοντας. Quandoquidem de *Chriſti* adventu facto dubitans, *illi ſummo, eique uni, Pontifici æque illudit, ac qui in crucem eum egerunt. Cuius tamen victimam non excipiet alia*, docente *Paulo Hebr. X*, 29 — 31. Haud diſſimilis eorum, qui iudice *Chriſto* peccati in *Spiritum Sanctum* ſunt rei, imo ab ipſo hoc infando crimine non ſemper alienus. Quam ob rem feralem illius exitum ſimili, ex *re œconomica* petito, illuſtrat *Paulus*:

lus; cum *infrugifero* & *ſterili agro* eiusmodi homuncionem comparans, *quem exurat tandem paterfamilias com.* 7, 8. m) Conferantur hæc ad dicta *Pauli*, enuntiata *Gal. V*, 2 — 4.

VIII. Equidem *capiendæ huic docendi methodo ſemet ipſos fere impares reddiderant Ebrai*, aures

m) Quæ commata ex *Virgilii Georg. I*, 84 — 94, admodum concinne illuſtrat *Michaelis*, *Peircii* paraphraſin annotationibus ſuis exornans:

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis:
Sive inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia, concipiunt, ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor:
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qui ſuccus in herbas;
Seu durat magis, & venas adſtringit hiantes,
Ne tenues pluviæ, rapidique potentia ſolis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus, adurat.

Perſuaſum enim fuit Clariſſimo *Michaeli*, graviora ſupplicia, hac in vita gratiæ ſuæ acerrimo vindici danda, *Chriſti* contemtoribus *Paulum* comminari, per quæ ad ſaniorem mentem reduci deberent. Belle quidem! Quodſi vero, *infernales pœnas* præminatum fuiſſe *Paulum*, putaveris, quas quidem ad poſteriores curas verba hæc revocans intelligere maluerim, cave, ne ad hunc *Virgilii* locum provoces, in quo de *exuſtione agros ſanante* ſermo eſt, quacum infernales pœnæ nullo modo poſſunt comparari. E contrario *agri Sodomitici* potius memineris, quem ignes cœlo delapſi fertilitate omni privabant, collatis *Gen. XIX*, 24, 25, & quæ in *Itinerariis* de illo leguntur. Niſi forte, in citato ſimili tantum ad exuſtionis *actum*, non vero ſimul ad eius *ſcopum* & *effectum*, *Paulum* reſpexiſſe, dixeris.

aures præbendo *Pſeudo-Apoſtolis*, *Leviticos ritus repetituri*, & *Evangelio*, quod *Paulus*, una cum ſuis ſociis, annuntiaverat, & cui etiam ipſimet ſubſcripſerant, *nunc præferentes*. Cujus *inertiæ*, & *ſibimet ipſis contracti ſtuporis*, verbis, *parenthesi Cap. V*, *11*, ἐπεὶ νωθροὶ γεγόνατε ταῖς ἀκοαῖς inchoaræ, & *commate 14* eiusdem *Capitis* finitæ, incluſis, n) *Ebræos* accuſaverat *Paulus*, æquo cum fervore ac *Galatas*, ad στοιχεῖα illa reverſos. *Gal. IV*, *8 — 11*. Meliora tamen de *Ebræis* ſperare jubebat eum auxilium *Dei*, iis nec poſtea defuturum, quo fulti, integritatis ſuæ ſpecimina non contemnenda jam ediderant. Teſte *Paulo Ebr. VI*, *9*, *10*. Cujus ἄχρι τέλους tenaces ut ſint, *commate 11* eosdem excitat ille. Quo facto, ſe ſperante, inquit, fore, ut inceptam telam, de *Christo*, Pontifice Maximo, *Melchiſedechi* inprimis, nec non aliorum Leviticorum rituum, antitypo, haud ſine ſucceſſu proſequi, & ad finem ducere, queat.

IX. Ex his igitur præmiſſis hæc verborum verſio paraphraſtica enaſcitur. *Quapropter*, (quia ſcilicet, collato *Cap. V*, *11*, de *Chriſti* pontificatu

n) Hiſce limitibus parentheſin circumſcribere malumus, quam cum *Oleario*, in *Analyſi logica huius Epiſtolæ pag.* 19, & *Wollio*, fautore noſtro cum cura dicendo, in *Commentatione de Parentheſi ſacra pag.* 70, ad *Cap. VI* finem extendere. Hujus enim *Capitis* initium concluſionem exhibet, quam ex priori parte *commatis undecimi Cap. V* nectit *Paulus*.

ſicatu nobis *multus eſt, & explicatu difficilis, ſermo, licet vosmet ipſos illi percipiendo fere impares reddideritis,) miſſam facientes priorem, Chriſtum non niſi promiſſum, & in carne nondum revelatum, docendi rationem ad complementum feramur; non iterum fundamentum reſipiſcentiæ, fidei in Deum, baptiſmorum, doctrinæ evangelicæ, impoſitionis manuum, reſurrectionis mortuorum, & æterni iudicii, iacientes. Idque annuente Deo faciemus. Fieri enim nequit, ut quis ſemel illuminatos, cœleſtis gratiæ participes, & Spiritus Sancti compotes, optimo præterea divino verbo bene tinctos, & virtutes futuri ſeculi adeptos iterum,* (ſive, *alia ratione,) ad reſipiſcentiam præparet, ſi relapſi fuerint, & Chriſtum quaſi denuo ipſimet in crucem egerint, ipſumque opprobrio habuerint.* Atque hoc modo luce ſua radiare putamus *Pauli* verba, & ab obſcuritate, qua interpretum culpa obfuſa erant, vindicata. Lampada, quæ viam nobis monſtravit, *Zeltnero* omnino & *Tellero* in acceptis referimus, eorumque honori nihil quidquam detrahere audemus. *Ecquid enim facilius, quam inventis aliquid addere?*

III.

PETRI ZORNII

DISSERTATIO POSTHUMA

DE NOTARIORUM PRIMÆ ECCLESIÆ IN CONSIGNANDIS S. S. MARTYRUM ACTIS SPECTATA FIDE, QUOD AD DEITATEM ATTINET, ADVERSUS AUCTOREM PLATONISMI DETECTI.

I.

Acta *Martyrum* diverſæ ſunt exiſtimationis, & illa potiora, quæ *Proconſularia* & *Præſidialia* dicuntur, ideo quod ab officio Præſidum componerentur. Namque, *Baronio* teſte *Tomo II ad A. C. 290 num. 38*, execrandum erat, in *Tabulis publicis* falſum quid ſcribere, vel ex eis aliter, ac res ſcriptæ eſſent, recitare, ut hoc ipſum crimen *primo capite Legis Maieſtatis*, ut *Ulpianus l. 2 ff. ad leg. Tull. Maieſt.* tradit, includeretur. Atque ob hanc rationem idem *Baronius* exiſtimat, illa ex omnibus antiquorum *Martyrum Actis* fideliora, atque in omnibus magis integra, eſſe, quæ á fidei Chriſtianæ hoſtibus ſcripta, atque in publica relata ſunt Proconſulum monumenta. Hæc ille *de Actis Martyrum Proconſularibus*, cum quibus conveniunt, quæ a Martyribus ipſis ſunt adornata. Alia, ab adſtantibus, veluti teſtibus, conſcripta, non multo minorem auctoritatem habent. Tertii ordinis ſunt, quæ ab eccleſiis Martyrum confecta, eaque non contemnendum pondus habent.

Conferantur hic, quæ hanc in rem obſervavit *Petrus Galeſinus* in Dedicatione *Martyrologii Romanæ Eccleſiæ*, atque ex eodem Scriptore repetere voluit *Balthaſar Bebelius Tomo I Antiquitatum Eccleſiæ in quarto poſt Chriſtum natum Seculo Evangelicæ & hodiernæ* ὁμοψήφῳ *pag. 289.* Quod ad nos attinet, de Notariorum in *Actis Martyrum* conſignandis & origine & uſu ſingularem edidimus Diſſertationem; o) reliquum igitur eſt, ut *Notariorum fidem atque auctoritatem* teſtatam declaremus, præcipue cum *Scriptor* quidam *Gallus*, idemque *Socinianus*, p) *ſi qua Divinitatis Chriſto adſcriptæ mentio in Actis S. S. Martyrum* fiat, ſtatim, omni poſito pudore, ex ſola mentis pervicacia, *eam a librariis & calligraphis temere & mala fide inſertam eſſe*, judicet.

II. Sed, ne quis exiſtimet, Auctori illi a me iniuriam fieri, dicam ſtatim, quam ob rem vel ſuſpicari, vel coniicere, voluerit. *Euſebius Hiſt. Eccleſ. Lib. I Cap. 13* refert, *Thaddeum*, cum adiiſſet Regem *Abgarum*, eidem prædicaſſe *Chriſtum Dominum & Deum noſtrum. Valeſius* autem in Notis ad h. l. *Euſebii* obſervat, vocem *Deus* in bonæ notæ manuſcriptis Codicibus non ſine ſuffragio *Nicephori* & *Ruffini* deeſſe: tum vero ita infit Auctor noſter *P. II Cap. 2 pag. 305: Quoi qu'il en ſoit, il paroit de ce paſſage & de bien d'au-*

tres,

o) Hæc Diſſertatio legitur *Tomo II Opuſculorum* noſtrorum *ſacrorum pag.* 657.

p) In libro, cui titulus: *Le Platoniſme devoilé, ou Eſſai touchant le Verbe Platonicien.*

tres, qu'il n'y a pas beaucoup de fond à faire ſur les Témoignages des Anciens, où le Nom de Dieu *eſt attribué à Jeſus Chriſt. Les Copiſtes Trinitaires y ont inſeré ce mot: & ſans doute qu'ils en ont retranché bien d'autres, comme il leur a plû.*

III. Enimvero inani & frivolo deluditur argumento. Fac, manuſcriptos Codices lectioni apud *Euſebium* vulgo receptæ præferendos eſſe, neque vero inde ſtatim *Notariorum fidem atque auctoritatem labefactare* poterit, cum vel ſola vox κύριος *divinitatem Chriſti* deſignet, uti recte obſervavit *Olearius Exercit. Philol. in Phil. IV pag. 27. Nomen* κυρίȣ, inquit, *Scriptores ſacri ſumſerunt ex verſione LXX Interpretum, qui tum alia nomina divina, tum præprimis nomen* τετραγράμματον *illud* יהוה, *ſoli Deo proprium, propter carentiam adſpirationum in lingua Græca per nomen* κυρίȣ *ſemper, excepto uno loco Proverb. XXIX, 25, ubi eſt* δεσπότης, *reddiderunt.* Paucis hiſce verbis dictum eſt id, quod operoſe *Io. Pearſonius* in Commentariis ad Symbolum Apoſtolicum declaravit. Nunc quidem eiusdem obſervationem, quæ *pag. 223* occurrit, repetere collibet. *Actorum XXVIII, 28*, pro recepta lectione τὴν Ἐκκλησίαν τȣ͂ Θεȣ͂ MSta quædam, ut Alexandrinum, Cantabrigienſe, ac Collegii novi, legunt τȣ͂ κυρίȣ, nec non interpres *Irenæi Lib. III Cap. XIV regere Eccleſiam Domini*; alii exhibent κυρίȣ καὶ Θεȣ͂. Eadem ratione *1 ad Corinthios X, 9*, pro μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριςὸν alii Codices κύριον, alii Θεὸν, habuerunt. Vide *Paulum Colome-*

ſum in *Obſervationibus ſacris pag.* 594 *Operum.* Præterea in *Actis Martyrum ſelectis*, quæ *Theodoricus Ruinartus* edidit, q) ſæpiſſime *Chriſtus* *a Mar-*

q) Hic ſelectis Martyrum actis, quæ collegerat, tantum applauſum meruit, ut *Adrianus Bailletus* in *Prolegomenis T. I pag.* 97 hanc ſententiam tulerit: *l'on peut dire, que c'eſt le recueil de tout ce que l'Egliſe a de pluscher, & de plus precieux après l'Ecriture.* Verum de *Ruinarto* ipſo longe aliter iudicat *P. C. Anſaldi* in *Diſſertatione adverſus Henricum Dodwellum de Cauſis inopiæ veterum monumentorum pro copia Martyrum dignoſcenda.* Nec libet, nec vacat, in præſenti diſcutere *Anſaldi* rationes, quas nemo non infirmas debilesque fatebitur eſſe. Primum enim *perperam negat, Acta multorum Martyrum ſub Diocletiano combuſta eſſe, falſo perſuaſus, Diocletianum ſolos Codices ſacros igni tradidiſſe delendos.* Deinde *coniecturis* tantummodo huc ducitur & illuc, cum nunquam ſatis laudatum primæ Eccleſiæ ſtudium in *Actis Martyrum* conſignandis temere in dubium vocat, *propter difficultatem triſtiſſimorum temporum, quæ tantum ſtudium ſufflaminare potuerit.* Interim *Honoratus de Sancta Maria* in libro, quo de uſu Critices probas admodum regulas dedit, *Tom. II pag.* 9 ingenue fatetur, multa ex iisdem monumenta fide carentia eliminanda eſſe. Atque idem ille inter figmenta refert *Iacobi Iuſti pro divinitate Chriſti* teſtimonium, quod ex *Hegeſippo*, fabuloſo ſcriptore, *Euſebius*, nimium ſæpe credulus, depromſit. Quamvis autem illud figmentum merito repudiemus; ex aliis tamen *Actis magis genuinis pro divinitate Chriſti teſtimonia repetere iuvat.* Certe id ipſum pie admodum utiliterque

a Martyribus Deus appellatur; r) qua autem fronte, quove ore, probabit Auctor, *Notarios* vocem *Deus* mala fide inſeruiſſe? Proferat exempla, ſi vir eſt, faciat dictis ſuis fidem, ſed tacet, erubuit, ſalva res eſt. Quemadmodum enim Auctor noſter ſe turpiter dedit, cum traderet, *dogma de divinitate Servatoris noſtri* olim ignoratum, & Seculo demum II ſub *Adriano* Imperatore *ex Philoſophia Platonica* in Eccleſiam Chriſtianam traductum eſſe; s) ita nunc quoque ſelegit argumentum, quod præter cetera lepidum & feſtivum videretur. *Iam iſtam confeſſionem*, inquit

que meditati ſunt, qui *Theodorici Ruinarti* Acta ſelecta Martyrum nuper denuo ediderunt, quorum opera ad oram libri annotatum, quam meditatis verbis Martyres *divinitatis Chriſti*, aut *Trinitatis, profeſſionem* ediderint.

r) Lectu utique digna eſt Diſſertatio Celeberrimi Doctiſſimique *Urbani Godofredi Siberi*, quæ *Martyres divinitatis Chriſti teſtes contra nefandum libellum Platoniſmi detecti titulo ſignatum* oſtendit. Confer quoque *Paulum Bornagium* in *Confeſſione Martyrum de myſterio SS. Trinitatis veterum monumentis ſuccincte illuſtrata*, *Ioannem Sartorium* in *Agoniſticis Fidelium Verbis* §. XXXIX *pag.* 82 *ſeq. Ioannem Pearſonium* in *Expoſitione Symboli Apoſtolici pag.* 233, & *Io. Georgium Oſtium* in ſingulari Diſſertatione *de Hymnis Martyrum in primitiva Eccleſia.*

s) Sed oppones merito obſervationes *Io. Guil. Jani de Trinitate Platoniſmi vere & falſo ſuſpecta Sect. II Theſi* 2 *pag.* 57.

Urbanus Godofredus Siberus l. c., non æqualibus, aut iisdem, verbis omnes Martyres ediderunt: ſed quidam ita divinitatem Chriſti profitebantur, ut ea ipſi attribuerent, quæ non niſi omnipotenti Deo à ſancto divinorum vatum choro adſcripta fuerunt: qualis erat immenſa potentia, & quicquid placeret, perpetrandi vis & poteſtas: æternitas nullo temporis articulo inchoata, nec finienda: quidam perpetuam ejus atque ubivis diffuſam præſentiam opitulandique promtitudinem & efficaciam celebrabant: interque medios cruciatus ſuſpiriis conſtantisſimis efflagitabant: quidam æternum & ſummum Regem & παντοκράτορα, quidam apertis & ſimplicisſimis verbis Deum verum *profitebantur.* t) *Quod*

t) *Fructuoſus* Martyr & Socii *Trinitatis* vocabulum adhibent non incognitum illi ſeculo, quod oſtendit *Honoratus a S. Maria Crit. Tom. II pag.* 68. Confer *Dupinium Tom. I Bibl. pag.* 575, *Natalem Alexandrum Sec. III Tom. I Diſſert.* 14 *pag.* 507, & *Io. Alb. Fabricium Tomo I Codicis Apocryphi Novi Teſtamenti pag.* 505, cuius verba hic repetere haud pigeat: *Trinitatis* vocabulo uſus eſt *Tertullianus* libro contra Praxeam Cap. II, & libro de Pudicitia Cap. XXI, *ut falſus omnino fuerit*, quisquis apud *Robertum Cocum pag.* 58 *Cenſuræ veterum Scriptorum* affirmavit, *illam vocem primum ad dilucidiorem rei explicationem adinventam in* Concilio Nicæno. Sed redeamus ad *Acta Martyrum*. In *Actis Eupli* apud *Ruinartum pag.* 440 *hæc leges: Patrem & Filium & Spiritum S. adoro, Sanctam Trinitatem adoro, præter quam non eſt Deus. Liberianus*, a Præſide quæſitus,

Quod ſi qui obſcurius paulo illud facerent, id non denegationi, aut ignorantiæ, adſcribendum, ſed prudentiſſimæ occultationi, cum margaritas illas intempeſtivo tempore inter ſordes, aut imparatos animos, objicere nollent, quod exemplo Pothini Martyris apud Ruinartum *pag. 65 confirmari poteſt.* v)

Dd 5 Hæc

ſitus, quem coleret? *Chriſtianus ſum,* inquit, *Chriſtum colo & adoro ſolum Deum verum.* S *Tarachius*, ut eſt in ejus Actis, poſtquam dixerat: ἐγὼ Θεὸν ὁμολογῶ τὸν ὄντως ὄντα, & Præſes regeſſerat: *unum Chriſtum dicis eſſe Deum?* ſtatim ſubjicit: ἔτως ἔχει.

v) Atque ita facili negotio ſtrophas, quas Auctor noſter *P. II Cap. XI pag.* 302 ex *Actis S. Iuſtini Martyris* jungit, nectitque, diſſolvere poteris. Sic autem infit: *Ruſticus Préfet de Rome démande à Iuſtin Martyr ce que c'eſt que la religion Chrétienne? Ce Confeſſeur répond, nous cröions un ſeul Dieu qui eſt le Créateur de toutes choſes, viſibles & inviſibles, & nous confeſſons que I. C. nôtre Seigneur eſt le Fils de Dieu prédit par les anciens Proſétes & qui viendra un jour pour juger le monde. Voilà un Fils de Dieu, dont toute la* Préexiſtence *eſt d'avoir été prédit par les Proſetes, & dont la veritable Grandeur n'eſt pas d'avoir créé le monde, mais d'etre le Iuge du monde. Ce Symbole eſt Apoſtolique & ſe reſſent bien de la ſimplicité de ces premiers Siecles. On peut bien philoſopher ſur la Doctrine Chrétienne, & en parler à la* Platonicienne *dans ſon Cabinet, comme a fait ſouvent* Iuſtin. *Mais quand il s'agit d'en donner une Confeſſion ſincere, devant le Magiſtrat, & de la ſéeller de ſon propre ſang,* Platon *n'y a plus que faire; on l'expoſe ſimplement & conformément à l'Ecriture. Alors ce n'eſt plus* Iuſtin *le Philoſophe, c'eſt* Iuſtin *le Confeſſeur & le Martyr.* Hæc ille.

Hæc *Siberus.* Nos addimus, Martyres, quorum ſolennis formula erat: *Gratias Chriſto Deo*, ſibi in mentem vocaſſe verba *Pauli ad Romanos IX, 5*, ubi *Eraſmus* & *Grotius* malam ſuam fidem produnt, cum alter in Patribus, alter in verſione Syriaca, vocem *Deus* omiſſam tradit. Vide *Ioannem Pearſonium* in *Expoſitione Symboli Apoſtolici pag. 234*, *Richardum Simonium* in *Hiſtoria Critica N. T. Parte III. Cap. LIV pag. 813*, & *Gottfr. Olearium* in Diſſertatione theologica *de Adoratione Dei Patris per Jeſum Chriſtum §. XL pag. 71.*

IV. Atque ita omnino eſt, *Martyres* modo in Actis *apertis & ſimpliciſſimis verbis* Chriſtum verum Deum profitentur, modo aliis dictionibus Chriſti veram divinitatem aſſerunt: id quod Auctorem noſtrum latere non potuit, cum verba S. *Polycarpi* Martyris *corrupta & dimidiata fide* vel repetit, vel explanat. Ecce autem inſignis *Polycarpi*, jam martyrium ſubituri, precatio apud *Euſebium Hiſt. Eccleſ. IV, 15*: Διὰ τῦτο καὶ περὶ πάντων σὲ αἰνῶ, σὲ εὐλογῶ, σὲ δοξάζω, ΔΙΑ τῦ αἰωνίου ἀρχιερέως Ἰησῦ Χριςῦ, τῦ ἀγαπητῦ συ παιδὸς, ΔΙ ὗ σοι ΣΥΝ ΑΥΤΩ ἐν πνεύματι ἁγίῳ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς τὰς μέλλοντας αἰῶνας, *quam ob rem de omnibus te laudo, tibi benedico, te glorifico* per *ſempiternum Pontificem Jeſum Chriſtum, dilectum filium*, per quem *tibi* una cum ipſo *in Spiritu Sancto gloria nune & in ſecula ſeculorum.* Quod illuſtre teſtimonium nequiſſime detor-

quet

quet atque corrumpit Auctor noſter, x) dum, omiſſis vocibus σὺν αὐτῷ, y) quæ minus e re ipſi eſſe videbantur, *Polycarpum* ad ſolum Patrem per Chriſtum æternum Pontificem in Spiritu Sancto preces fudiſſe, eaque ratione *diverſiſſimam a noſtrate Trinitatem profeſſum* eſſe, contendit. Sed, ſi *Polycarpus* nihil aliud dixiſſet, præter ea, quæ ita mutilata ab Autore proferuntur, z) non modo particula καὶ & ἐν, quibus ſtilum Scripturæ Sacræ

x) Ita nobiſcum ex vero iudicat *Io. Guil. Ianus de Trinitate Platoniſmi vere & falſo ſuſpecta Sect.* II §. 6 *pag.* 63.

y) Confer interim *Io. Andr. Schmidii* Diſſertationem *de Syllabicis, in loca Rom.* XI, 36, 1 *Cor.* VIII, 6, ſumme injuriis.

z) En ipſa verba: *Ma ſeconde preuve eſt tirée de la* confeſſion des anciens Martyrs. *On ne peut pas douter, que ces fidelles Témoins de I. C. n'aient rendu à ſa Perſonne le Temoignage le plus illuſtre & le plus bonorable qu'ils ont pu lui rendre, & qu'ils n'aient pouſſé leur Theologie auſſi loin qu'ils la pouvoient porter ſans ſecarter de la Foy. Ecoutons donc ce que nous en diſent* les Actes de leurs Martyres. Polycarpe *au milieu de ſes ſouffrances invoque une* Trinité: *mais quelle? Eſt-ce cette ſainte & glorieuſe* Trinité, *trois* Perſonnes & *un Dieu, qu'on appelle Dieu le* Pere, *Dieu le* Fils, & *Dieu le* S. Eſprit? *A Dieu ne plaiſe. Il invoque Dieu le Pere par le Pontife eternel I. C. notre Seigneur dans le S. Eſprit. Qui ne voit qu'il donne gloire a Ieſus-Chriſt, & qu'il le* theologize *en l'appellant le* Pontife éternel. *S'il en pouvoit dire quelque choſe de plus grand, il le diroit.*

cræ imitatus, *perſonas a ſe invicem diſtinguit*, harum *æquabilitati* & ὁμοουσίᾳ nihil detraherent, verum etiam *æternitas Chriſto tributa* illius de hoc ſententiam ſatis declararet. a) Cum vero præterea *eandem etiam Patri ac Filio gloriam* diſerte adſcribat, eandem utriusque divinitatem crediderit, neceſſe eſt. Tandem, ut nunc ſilentio præteream *in Actis Martyrii* S. *Ignatii Antiocheni doxologiam* b) *inſignem admodum*; hanc eandem

a) Confer *Gottfridi Olearii* binas Differtationes theologicas, unam *de Spiritus Sancti cum Patre & Filio adoratione & glorificatione contra Guil. Whiſtonum*, alteram *de Adoratione Dei Patris per Jeſum Chriſtum*.

b) Comites *Ignatii* conſimili δοξολογίᾳ εὐχαριστοῦσι τῷ θεῷ, ut relatum legimus ſub finem Actorum martyrii ejus ex editione veteri Latina: *Glorificantur* nempe in *Ignatii venerabili & ſancta memoria Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, per quem *& cum quo Patri gloria & potentia, cum Spiritu S. in ſancta Eccleſia*, *in ſecula ſeculorum, Amen.* Quamvis *in Græcis Martyrii Ignatiani Actis*, prout exhibentur in nupera editione Belgica *Patrum* Apoſtolicorum, a *Io. Clerico* adornata, omiſſæ voces δι' οὗ deprehendantur; retinet tamen in ſua editione, qui illa Acta in lucem protraxit, *Theodoricus Ruinartus*, ut & *Grabius* in *Spicil. Patrum Tom. I*, apud quos hiſce verbis ea concepta legitur δοξολογία: δι' οὗ καὶ μεθ' οὗ τῷ πατρὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι, εἰς αἰῶνας, ἀμήν, ut nemo dubitet, *erraſſe typographos*, qui in *Clerici* editione voculas δι' οὗ omiſerint.

dem *Polycarpi* fidem fuiſſe, inſigniter confirmat *teſtimonium auditorum ac diſcipulorum ejus*, quos profecto, non veriſimile eſt, ab Epiſcopi & magiſtri ſui diſſenſiſſe doctrina. Sane ſuppetit ex eadem, quæ iſtam *Polycarpi* rationem complectitur, Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſtola graviſſima indubitatum veritatis documentum: ἐῤῥῶσθαι ἡμᾶς εὐχόμεθα, ἀδελφοὶ, στοιχοῦντας τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον λόγῳ Ιησοῦ Χριστοῦ, ΜΕΘ' οὗ δόξα τῷ θεῷ καὶ πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι ἐπὶ σωτηρίᾳ τῇ τῶν ἁγίων ἐκλεκτῶν, *valere vos optamus fratres, ac incedere in evangelico ſermone Ieſu Chriſti*, cum *quo gloria Deo*, & *Patri* & *Spiritui S. ob ſanctorum electorum ſalutem*. Ibidem etiam hæc legas: Χριστὸν οὔ καταλιπεῖν δυνασόμεθα, οὔτέ τινα ἕτερον σέβεσθαι, τοῦτον υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ προσκυνοῦμεν, quibus declararunt *Smyrnenſes*, ſeſe eum, quem deſerere non poſſint, quem venerentur, & præter quem alium colere non poſſint, eundem, inquam, *pro vero Deo agnoſcere*. Quæ cum ita ſint, *homini Sociniano* marito in memoriam revocamus *Hymnos*, *in quibus antiqui Chriſtiani Divinitatem Chriſti concelebrabant*. Certe id ipſum teſtatur *Plinius* in *Epiſtola ad Trajanum*, *quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto ut Deo dicere*: pro quo apud *Tertullianum* eſt, *Chriſto* & *Deo*, ſed *Tertullianus* ex *Plinio* corrigendus. Apud *Euſebium* eſt: τὸν Χριστὸν θεοῦ δίκην ὑμνεῖν, *Chriſto more, ſive inſtar, Dei hymnum cani*. Hinc quoque videas, *Chriſtum judicio Chriſtianorum fuiſſe Deum*.

Genti-

Gentiles non habebant Chriſtum pro Deo, ſed ſophiſta potius & impoſtore, ut ex *Luciano* cognoſcimus: at Chriſtianis erat filius Dei unigenitus, per quem mundus eſſet conditus. *Plinius* igitur ait, eum a ſuis pro Deo cultum. Itaque & carmen, quo celebraretur, *hymnus* vocabatur. Nam apud *Euſebium* pro eo, ut dixi, eſt ὑμνεῖν: at ὕμνος eſt ᾠδὴ εἰς Θεὸν, ut eſt apud *Menandrum* Rhetorem in libro de genere demonſtrativo, quem corpore *Antiquorum Rhetorum Aldus Manutius* excudit, ac *Natalis Comes* Latine vertit. Fatendum tamen, interdum laxius eam vocem ſumi, ut cum *Athenæus* Libro IV Epithalamium vocat γαμικὸν ὕμνον. Quod more factum Poetarum, qui, ut in Electram *Sophoclis* Scholiaſtes annotavit, Hymni voce abuti ſolent pro quavis oda. Sed nos de propria loquimur ſignificatione, non Poetarum abuſu. Et clare, cujusmodi fuerint illi hymni, indicat *Euſebius Libro V Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. XXVII*, ubi de *Artemonis* hæreſi agit ex Auctore Anonymo τῆς μικρᾶς λαβυρίνθου, qui circa initium tertii Seculi vixiſſe videatur. Neque vero ſolum Auctor ille veteres ante ſe Patres, ut *Juſtinum*, *Miltiadem*, *Tatianum*, *Clementem*, *Irenæum*, *Melitonem*, &c. loqui *de Chriſto ut Deo* obſervat, ſed & addit, Hymnos, a Chriſtianis inde ab initio conſcriptos, Chriſti Deitatem aſſeruiſſe: ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες; *quot item Pſalmi & Hymni*

Hymni a fratribus fidelibus perſcripti ab initio ſunt, qui, Chriſtum, verbum Dei, Deum eſſe, concentu ſuo celebrent. Conferantur *Joannes Pearſonius* in *Expoſitione Symboli Apoſtolici pag.* 233; itemque *Gerardus Joannes Voſſius* in *Commentario in Epiſtolam Plinii de Chriſtianis, & Edicta Cæſarum Romanorum adverſus Chriſtianos.*

V. Eat nunc inſignis ille noſter Actorum SS. Martyrum corruptor atque interpolator, eat, & ex ſuo ingenio fingat, primæ Eccleſiæ Notarios Acta Martyrum interpolare vel potuiſſe, vel voluiſſe. Teſtata illorum fides in conſignandis Actis omni exceptione major eſt; præterea pronius ad credendum, Arianos, quorum res inprimis agebatur, Acta Martyrum pro lubitu refinxiſſe & corrupiſſe. Plura in præſenti non addimus, maxime cum in *Hiſtoria noſtra Bibliorum manualium Capite IX §. X pag.* III per ſaturam lancem, quod ajunt, a nobis dicta ſint, quæ hic utramque paginam facere poſſint, quippe ex *Actis Proconſularibus Martyrum* repetita, & data opera collecta.

IV.

CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI
EMENDATIONVM
MINVCII FELICIS
FERCVLVM TERTIVM.

Cap.

CAP. XVI.

1. *Et Octavius*) *Et* ſignificat *tum*, *hierauf*. *Cicero Lib. III de Officiis Cap.* 14: *Et ille: Quid mirum? inquit.* Sic & in *Somnio Scipionis Cap.* 8. Plura *Ciceronis* loca exhibet *Turſellinus Schwarzianus*. Etiam *Quintilianus* ita loquitur in *Dialogi* ſui *Cap. IV*, 1, *XVI*, 2, *XXVIII*, 1, & *XXXIII*, 1.

1. *Ut potero, pro viribus*) Dele *pro viribus*, manifeſtum quippe gloſſema, jam *Wowero* obſervatum. Nec jure ab eo diſſentit *Daviſius*. Multa enim intexta ſunt huic libro gloſſemata, *Cic. de Senect. Cap.* 3: *Faciam, ut potero, Læli.*

1. *Tibi*) Alloquitur *Octavius Minucium*, hujus diſputationis arbitrum.

1. *Flumine*) Ita reſcripſit *Fulvius Urſinus*. In MS. vitioſe eſt *inlumine*. *Cicero Lib. II de Natura Deorum Cap.* 7: *Orationis flumine reprehenſoris vitia diluuntur:* quem locum in mente habuiſſe noſtrum *Minucium*, haud vane ſuſpicatur *Elmenhorſtius*. *Iac. Gronovius*, pro *lumine* propugnans, non eſt audiendus. Ubique enim patronum ſe præbet librario, quem fuiſſe nec doctum hominem, nec attentum ſcribam, nemo Criticus dubitat.

2. *Sua*) MS. depravate habet *tua*.

2. *Nutaſſe*) Duobus ſimilibus locis, e *Cicerone* & *Marciano Capella* productis a *Daviſio*, adjungo illum *Lactantii VI*, 3, 6: *In eum locum venerit, partes ubi ſe via findit in ambas, hæreat nutabundus, ac neſciat, in quam ſe partem potius inclinet.*

2. *Interim*) Pro *interdum*: quo ſenſu *interim* perſæpe occurrit in *Quintiliano*, e. g. *Lib. II Cap. 4: Utilitas interim natura diſcernitur, interim tempore.*

2. *Variavit*) *Livius Lib. XXVII Cap. 27: Si, quæ de Marcelli morte variant Autores, omnia exſequi vellem.* Ibidem: *Ita fama variat, ut tamen plerique tradant*, cetera. Idem *Lib. II Cap. 57: Timor atque ira in vicem ſententias variabant. Ovidius Metam. XV, 648: Diſſidet & variat ſententia.* Apparet hinc, pro *variavit* injuſte reſcribere *declaravit Wopkenium* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p. 29.*

2. *Propoſitionis incerto certior*) Eleganter, nec inuſitate, *incertum propoſitionis* dicitur pro *incerta propoſitio.* Sic ſupra *Cap. IX, 9, incertum ſortis:* ad quem locum plura hujus dictionis exempla adſcripſit *Ouzelius.* Pluraliter etiam dicitur *incerta belli.* Utriusque generis exempla pete e *Vechneri Hellenolexiæ Lib. I Cap. 9 §. 3.* Ceterum ex *certio*, quod in MS. eſt, fecerunt editores *certior*: quod inepte defendit *Iac. Gronovius.* Sed recte vidit *Rigaltius*, negativo hic opus eſſe vocabulo. Itaque reſcripſit *incertior.* Abſolvo emendationem, atque ita ſcribo: *nec certius.* Audi, quæſo, Lector! *ut propoſitionis incerto nec certius reſponſionis noſtræ intentio fundaretur.*

3. *In Natali meo*) Scribe *Natale.* Sic a *Iuvenalis* & *Martialis* ablativus eſt *Iuvenale, Martiale.* Vid. *Voſſius Lib. II de Analogia Cap. XI*

pag. 295. De quodam Romano Conſule, *C. Bellico Natale* vid. *Gorius* in Annot. ad *Inſcriptiones Florentinas P. I pag. 259.* Noſtrum *Cæcilium Natalem* inveniſſe ſibi videbatur *Valeſius* in *Euſebii Hiſt. eccl. Lib. V Cap. 28.* Sed jure id reliquit in medio.

3. *Nolo, non credo*) Poſterius eſt a manu interpretis, & e margine irrepſit. Ac durius certe quidem &, ut ita dicam, Africe loquitur *Minucius*, *nolo* dicens pro *non credo.* Sed imitari ſibi viſus eſt *Ciceronem*, haud raro *volo* dicentem pro *credo*, ſive *ſtatuo*. Philoſophi, inquit *Lib. III de Offic. Cap. 28*, illi, *qui, Deum ſemper agere aliquid & moliri, volunt.* Plura eius loca adſcripſi ad ipſius *Orat. IV Catil. Cap. 4.* Ipſe noſter *Minucius Cap. XVII, 4: Qui hunc mundi totius ornatum non divina ratione perfectum volunt, ſed*, cetera.

3. *Simplicitate*) Id eſt, candore, ſinceritate. Trajani *ſimplicitatem* laudat *Plinius* in *Paneg. Cap. 54*, hoc addens ſui ipſius interpres: *Te, quæ vis*, (id eſt, quæ velle te ais,) *velle*, *quæ non vis, nolle, credimus*. *Seneca de Tranq. animi Cap. 15*: *Rara eſt ſimplicitas, & vix unquam, niſi cum expedit, fides.* Eleganter *nudam ſimplicitatem* vocat *Ovidius Amor. I, 3, 14*, quia vir ſimplex & candidus *nudat voluntatem ſuam*, uti *Livius* loquitur *XLII, 63, 1*, & imitator ejus, *Curtius, VII, 4, 39.* Ceterum non eſt diſſimulandum, in MS. eſſe *ſubtilitate ſimplicitate.* Sed apparet etiam facile, hunc eſſe errorem oculorum librarii,

rii, e ſequenti *ſubtilis* ortum: id quod & *Heraldus* vidit. *Rigaltius* quoque agnovit mendum, ſed manifeſto peccavit, ſcribens *ſubtilitate ſimplici*, notatus jam a *Daviſio*. Notandus vero etiam *Iac. Gronovius*, pro *ſubtilitate* reſcribens *ſinceritate*.

4. *Diffinditur*) Ita recte reſcriptum pro MS. *diffunditur*. Ob oculos *Felici* noſtro haud dubie fuit illud *Virgilii Æn. V*, *540: partes ubi ſe via findit in ambas*. Nec diſplicet *Heraldo diffinditur*. Cæcum vero ducem ſequuntur *Rigaltius* ac *Daviſius*, itemque *Iac. Gronovius*, cum *diffunditur* defendunt auctoritate veteris illius librarii. In eodem MS. Codice poſt *diffunditur* adjecta ſunt tria hæc verba: *quia viam neſcit*. Rectiſſime vero ejecerunt hoc gloſſema Critici, nec audiendus *Wopkenius*, in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 30* reponere geſtiens *quia veram neſcit*.

5. *Iactetur æſtu & fluctuetur*) Recte ita *Meurſius* reſcripſit: *jactetur, æſtuet, fluctuetur*. *Æſtuare dubitatione* dixit *Cicero Lib. IV in Verrem Cap. 30*.

5. *Quamvis diverſa ſint*) Deleo cum *Daviſio ſint*, quod nec in MS. eſt, nec in editione Romana. *Quamvis* hic ſignificat *quantumvis*. Germanice ita reddes: *es mag dasjenige, was er in ſeiner Rede vorgebracht, ſo verſchieden ſeyn, als es nur will*. De hoc τȣ̃ *quamvis* uſu plura dixi ad *Ciceronis Orat. pro Milone Cap. 8 & 24*.

5. *Confirmata probataque*) Si quis forte non animadvertit, caſum hunc eſſe ablativum, aliquid obſcuritatis objici ſibi ſentiet.

5. *Nec dubitandum ei de cetero eſt*) Lego, poſcente id ipſa oratione, *ne dubitandum — ſit.*

6. *Erupit*) De hujus verbi emphaſi conſule *Cellarii & Antibarbarum & Curas poſteriores. Pſeudo - Auguſtinus* in ultimo *de Grammatica* Capite: *Interjectio non pars orationis eſt, ſed ſignum affectionis animi erumpentis in vocem.*

6. *Dilectu*) Ita veteres ſcribebant pro *delectu*, quod habet editio Romana.

6. *Nec fortuna nactos, ſed natura indeptos, eſſe ſapientiam*) Noſtro *Minucio* non digna Latinitas. In MS. Codice & in Romana editione non eſt *indeptos*, ſed *inſitos*. Mihi quidem hæc videtur vera eſſe emendatio: *nec a fortuna dari, ſed natura inſitam eſſe, ſapientiam. Schefferus* in *Obſ. miſc. crit. T. IX Lib. 2 pag. 165* putabat, ante verbum *ſapientiam* excidiſſe verba aliquot. *Wopkenius* in ejusdem operis *T. X Lib I pag. 30 indutos* reſcribi vult pro *inſitos*, haud facile id cuiquam perſuaſurus. Recte tamen ibidem judicat, qui concoquere cum *Iac. Gronovio* queat *inſitos*, eidem facile eſſe & ſilices concoquere. Ceterum illud obſervari velim, *ſapientiam* hic loci non eſſe ſapientiam literatam & philoſophicam, ſed ſapientiam rationisque uſum naturalem, cui opponitur inſipientia & fatuitas.

6. *Memorias*) Vide, ſis, quæ ſupra dixi ad *Cap. VII, 2.*

7. *Noſtra-*

7. *Noſtrates*) Alienum hoc loco verbum hoc eſt. Natum id eſſe mihi videtur e *contra*, quod reſcribo.

8. *Dari facultatibus*) Dativus. Fortaſſe ſunt, quibus, hoc a me moneri, non diſplicet.

9. *Sentiat*) Reſcribit *Daviſius cenſeat*. Male vero. Nam *ſentire* & *proferre* hic inter ſe opponuntur. Nec omnia, quæ *ſentimus*, libet, aut licet, *proferre*. *Rara temporum felicitas*, inquit *Tacitus Hiſt. Lib. I Cap.* 1, *ubi*, *quæ ſentias*, *dicere liceat.*

CAP. XVII.

2. *Humanitatis*) Subaudi e proximo *rationem*. Significat hic *humanitas* naturam humanam, uti infra *Cap. XXII*, 12.

3. *Nata ſint*) Legendum eſſe *nata ſunt*, ego quidem non dubito.

3. *Suſpectus*) Subſtantivum, uti *adſpectus*, *reſpectus*. *Virgilius VI*, 579: *Quantus ad ætherium cœli ſuſpectus olympum.*

3. *Eſt*, *ſermo*) Reſcribendum ducebam *eſt*, & *ſermo*: in quam conjecturam & *Wopkenius* incidit in *Obſervationum miſcellanearum criticarum Tomi X*, *Libro I pag.* 30. At vidi tandem, omnia hæc verba: *ſermo* & *ratio*, *per quæ Deum agnoſcimus*, *ſentimus*, *imitamur*, e margine irrepſiſſe in textum, adſcripta a lectore quopiam, cui jure dixeris: Ἡ λαλιά σȣ δῆλόν σε ποιεῖ. Iam audi loquentem *Felicem* noſtrum: *nobis*, *quibus vultus erectus*, *quibus ſuſpectus in cœlum datus*

 eſt,

eſt, ignorare nec fas eſt, nec licet, ingerentem ſeſe (vel *ſe*) *oculis & ſenſibus noſtris cœleſtem claritatem.* Apparet vero nunc & illud lucide, neceſſe mihi fuiſſe, *nobis* pro *nos*, *fas eſt* pro *fas*, ſcribere, vel potius agnoſcere, ita ſcriptum fuiſſe ab Auctore noſtro.

5. *Infra circaque*) *Ovidius Metam. IV, 668: Gentibus innumeris circumque infraque relictis.* Idem *III, 411: Gramen erat circa. Livius IX, 22: Omnes, qui circa erant.*

5. *Quo*) Haud dubius reſcribo *a quo.*

6. *Cœlum ipſum vide quam late tenditur,*) Sic ſolet interpungi. Hæc vero debebat eſſe interpunctio: *Cœlum ipſum vide. Quam late tenditur! quam rapide — — luſtratur!* Paulo poſt & ſic interpunge: *Vide et, annum ut ſolis ambitus faciat: & menſem, vide, ut luna,* cetera.

6. *Libratio*) Ob oculos noſtro fuiſſe crediderim *Columellæ* illud *Lib. X, 42: Et paribus Titan orbem libraverit horis.*

7. *Labore*) Hoc verbo non eclipſin ſignari, (quæ ſententia interpretum fuit omnium,) ſed illud tempus cujusque menſis, quo luna prorſus eſt inconſpicua, acute obſervavit *Daviſius.* Loquitur namque de eo *Minucius*, quod ſingulis accidit menſibus.

8. *Inducant*) Sic in MS. Reſcripſerunt nonnulli, me quoque applaudente, *indicant.* Ac *Livius Lib. X Cap. 27 diem pugnæ indicere* dixit. Dixiſſe quoque Romanos *indicere dies feſtos,*

Briſſo-

Briſſonius obſervavit *Lib. I de Formulis Romanis pag. 31.* At nunc meliora video proboque, dum inſpicio Romanam editionem. In ea enim utroque loco non *vel quod* reperio, ſed *vel quæ*, ſubaudi *ſidera*. Veriſſima igitur eſt iſtius editionis ſcriptura: *vel quæ regant curſum navigandi, vel quæ arandi metendique tempus inducant.*

9. *Hac frugum*) Ita eſt in editione Romana, non item in MS. Codice, e quo illa expreſſa fuit. Hic enim habet *ac frugum*, idque rectiſſime; quod & *Heraldus* agnoſcit. Ac omnino ita ſcripſiſſe *Minucium*, ſequentia docent verba, quibus & *temporum* & *frugum* varietas exponitur.

9. *Teſtatur? Ver*) Peſſima vero interpunctio, quæ lectorem fraudat vero ſenſu *Minucii*. Sublata igitur inde quacunque interpunctione, ſic lege ſenſu pulcherrimo: *nonne auctorem ſuum parentemque teſtatur ver æque cum — — neceſſaria?*

9. *Hiberna olivitas*) Interpretatur hoc *Gronovius* pater in *Obſ. ad Script. eccl. Cap. VII pag. 79.*

10. *Inſerere*) Lego *interſerere*.

11. *Quam e terra*) Deleri *quam* oportere, docebit quemvis inſpectio eorum, quæ antecedunt, quæque ſubſequuntur. Ea hunc in modum ſunt interpungenda: *Mari intendo: lege litoris ſtringitur. Quicquid arborum eſt, vide: e terræ viſceribus animatur. Adſpice oceanum: refluit reciprocis æſtibus. Vide fontes: manant*

variis perennibus. Fluvios intuere: eunt ſemper exercitis lapſibus.

12) *Recta montium*) Reſcribit Meurſius *arrecta*, Perizonius *erecta*. Et huic quidem ego aſſentior. De phraſi hac Græcanica vid. *Vechneri Hellenolexia Lib. I Cap. 9 §. 3. Perizoniana* correctio ſi nota fuiſſet *Wopkenio*, eum in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 30* non fuiſſe pro *recta* ſcripturum *ardua*, facile credo.

12. *Adverſus ſeſe*) Similiter *Lactantius de Opif. Dei Cap. 2: Singulis* (animantium) *generibus ad propulſandos impetus externos ſua propria munimenta conſtituit Deus.* Qui locus facile permovere aliquem poteſt, ut, in noſtro pro *adverſus ſeſe* reſcribendum eſſe *adverſus hoſtes*, iudicet. Verum ſcias, *adverſus ſeſe* dictum eſſe pro *adverſus ſeſe invicem*, adeoque locum hunc eſſe ſaniſſimum.

12. *Fundatas ungulis*) *Dalecampius* reſcribit *munitas ungulis.* Recte vero *fundatas* ſcribitur. Nam & *Lucretius V, 929*, dixit, *genus humanum ſolidis oſſibus intus fundatum eſſe.* Pro *fundatus ungulis Lactantius de Opif. Dei Cap. 2* dicit *ſuffultus ungulis.*

12. *Pinnarum*) Vide, ſis, quæ ſcripſi ad *Lactantii de Opificio Dei Cap. V, 3.*

13. *Velut in ſpecula — — in arce*) *Lactantius* in libris *de Opificio Dei Cap. VIII, 3: Mens in ſummo capite collocata tanquam in arce ſublimis ſpeculatur omnia & contuetur.*

13. *Compoſitis*) Reſcribere nihil dubito *diſpoſitis.*

poſitis. Sic paulo ante: *apte diſpoſita erecta montium*; & *Cap.* XVIII, 4: *omnia exculta, diſpoſita, ornata, vidiſſes*. Ita & *Lucretius V*, 696: *loca cœli omnia diſpoſitis ſignis ornata*. *Curtius VI*, 8, 18: *Ad omnes aditus diſpoſiti milites erant*. Eadem is dictione utitur *VIII*, 14, 3, & *III*, 9, 5.

CAP. XVIII.

1. *Longum eſt ire per ſingula*) Sic & *Lactantius de ira Dei Cap. XI*, 15: *Longum eſt ſingulorum ſententias exſequi*. *Cicero* in *Orat. III Catil. Cap.* 5: *Ac, ne longum ſit*.

2. *Quid cupido generandi? Nonne a Deo data eſt?*) *Lactantius VI*, 19, 60: *Libido nobis data eſt ad ſobolem propagandam*. Et libri *de ira Cap. XVIII*, 10: *Libidinem producendæ ſobolis gratia dedit nobis Deus*. Inepte vero *Daviſium* in *Minucio* reſcripſiſſe *data ſunt*, docte docet *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag.* 31.

3. *Conſulit*) Omnino ſcribendum *conſuluit*: ac miror, non prius correctum eſſe hunc locum.

3. *Ægypti*) Feliciter obſervavit *Wowerus*, expreſſa hæc eſſe e *Ciceronis Lib. III de Natura Deorum Cap.* 52. *Ægyptum*, inquit ibi *Cicero*, *Nilus irrigat*, *Meſopotamiam fertilem efficit Euphrates*, *Indus vero non aqua ſolum agros lætificat & mitigat*, *ſed etiam conſerit*. *Magnam enim vim ſeminum dicitur ſecum deportare*. Hinc, quæ verbis *Minucii* inſerta in MS. fuerant, gloſ-

 ſema-

ſemata recte ejecerunt *Wowerus*, *Heraldus*, *Ouzelius*, eosque ſecutus *Cellarius*: ut mirer, iis non ſubſcripſiſſe *Daviſium*. Magis vero corrupit hunc locum *Gronovius* ille *Iacobus*. Certe verba illa, quæ in MS. illo unico Codice, & hinc in editione Romana, ſequuntur verbum *Meſopotamiam*, *pro imbribus penſat*, ſatis manifeſtum gloſſema ſunt ad *temperat ſiccitatem*.

4. *Quod ſi ingreſſus aliquam domum*) Non inconcinnam de *Moſe* fabulam hic recordor, quam e *Chardini Deſcriptione Aſiæ* protulit *Fabricius* in *Codice pſeudepigrapho Vet. Teſt. Cap.* 156, *pag.* 836 *ſeq.*

4. *Perſpicias, providentiam*) Ego quidem ita ſcripſiſſe puto *Minucium*: *perſpiciens providentiam*, *ordinem*, *legem vides*.

4. *Crede, eſſe*) Hoc eſt, *exiſtere*. Ponas igitur poſt *parentemque* comma. *Ipſis ſideribus pulchriorem* dicit pro *qui ipſis ſideribus pulchrior*.

5. *Ni forte*) Crediderit facile quiſpiam, *niſi forte* ſcriptum a *Minucio*, cum alterum illud non ſit uſitatum.

5. *Quibus exempla utique de cælo*) Delendum *quibus*. Scilicet *imperia terrena* ait *exempla eſſe de cælo*, hoc eſt, formata eſſe ad ſimilitudinem cœleſtis imperii. Perdocte de verbo *exemplum* diſputat ad hunc locum *Wopkenius* adverſus *Daviſium Obſ. miſc. crit, T. X Lib. I pag.* 31 & 32.

5. *Deſiit*) Ipſiſſima hæc verba: '*Quando unquam* — — *deſiit*, *Cyprianus*, deſcriptor *Minu-*

nucia-

ciani libri, exhibet in *Cap. V de Vanitate Idolorum.* Male igitur pro *deſiit* in Romana editione eſt *diſceſſit.*

6. *Par mortuum, fabulam*) Locus manifeſto depravatus. *Perizonio* quidem ſufficere videtur, ſi poſt *mortuum* ponas ϛιγμὴν τελείαν. Sed nemini, credo, id perſuaſerit. In MS. ita legitur: *permortuam fabulam:* unde *par mortuum, fabulam* fecit Meurſius, *par, mortuam fabulam* Iac. Gronovius. Quorum neutrum cum defendi poſſit, mihi ſic videtur reſcribendum: *par fratrum fabuloſum.* Scilicet non credit *Minucius*, veram eſſe illam narrationem. Quare ei ſtatim opponit *hiſtoriam* de *Romulo* & *Remo.* Eodem modo *Horatius Lib. I Odâ 22 Hydaſpen* appellavit *fabuloſum.* Certe facile mea correctio anteponetur illi, quam *Anonymus* criticus protulit in *Obſ. miſc. crit. novis T. I pag. 138*, ita reſcribens: *Thebanorum germanorum fabulam.*

6. *Hiſtoria*) In editione Romana eſt *memoria.* Male. Nam *fabulæ* hic opponitur *hiſtoria.*

6. *Tam magni imperii duos fortuna non cepit*) Ita librarium errore facili ſcripſiſſe credo, non *Minucium:* a quo *fortuna* ante *duos* ſcriptum eſſe, facile perſuaſerim. Exiſtimat *Daviſius*, *Minucium* reſpexiſſe *Luciani* illud *Lib. I, 109*: *Populique potentis non cepit fortuna duos.* Sed veriſimilius cenſet *Wopkenius*, *Minucio* hunc *Flori* locum e *Lib. IV Cap. 2* fuiſſe ob oculos: *Sic*

de

de principatu laborabant, tanquam duos tanti imperii fortuna non ceperit.

7. *Dux unus in gregibus*) Præcedit: *rex unus apibus*. Scribi ergo debet *dux unus gregibus; armentis rector unus.*

7. *Totam poteſtatem*) Aut dormitavit *Minucius*, aut ſemel duntaxat hac in periodo ſcripſit *poteſtatem*. Quæ enim loca ejus e *Cap. VIII* & *IX* profert *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 33* ad defendendum, quod editum eſt, multum diverſa ſunt. *Iac. Gronovius*, vix unquam felix in ſuis ad *Felicem* noſtrum annotationibus Criticus, reſcribi jubet *totam majeſtatem*, vel *auctoritatem*. Mihi quidem *Minucius* videtur ſcripſiſſe *unitatem*, atque hinc factum eſſe *totam*; ad ultimum huic verbo adjunctum fuiſſe in margine *poteſtatem*. Lege totum locum, & judica.

7. *Univerſa, quaecunque ſunt, verbo jubet*) Subaudi *eſſe*, ſive *exiſtere*. Reſpicit noſter verbum creationis FIAT *Gen. I, 3, 6, 14*, & illud *Pſalmi XXXIII, 6*: *Verbo* DEI *facta fuerunt omnia.*

8. *Tactu purior*) Hoc eſt, ſubtilior, quam ut tangi poſſit & manu prehendi.

8. *Æſtimari*) Hoc eſt ſtilo juniorum Theologorum, *comprehendi*. Vocant enim *incomprehenſibilem* DEI eſſentiam.

9. *Qui non vult minuere*) Permirum, hoc *non* tam diu tenuiſſe hunc locum. Nimis enim manifeſtum, id ejici oportere. Ac jam A.

1712

1712 correxi hunc locum in Epiſtola ad *Gundlingium*, publice ſcripta ſermone patrio, *pag.* 22. Qui vulgatam ſcripturam tuetur interpretaturque, *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T.* X *Lib.* I *pag.* 33, mihi quidem loqui videtur lapides.

9. *Nec nomen Dei quæras*) Recte ita editum eſt. In MS. vitioſe legitur *Deo:* quod propugnanti *Daviſio* non aſſentior. Senſus *Minucii* hic eſt: *Noli quærere, quod Deus nomen habeat. Lactantius* I, 6, 4: *Ne quis nomen ejus* (de Deo loquitur) *requireret.*

10. *Terrenum — carnalem*) Prius verbum poſteriore, poſterius priore, loco ponendum eſſe, cenſet *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T.* X *Lib.* I *pag.* 34. At, cum haud ſit neceſſaria emendatio hæc, merito eam repudiamus.

10. *Intelliges*) Cave, reſcribas *intelligas* ideo, quod *opineris* præcedit & *ſuſpiceris.* Nam adjectum *utique* non permittit aliter legi, quam *intelliges. Intelliges utique mortalem*, hoc eſt, certiſſime intelliges, ſine dubio intelliges.

11. *De iſto*) Hoc eſt, *de iſta re.*

11. *Audio vulgus — — dicunt: &*) Reſcribendum ita judico: *Audio, vulgo — — dicit: ut*, hoc eſt, exempli gratia. Tò *dici* confirmat *Cyprianus*, in ejus libelli, quem e noſtro *Minucio* deſcripſit, *Capite quinto* ſic ſcribens! *Dici frequenter audimus: O DEUS!* Diverſam *Wopkenii* in *Obſ. miſc. crit. T.* X *Lib.* I *pag.* 34 correctionem, vel potius correctiones, ſi quis probare-

13: *donec diſtinctius, quod ſentio, enuntiem.* Cicero *de Officiis I*, 1: *Eſt oratoris proprium, apte, diſtincte, ornate, dicere.* Et *Lib. II de Invent. Cap.* 29: *De utroque diſtinctius dicetur.*

2. *Verius*) Reſcribo *uberius*. Nam & res ipſa id poſtulat, & alibi quoque locorum ita peccarunt librarii, cumque ſcriptum reperiſſent *vuerius*, *u* pro *b* ſæpius poni ſolito, inde fecerunt *verius*. Ac infra quoque *Cap. XXXVI*, 3, editio Romana pro *uberius* habet *verius*. Etiam in *Lactantii Inſtit. IV*, 30, 14, plures librarii ſcripſerunt *verius*, alii autem recte *uberius*. Vide ibi partim a me, partim a *Cellario*, adſcripta.

3. *Unde homines*) Obſervavit *Daviſius*, non *Minucii* eſſe hæc verba, (quod quidem crediderunt editores ceteri,) ſed *Virgilii* ex *Æn. I*, 747, ubi ita canit: *Unde hominum genus & pecudes, unde imber & ignes.* Ita igitur apud noſtrum *Minucium* reſcribendum, aut credendum, eum e memoria non ſatis fideli recitaſſe verſum hunc, atque ita ſcripſiſſe: *Unde homines, unde & pecudes, unde imber & ignes.*

4. *Diſciplinam Philoſophorum*) Certum habeo, *Minucium* ſcripſiſſe *diſciplinas*, hoc eſt, ſectas *Philoſophorum*. Quam ſæpe ita loquitur *Cicero!* Vide, quæſo, quæ annotavi ad *Lactantii II*, 8, 48, & *V*, 2, 14.

4. *Variis*) Reſcribo, approbaturis, opinor, omnibus, *varios*. Quare nec verbulum addo.

5. *Sit Thales Mileſius*) Sic eſt quidem in MS. ſed vitioſe. Nam duo poſteriora verba

(æque,

(atque, ut ſupra *Cap. XIII, 4, Simonides*,) irrepſerunt e margine: id quod manifeſtum eſſe, qui negat, eum negare poſſe credo, lucere meridie. Emendavi vero iam dudum locum hunc in *Actis Philoſophorum T. I pag. 45.*

5. *Sed altior — a Deo tradita*) Rejicienda hæc verba eſſe, quippe margini a quopiam inſcripta, ſagaciſſime conjeciſſe credo *Gronovium* patrem in *Obſ. eccl. Cap. VII pag. 80.* Qui ea ſcripſit, docere voluit, ab ipſo *Deo* id nobis eſſe traditum in Libro primo *Moſis.* Diſſentire a *Gronovio Daviſium*, non miror. Eſt enim non optimæ notæ Criticus. In MS. ſic eſſe, teſtatur *Rigaltius*: *Ebo altior — poterit inveniri, & a Deo traditum.* Quam formulam non eſſe *Minucio* noſtro dignam, agnoſcit & *Gronovius* filius, obſervans etiam ineptam συνωνυμίαν, *altior & ſublimior.*

7. *Anaxagoræ — dicitur*) *Anaxagoras*, inquit *Cicero*, *primus*, *omnium rerum diſpoſitionem & modum mentis infinitæ vi ac ratione deſignari & confici*, *voluit.* Hinc *Buhierius*, Criticus Galliæ inſignis, apud *Clericum* in *Biblioth. anc. & mod. T. XVI pag.* 222 cenſet, verba *Minucii* eſſe depravata, & hunc reſtituenda in modum: *Anaxagoræ rerum deſcriptio & modus infinitæ mentis opus dicitur.* Ego quidem *Buhierio* refragari nolim.

7. *Capiatur*) In MS. depravate *capitatur.* Hinc reſcribere geſtit *Meurſius captatur.* Rectiſſime vero *capiatur.* En verba *Lactantii I, 5,*

17: *Pythagoras ita definivit, quid eſſet Deus: animus, qui per univerſas mundi partes omnemque naturam commeans atque diffuſus, ex quo omnia, quæ naſcuntur, animalia vitam capiunt.*

8. *Vim naturalem, animalem*) Dele *naturalem*, quod nec eſt in loco *Ciceronis*, quem ob oculos habuit *Minucius*. Scilicet librarius id *naturalem*, quod paulo ante præceſſit, errante oculo repetierat, poſteaque delere noluit, ne vitium inferret ſuo Codici: de quo librariorum more pulchre ſupra diſſeruit *Daviſius* ad *Cap. XVI, 3.* Ac hic ipſe *Daviſius* in Annot. ad *Ciceronis Lib. I de Natura Deorum Cap.* 13 putat, eliminandum e *Minucii* hoc loco eſſe *naturalem*: cujus ſententiæ ſubſcribere, non aliam comminiſci, debebat *Wopkenius in Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 35.*

8. *Deum noſſe*) Pro *noſſe* legendum *eſſe*, ecquis, ſi animum advertit, non videat? Video nunc, jam *Fulvium Urſinum* ita reſcripſiſſe.

9. *Quid Democritus?*) *Arnzenium*, ita interpungentem: *Quid? Democritus*, recte refellit in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 35 Wopkenius* ex illis hujus ipſius *Capitis* verbis ſuperioribus: *Quid Mantuanus Maro? Nonne*, cetera.

9. *Deum loquitur*) Subaudi *eſſe*. Ita & paulo poſt *n.* 11: *rationem Deum diſſeruit*. Et infra *Cap. XXI*, 2: *Prodicus aſſumtos in Deos loquitur, qui*, cetera.

9. *Straton quoque & ipſe naturam*) Verba

hæc

hæc tam abrupte poſita produnt ipſamet; hanc eſſe gloſſam marginalem.

18. *Unam poteſtatem*) *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 36* modo *uni* reſcribit, modo *unam mundo poteſtatem.* Neutrum neceſſarium, ac juſta huic loco ineſt concinnitas.

10. *Interim*) Pro *interdum.* Vide ſuprà ad *Cap. XVI, 2.*

11. *Mentem, modo animum*) Lego *mentem modo & animum.* Uti hic *modo* poſtponitur τῷ *mentem*, ſic infra noſter *Cap. XXIII, 8, tormentis quibus* ſcripſit pro *quibus tormentis.*

14. *Babylonio etiam Diogeni diſciplina eſt exponendi & differendi*) Facile apparet, hic non loqui *Minucium*, ſed balbutine librarium. Adeo peregrina ſunt hæc verba Latinis auribus. Sed quomodo, quæſo, emergemus ex his tantis tenebris? Illud quidem video, pro *diſciplina eſt* librario ſcribendum fuiſſe *diſcipulo ejus.* Nam conſtat, *Chryſippo* uſum eſſe magiſtro hunc *Diogenem.* Deinde & illud intelligo, *differenti*, non *differendi*, legi oportere. Reſtat *exponendi et*: pro quo quid reſcribendum ſit, viderint acutiores. Quod ſi pro duobus his verbis ſcriberem *placet id*, ſenſum quidem ſcriptoris noſtri, ni fallor, exhiberem, ſed non item verba. Quare, ut dixi, poſteritati criticæ id relinquo divinandum. Exhibeo interim *Ciceronis* verba e *primo de Natura Deorum Libro*: *Diogenes Babylonius in eo libro, qui inſcribitur de Minerva,*

partum Iovis ortumque virginis ad Phyſiologiam traducens disjungit a fabula.

14. *Cetera, rerum*) In editione Romana vitioſe eſt *ceterarum rerum.*

15. *Ariſto Chius*) Romana in editione eſt *Ariſto Stoicus.* Quædam editiones habent *Ariſto Chius Stoicus.* Sed, omitti debuiſſe poſtremum verbum, ex vero iudicat *Lud. Carrio Emend. Lib. II Cap. 18.*

16. *Et rebus ipſis & nominibus*) Non regit hos ablativos præmiſſum verbulum *de*, ſed hoc ſibi vult *Minucius*, *Platonem* apertius de Deo diſſerere, tum quod ad res ipſas, tum quod ad nomina, attineat. Sic ſupra *n.* 4 *ipſis rebus* dixit pro *re ipſa.*

16. *Cæleſtis*) Id eſt, Chriſtiana. Paulo poſt *Cap. XX, 1: Philoſophos fuiſſe jam tunc Chriſtianos.*

16. *Perſuaſionis civilis*) Hoc eſt, religionis in civitate receptæ illo tempore.

17. *Ipſo ſuo nomine*) Scripturam hanc, quam & editio Romana habet, adverſus *Buhierium* probe defendit *Clericus* in *Biblioth. anc. & mod. T. XVI pag. 223.*

18. *Eadem fere & iſta, quæ noſtra ſunt*) Sic & habet Romana editio. *Fulvius Urſinus* non habebat, cur ita refingeret: *Eadem fere iſta, quæ & noſtra ſunt.*

CAP. XX.

1. *Deum unum — — nominibus*) Careant

hæc

hæc verba connexione. Hoc indicio cognovi, gloſſema hoc eſſe. Ac ſane, ejectis verbis his, limpidiſſime fluit oratio. Lege, ſis, quæ de arte obſervandi gloſſemata protuli in libello meo *de arte critica* inde a §. *XXIV* usque ad §. *XXXVI*.

2. *Delectata vel capta*) Priora duo verba cum exterminare auderet *Daviſius*, docte pro iis propugnavit *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 36*, percommode adducens *Ciceronis* illud e *Lib. VI ad Fam. Epiſt. 7*: *Tu pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Cæſar, tenes.* Illud tamen hinc fit veroſimile, *delectata & capta* ſcripſiſſe *Minucium*.

3. *Monſtroſa miracula*) In MS. eſt *monſtruoſa mira miracula*. Sed quis non videat, quod iam vidit *Meurſius*, *mira* expellendum eſſe? In oculis quippe eſt origo erroris ſcriptorii. Minus attentus erat *Daviſius*, cum e *mira* faceret *dira*. *Monſtruoſa* vero ſcripſiſſe ſæpius librarios pro *monſtroſa*, ſecutos enuntiationem vulgi, iam docui ad *Lactantii I, 20, 36, & IV, 15, 28.* Producit quidem *Daviſius* illud *Prudentii Periſteph. II, 7*:

Nunc monſtruoſis idolis
Imponis imperii iugum.

Sed quid mirum, eum Poetam cum vulgo dicere *monſtruoſus*, qui cum vulgo dicere ſuſtinuit *idolum* correpta ſyllaba media? *Schefferum* autem minime audio, qui in *Obſ. miſc. crit. T. IX Lib. 2 pag. 165* etiam verbum *miracula* tolli vult.

vult. Non recordabatur Vir doctiſſimus, ſimiles fabulas appellari *miracula Lib. IX Cap. 4*, & a *Livio Lib. I Cap. 4.*

3. *Suis hominibus*) *Wowerum*, *ſemihominibus* reſcribere geſtientem, vehementer erraſſe, aſſentior *Daviſio.*

3. *Et, quicquid*) Præfixo puncto legendum *Ita, quicquid.*

3. *Licet*) Haud dubie reſcribendum *libet.*

3. *Libenter*) Verbum depravatum. Ego ſic ſcripſiſſe credo *Minucium*: *illis erat libentibus audire.* Græcanica phraſis, cujus exempla e *Livio*, *Tacito*, aliis, producit *Leopardus Lib. IV Emend. Cap. 23*, & hinc *Vechnerus Hellenol. Lib. II Cap. 9.* Proferam unum *Taciti* locum, itemque alterum. *Lib. III Hiſt. Cap. 43*: *Ceteris remanere volentibus fuit.* *Annalium Lib. I Cap. 59*: *ut quibusque bellum invitis, aut cupientibus, erat.*

4. *Quid illas antiles fabulas*) Reſcribo: *Quid illa aniles fabulæ.* Sic & *Cap. XXI, 13*: *Quid forma ipſa & habitus?*

4. *De hominibus*) Pro *ex hominibus. Tertullianeus* eſt hic ſtilus: id quod obſervavi ad *Lactantii V, 9, 1.* Saniſſima igitur eſt hæc ſcriptura, contra quam ſentit *Anonymus* quidam in *Obſ. crit. Brit. & Bat. Vol. I pag. 29.*

4. *Quia fieri non poſſunt*) Recte ſic in MS. Codice. Plures ita ediderant peſſime: *Quæ ſi eſſent facta, fierent, quæ fieri non poſſunt: ideo nec facta ſunt.* Illud addo, breviter dictum eſſe

fierent

fierent pro *nunc etiam fierent*, & *quia fieri non poſſunt* pro *quia noſtro tempore fieri non poſſunt*. Ceterum, quid ſentiendum ſit de hac *Minucii* argumentatione, dixi in *Poeciles Tomo II pag.* 282 *ſeq.*

5. *Similiter ac vero*) Magna vero ſcripturæ primigeniæ corruptio. Eam ita reſtituo: *Simili errore.* Supra etiam noſter *Cap. XIV*, 7, dixit *errore conſimili.* *Gronovium Iacobum*, *ſimili veratro* reſcribentem, haud injuria exagitat *Clericus* in *Bibliothecæ ſelectæ Tomo XXIV pag.* 136.

5. *Improvidi, creduli*) Lego *improvide creduli.* Sic ſupra *Cap. XIV*, 7: *incaute creduli.*

5. *Rudi ſimplicitate*) Scribo *rudi ſimplicitati.* Abſtractum pro concreto ponitur. *Rudi* igitur *ſimplicitati credere* eleganter dixit noſter pro *fidem habere veteribus magna ſimplicitate & imperitia conſpicuis.* Ita ſupra *n.* 2 dixit *antiquitas imperitorum*, hoc eſt, antiqui illi imperiti. Obſerves etiam velim veram notionem verbi *rudis*. Significat hic loci primum & antiquiſſimum hominum genus, quod *rude* adhuc erat, id eſt, nondum excultum & expolitum, nondum, ut ita loquar, elaboratum. Quem eundem in modum ſupra dixit *Cap. VI*, 1, *adhuc rudi ſeculo in ipſis mundi natalibus.* Ita & *rude argentum* opponitur *ſignato* a *Curtio V*, 2, 11, & ab *Ovidio Lib. II ex Ponto Eleg. VIII*, 6. Hoc ſenſu etiam *Cicero Lib. III de Nat. Deorum Cap.* 3: *Rudem me diſcipulum accipe.*

5. *Dum*) Ante hoc verbum pro ſemicolo,

quod habent ſuperiores editiones, punctum neceſſario pono.

5. *Memorias*) Non dubito, veram ſcripturam eſſe *memoriam*.

5. *In ſtatuis*) Primo ita pro edito *inſtantius* reſcripſit *Lud. Carrio Emend. Lib. II Cap. 18.* Legi vero etiam in MS. *in ſtatuis*, docet *Heraldus*.

6. *Sexu ſuo*) *Sexuue ſuo* ſcripſiſſe noſtrum, facile, opinor, mihi accredetur.

CAP. XXI.

1. *Stoicorum ſcripta*) Quia *Stoicorum ſcripta* hic opponuntur *ſcriptis ſapientium*, id eſt, Philoſophorum, nonnullis neceſſe viſum, reſcribere *hiſtoricorum* pro *Stoicorum*. Cujus correctionis iuſtitiam ego quidem eo facilius agnoſco, quod, in *Hieronymi* quoque quodam loco librarios alios ſcripſiſſe *Stoicorum*, alios *hiſtoricorum*, obſervavi in meæ *Poeciles T. II pag. 344*. Firmat conjecturam hanc illud *Lactantii V*, 4, 6: *Oportebat prius humana teſtimonia offerri*, *id eſt*, *philoſophorum & hiſtoricorum*.

1. *Ob merita*) Ante *Ob* punctum poſuit *Daviſius* rectiſſime, & poſt *habitos* comma. Tantum intereſt, recte interpuncta habere ſcripta veterum. Nam ſequi ſolet interpunctionis corruptionem ipſius orationis depravatio. Gemellus locus *Lactantii de Ira Dei XI*, 8: *Euhemerus Deorum omnium natales*, *conjugia*, *progenies*,

es, *imperia*, *res geſtas*, *obitus*, *ſepulcra*, (ita enim legendum pro *ſimulacra*,) *demonſtrat*.

2. *Prodicus*) In *Cellariana* editione deſideratur hoc verbum. In MS. eſt *prodigiis*. Emendatio debetur *Rigaltio*, quam *Daviſius* confirmat ex illo *Ciceronis Lib. I de Natura Deorum Cap.* 42: *Quid Prodicus Chius*, vel potius *Ceus? qui*, *ea*, *quæ proſunt hominum vitæ*, *Deorum in numero habita eſſe*, *dixit*. Neque adeo eſt audiendus *Sevinus*, qui in *Commentariis Academiæ Inſcriptionum Regiæ T. VIII pag.* 11 vult *prodigiis* mutari in *prodit. Is*.

2. *Eleuſina*) In editione Romana *Eleuſinia*. Male.

2. *Errando*) *Indem ſie in der Welt herum reiſeten. Ovidius Metam. XIV*, 687: *toto paſſim vagus errat in orbe*. Eodem ſenſu *errare* occurrit in *Curtii IX*, 3, 14. *Pererrare regiones* dixit *Ovidius Faſt. IV*, 496.

2. *Novis frugibus*) Dele *frugibus*, quod nec eſt in editione Romana, ſi *Wowero* credimus: qui & commode producit illud *Plinii: Singula quosdam inventa numero Deorum addidere*. Delevit vero & *Fulvius Urſinus frugibus*.

3. *Iisdem nominibus*) Dativo caſu capienda hæc eſſe, ſi quis forte non videbit, vel corrupta, vel ſaltem obſcuriſſima, verba ſe legere, exclamabit.

4. *Alexander ille magnus Macedo*) *Wowero* ultimum horum verborum videbatur abjectitium, mihi penultimum. Non enim laudare

Alexandrum illum volebat noſter, ſed ab aliis *Alexandris* diſcernere. Errorem *Cellarii* & *Rigaltii*, non de *Alexandro* rege hunc ſermonem eſſe, ratorum, ſed de *Alexandro* Polyhiſtore, jam notavit ad h. l. *Daviſius*, itemque *Gronovius*. De illa *Alexandri* ad *Olympiadem* matrem epiſtola vid. & *Caſauboni Animadverſ. in Athenaeum Lib. XIV Cap. 22 pag. 938*, ac *Fabricii Biblioth. Graec. Lib. II Cap. 10 §. 17 pag. 416*.

4. *Illic*) Hoc eſt, in volumine illo. *Illic* recte reſcripſit *Rigaltius* pro MS. *illi*. Alii male ediderunt *ille*. Infra *Cap. XXII, 12*: *Illic obiit, illic filios habuit*.

4. *Omnium principem, & poſtea Iovis gentem*) Miror, hic non ſubſtitiſſe Criticos, ſed intelligere ſibi viſos eſſe, quod non intelligebant. Lege *Lemniorum principem, Veſta & Iove genitum*. Hinc *Vulcania Lemnos* dicitur *Val. Flacco II, 78*. *Veſtam* ſcilicet, deam ignis, putabat *Minucius*, matrem eſſe ejus, qui deus ignis habitus eſt.

5. *Diſpice Iſidis ad hirundinem ſiſtrum*) Non *Diſpice*, ſed *De ſpicis*, in MS. apertiſſime legi, teſtis eſt *Rigaltius*, qui & interpretari conatur: id quod & facit pro ſua Codicis MS. ſuperſtitioſa veneratione *Iac. Gronovius*. Verum recte duriſſimam & maxime contortam vocat hanc interpretationem *Daviſius*, qui, duce *Salmaſio*, ita cenſet reſcribendum: *Reſpice, ſis, Iſidis ad hirundinem ſiſtrum*. At nec hæc oratio eſt fluida & concinna. Deterior vero eſt illa correctio, quam

in ſecunda ſua editione protulit: *Ridet ſpicas Iſidis ac hirundinem.* Nec probare poſſum *Woweri* conjecturam, in annotatione ad *Sidonii Apollinaris Lib. II Epiſt. y pag. 418*, reſcribentis *Diſpicis*, qui ſit genitivus a *diſpex.* Quæ hariolatus eſt in *Obſ. miſc. crit. T. II pag. 54 ſeq.* & *T. IV pag. 442*, quidam Britanniæ Criticus, ea quidem mihi non placere, fateor: imo dubito, an ulli ſint plaçitura. Ignoſcet etiam, ſpero, *Elmerus*, Vir ſingulari ingenio doctrinaque florens, fatenti mihi, nec ſuarum conjecturarum unam mihi videri felicem. Hic in *Schediaſmate critico*, A. 1744 edito, *Cap. XI pag. 111 ſeq.* vel ita cum nonnullis legi oportere cenſet: *Deſpica Iſidis ad hirundinem ſiſtrum;* vel ita: *Deſpice Iſidis hirundininum ſiſtrum.* Interpretatur etiam *pag. 114* hoc *deſpice* per *aſpice obiter*, aut *cum contemtu.* Cum vero *ad hirundinem* dici putat pro *ad ſimilitudinem hirundinis*, merito, per genium Latinæ linguæ ita loqui licere, negat Criticus quidam in *Novis literariis*, Hamburgi A. 1744 editis, *pag. 8.* Optimus mihi *μάντις* eſſe videtur *Ioannes Huberus*, Baſileenſis, Iuris Doctor, idemque vir criticæ artis peritiſſimus. Hic, cum ante aliquot annos in Academia Gottingenſi verſaretur, privato in ſermone ita refingebat hæc verba: *Adſpice Iſidis ac Anubidis ſiſtrum.* Anubidem, conſtat, *Iſidis* fuiſſe filium.

5. *Et diſperſis*) In MS. eſt *& adſparſis.* Correctio illa iuſtiſſima debetur *Meurſio.*

5.

5. *Tui*) Cur *tui* hic dicat ad *Cæcilium Octavius*, cognoſce e *Cap. II, 5*.

6. *Facta & funera*) Facile legerim *& fœda funera*. Certe, quod editum eſt, non ſcripſit *Minucius*.

7. *Et calvis*) Ita eſſe in MS. teſtatur *Heraldus*, docteque eam ſcripturam defendit adverſus eos, qui ediderant *& aliis*. Suſtulit vero jam *Lud. Carrio* hunc ſcripturæ errorem *Lib. II Emend. Cap. 18*. Calvi videlicet erant ſacerdotes *Iſidis*, atque etiam a *Martiale* & *Prudentio calvi* vocantur: quorum loca producenda etiam ad hunc locum fuerunt a *Cellario*.

9. *Facibus accenſis*) Hoc ipſum narrans *Ovidius* Metam. *V*, 442: *Flammiferas pinus ſuccendit ab Ætna.*

9. *Et ſerpente circumdata, errore*) Idem, quod ſupra ad *num. 2* de *errare* obſervavi, obſerves hic velim de *errore*. *Error* ſcilicet hic ſignificat circumvagationem. *Pelagi erroribus actus*, inquit ſimiliter *Virgilius VI, 532*. De eodem *Cereris* itinere *Ovidius Faſt. IV, 463*: *Forſitan illa dies erroris ſumma* (id eſt, ultima,) *fuiſſet*. Iam facile liquet, acute vidiſſe, qui pro MS. *circumdata* ſcripſit *circum lata*: quam ſcripturam etiam *Hieronymus Aleander* defendit in *Explicatione antiquæ tabulæ Solis effigie ſymbolisque exſculptæ*, *pag. 754* editionis *Graviana*. Inde quoque cognoſcimus, *circulata Meurſium* reſcripſiſſe minus feliciter. Quid vero faciemus verbo *ſerpente?* Merito id quidem rejicit *Meurſius*: ſed, quod pro

eo

eo ſcribit, *derepente* huc non quadrat. Manifeſtum eſt enim, deſiderari adiectivum, verbo *errore* iungendum. Igitur pro *& ſerpente* ſcribo *longinquo*, donec alius protulerit verbum convenientius. Quam *longinquus* fuerit hic *Cereris error*, hoc eſt, hæc ejus circumvagatio; docet *Ovidius* in *Faſtorum IV*, 495 *ſeq.*

10. *At qua*) Melius editio Romana *Et qua.*

10. *Audiat vagitus, tinnitus eliditur*) In MS. ita: *audiat, vagitus initus eliditur. Rigaltius intus* reſcribere geſtit pro *initus*. Mihi non eſt dubium, quin ita ſcripſerit noſter *Minucius: ne pater audiat, vagitus tinnitu eliditur.* Sic *tinnitum æris Plinius* dixit *Lib. XI Cap.* 20. Et *Ovidius Metam. V*, 204: *Enſe ferit* ſaxum: *Sonuit tinnitibus enſis acutis.*

11. *Cybelen Dyndimenam*) Ita pro MS: *Cybele Dyndimena* reſcripſit *Meurſius*. Male. Sic enim legi oportet: *Cybele Dyndimena pudet dicere*) *adulterum ſuum*, cetera. Hic nec *Rigaltio*, nec *Daviſio*, aſſentiendum, quorum ille *Cybela Dyndima* legi vult, hic *Cybela Dyndimena.*

11. *Placitum*) *Anna* ad ſororem *Æneæ* amore incenſam apud *Virgilium Æn. IV*, 38: *Placitoque etiam pugnabis amori? Ovidius Amorum II*, 4, 18: Fœmina hæc mihi *placita eſt ſimplicitate ſua.* Scilicet a *placeo* præteritum eſt non ſolum *placui*, ſed etiam *placitus ſum*: ut *ſolitus ſum* a *ſoleo*, *dolitus ſum* a *doleo*; *pranſus ſum* a *prandeo*.

11. *Et ipſa*) Clare apparet, reſcribendum eſſe *ipſa &*.

12.

12. *Et ſemiviri*) Delendum *&*.

13. *Et dedecora*) Recte ita reſcriptum pro MS. *& decora.*

13. *Claudus Deus*) Ejicit *Deus Wowerus* jure maximo.

13. *Debilis*) *Debilis* hic vocatur, cujus aliquod membrum corporis vel fractum eſt, vel vulneratum. *Curtius IV*, 15, 17: *Trunci quoque & debiles arma non omittebant*. Et *Cap. XVI*, 11, *armatis* opponit *inermes*, *integris debiles*. Interpres eſt *Tacitus Agric*, XXXVIII, 1: *trahebant vulneratos, vocabant integros*.

13. *Semper adoleſcentis*) Imitatur *Terentii* illud *Andr.* I, 2, 4: *Heri ſemper lenitas verebar quorſum evaderet*. Sic apud *Cyprianum* legere me memini *ſemper diabolus*.

13. *Quaſi & averſus incedat*) Magno ſtudio corrumpit hunc locum *Jac. Gronovius* ſane ſaniſſimum: id quod nemo non fatebitur, qui ſatis attente ipſum inſpexerit.

14. *Interim*) Id eſt, interdum.

14. *Mammis multis & uberibus*) *Uberibus* non eſt hic ſubſtantivum, (quod ab omnibus eſt creditum,) ſed adjectivum. Mammas *uberes* vocat noſter, quæ multo lacte plenæ ſunt. Sic *uber ager* apud *Livium XXIX*, 25, & *XXXIV*, 62; *uber ſolum* apud *Tacitum Hiſt. V*, 6, & *Curtium VI*, 4, 21. In MS. Codice *Minucii* eſt *veribus*, quod factum eſſe ex *vueribus*, (ita enim ſæpe ſcribebant librarii, literas *b* & *u* permutantes,) acute conjicit *Rigaltius*, ideoque *vberibus* reſcribe-

reſcribere non dubitat: id quod & *Heraldo* placuit. Ac eodem modo locum hunc *Lipſius* emendavit ad *Taciti Annalium III, 61.* Supra quoque *Cap. XIX, 2,* Codex MS. *verius* habet pro *uberius*: & infra *Cap. XXXVI, 3, verius* eſt in Romana editione pro *uberius*. Apparet nunc, falſiſſimam eſſe correctionem *Lucæ Holſtenii*, qui in *Epiſtola de verubus Dianæ Epheſiæ*, Romæ primum A. 1688 edita, & in *Actis Eruditorum* recenſita *Supplem. T. I pag. 550*, poſteaque in *Tomo VII Antiquitatum Græcarum Gronoviano* recuſa, reſcribendum judicabat *verubus*: quod quidem etiam in editione Romana reperio. Reiicit vero & *Daviſius* hancce correctionem, quæ tamen ſe probarat *Iacobo Gronovio*.

15. *Quid ipſe Iupiter veſter?*) Imo vero ita interpungendum: *Quid? Ipſe Iupiter veſter modo*, cetera.

15. *Barbatus locatur*) Hunc locum *Rigaltius* interpretatur e *Phædro, Æſopo*, inquienti, *ingentem ſtatuam poſuere Attici, ſervumque collocarunt æterna in baſi.* Sed multo veriſimilius eſt, *locatur* tollendum eſſe. Facile enim credetur, quempiam in margine verbum *ſtatuitur* interpretatum eſſe per *collocatur*, ex eoque librarium, qui textui id inſeruit, feciſſe *locatur*.

15. *Non auditur*) Ita in MS. eſt, ſine dubio vitioſe. *Io. Frid. Gronovii* correctio, in *Obſ. in Script. eccl. Cap. VII pag. 81* exhibita, ubi *opimis induitur* reſcribit, non modo longius recedit a

ſcriptu-

ſcriptura Codicis manu exarati, ſed rei etiam veritati repugnat. Non enim ſolebat ſpoliis optimis, quæ in *Iovis Feretrii* templum inferebantur, *Iupiter* ille indui. Ipſe quoque huic ſuæ correctioni diffidit, nactus tamen ſubſcriptorem *Cellarium*, qui ita edidit. *Wowerus* ac *Rigaltius* legi iubent *non aditur*. Verum nullus hinc exſculpitur ſenſus, quantumvis moliatur *Rigaltius*. Nec facile quis cum *Scheffero Obſ. miſc. crit. T. IX Lib. 2 pag. 166* reſcripſerit *non clauditur*, vel cum *Iac. Gronovio nomen auditur*. *Perizonius* reſcribit *pompa aditur*: quæ emendatio non ſolum cum re ipſa convenit, ſed etiam originem mendi manifeſtam facit. Ex *a aditur* enim facile factum *auditur*, & *non* e cetero. *Pompæ fercula* dixit *Cicero Lib. I de Off. Cap. 36*, & *Suetonius* in *Iulio Cæſare Cap. 37*. Unum tamen in correctione *Perizoniana* iure deſideres. Non enim ſatis Latina eſt iſta dictio, *pompa adire Iovem*. Ultimam igitur manum huic loco adhibeo, reſcribens *cum pompa aditur*: quod *cum* propter antecedens *cum* facile omiſit librarius. *Plautus Curcul. I, 1, 2*: *Quo proficiſceris, Phædrome, cum iſthoc ornatu, cumque hac pompa?* Et *Bacch. I, 2, 4*: *Quo nunc capeſſis te hinc advorſa via cum tanta pompa?* Adiicio illud *Ciceronis* ex *Orationis Milonianæ Cap. 13*: *Tu P. Clodii cruentum cadaver eiecisti domo: — — tu ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompa*, cetera.

Dudum hæc ſcripſeram, cum incidi in acutiſſimi *Witboſii Encænia critica*, A. 1741 edita. Hic

Hic, *Lib. II Cap. 47. 213* & *214* hunc tractans locum, pro *tunc* (quod verbulum etiam *Iac. Gronovius* ſuſpicatus eſt mendoſum eſſe,) *gerit fulmina*, feliciter reſcribit *manu gerit fulmina*. Deinde vero pro *non auditur* legi vult *votis aditur*. Sed hæc quidem correctio non meretur applauſum, cum Iovem ſui cultores *votis adierint* (ſi modo ſatis Latina eſt hæc dictio;) non modo *Feretrium*, ſed etiam *Hammonem* & *Capitolinum* & *Latiarem*.

15. *Et ne longius multos Ioues obeam*) An vero *Minucii* noſtri eſt, tam loqui barbare? Et an Critici ſilentio prætererire debebant hunc locum? Scilicet *multos Ioves* irrepſit e margine, cui aliquis, hic videns commemorari *Iovem Hammonem*, *Iovem Capitolinum*, *Iovem Latiarem*, & *Iovem Feretrium*, hæc verba inſcripſit: *O multos Ioves!* Nunc igitur pro *ne longius obeam* apparet ſcribendum eſſe *ne longius abeam*, hoc eſt, ne longior ſim, ne plura proferam *Iovis* cognomina. *Audi*, inquit *Cicero Lib. II de Fin. bon. Cap. 30*, *ne longe abeam, quid dicat Epicurus*.

16. *Ignita*) Ita pro MS. *ignata* ſcribentes, *Rigaltium* & *Heraldum* duces ſecuti ſunt editores omnes præter *Gronovium Iacobum*, qui *ſignata* reſcribendum duxit invita profecto Minerva critica. Illud tamen probe vidit, verbum *ignita* non cum *aſtra*, ſed cum *virgo*, coniungi oportere. Clarius itaque dicere poterat *Minucius: ut inter aſtra ſit virgo ignita*.

16. *Oeteis*) *Oeteis flammis* exſtinctum eſſe

Herculem, ſcribit etiam *Ovidius Metam.* IX, 250. Confirmatur ita correctio *Rigaltii*, pro MS. *benneis* reſcribentis *Oeteis*. Ac probata ea fuit editoribus ad unum omnibus. Coniiciebat *Rigaltius*, librariorum unum pro *Oeteis* vitioſe ſcripſiſſe *Ætneis*, alium deinceps *benneis*.

CAP. XXII.

1. *Diſcimus*) Male editio Romana habet *didicimus*. Nam in illo MS. Codice, e quo expreſſa eſt, legi *diſcimus*, teſtatur *Heraldus*: idque iure tuetur *Lud. Carrio Emendat. Lib. II Cap.* 18.

1. *Elaboramus*) Quid hoc ſibi vult? Lego *corroboramus*. En ſimillimus locus *Ciceronis* in *Orat. pro Flacco Cap.* 26: *Virtus non ſolum natura, verum etiam diſciplina, corroboratur.*

1. *Plurimum quantum*) *Cellarius* & plures alii ediderunt *permirum quantum*: quod etiam eſt in editione Romana. Sed in MS. eſt *plurimum quantum*: quod recte defendit *Carrio* in modo laudato *Capite*. Infra *Cap. XL*, 1, iterum occurrit *plurimum quantum*: quod & habet Romana illa editio.

2. *Laudatum & coronatum*) Pro *laudatum Andr. Schottus* in *Nodis* ſuis *Ciceronianis Lib. III Cap.* 9 reſcribendum duxit *lautum*, vel *lavatum*, vel denique *lana tum coronatum*. Ac ſane *Maximus Tyrius Diſſ. VII pag.* 76 ita loquentem inducit *Platonem*: Χρὴ ϛέψαντας ἐρίῳ τὸν ἄνδρα (*Homerum*) καὶ χρίσαντας μύρῳ ἀποπέμπειν παρ' ἄλλους.

amus. Quæ eadem fere verba *Dio Chryſoſtomus* profert in *Orat. LIII pag. 554.* Docet autem *Ælianus Var. Hiſt. Lib. XII Cap. 12, laneam coronam* fuiſſe inſigne mulieroſitatis & indignæ viris mollitiei. Mihi itaque pro *laudatum & coronatum* reſcribendum videbatur *lanea corona ornatum.* Quid enim ſibi velit *Barthius*, in *Adverſ. Lib. XXIII Cap. 6* propterea reiiciens *Schotti* correctionem, quod *lanæ mentio minime ſit ex ſtilo Minucii*, equidem non intelligo. Nunc vero, nihil mutandum eſſe, video, *Minuciumque* brevi compendio retuliſſe, quæ longiori hoc ſermone dixit *Plato Lib. III de Republica: Si quis in urbe noſtra voluerit poëmata ſua oſtentare, venerabimur quidem ipſum ut ſacrum, admirabilem, & iucundum; dicemus autem, non eſſe fas, ut eiusmodi homo ſit in republica noſtra; emittemusque eum aliam in urbem, effuſo in caput ipſius unguento, impoſitaque corona lanea.* En *laudatum* prius Poetam, deinde *coronatum*, tum *e civitate eiectum!*

2. *In ſermone*) Vel emendanda ſunt hæc verba, vel, quod mihi quidem præplacet, eiicienda.

4. *Ceſto Veneris*) *Martialis Lib. XIV Epigr. 207:*

Sume Cytheriaco medicatum nectare ceſtum.
Uſſit amatorem baltheus iſte Iovem.

Non tamen eſt in MS. *Minucii* Codice *ceſto Veneris*, ſed *loro Veneris*: pro quo in editione

Romana vitioſe ſcriptum eſt *toro*. Retinendum igitur eſt *loro*, quod & edidit *Gronovius*.

5. *Muros Neptunus inſtituit*) *Heuſingerus*, Director Iſenacenſis Gymnaſii, amicus meus, per literas me docebat, ſibi reſcribendum videri *inſtruit*. Simul *Boſium* ad *Corn. Nepotis II*, 6, 4, iubebat inſpici. Applaudo, mirorque, nemini antea obſervatum eſſe hoc mendum.

5. *Vulcanus*) Dele hoc verbum, quippe in MS. non repertum, ſed in editione demum Romana. Omiſerunt igitur iure id verbi ſuis in editionibus *Rigaltius*, *Daviſius*, *Gronovius*.

6. *Ut vitiis hominum quadam auctoritas pararetur*) Scilicet *quod decuit Divos, cur mihi turpe putem?* inquiet aliquis verbis *Ovidii Amor. II*, 8, 14. Ceterum ſcias, in MS. eſſe *ut iudiciis*, pro eoque recte iam dudum reſcriptum eſſe *ut vitiis*. Pravam illam ſcripturam acriter defendi a *Iac. Gronovio*, mirari noli. Eſt ei Codex MS. pro oraculo, quem ſcatere mendis, nulli Critico non eſt manifeſtiſſimum.

7. *Dulcioribus*) Etiam in *Lactantii Epit. LXII*, 5, editum eſt *dulcioribus*, cum tamen in MS. ſit *dulcibus*. Quare & hic reſcribendum cenſeo *dulcibus*.

8. *Examinis*) Ob oculos fuiſſe *Minucio* noſtro illum *Tertulliani* locum ex *Apolog. Cap.* 10: *Etiam Iovem oſtendemus tam hominem, quam ex homine, & deinceps totum generis ipſius examen tam mortale*, cetera; obſervavit *Wopkenius* in *Obſ.*

Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 38. De apibus potiſſimum dici *examen*, conſtat.

8. *Et Thallus*) Scribo *Et Thallus* præmiſſo puncto. *Et* namque hic ſignificat *etiam*.

9. *Inſtrumenta*) Vocabulum forenſe.

10. *Latuiſſet, vocari maluit Latium*) *Ovidius Faſt. I, 238:*

Dicta fuit Latium terra latente Deo.

11. *Quod apud Italos eſſet iguotis parentibus*) Non dubito, hanc eſſe veram ſcripturam: *quod apud Italos eſſent ignoti parentes eius.*

11. *Proditus*) Singulari modo uti ſolet hac dictione noſter. Paulo ante *n. 6*: *Omnia ſunt in hoc* (id eſt, eo fine) *prodita, ut*, cetera. Et *n. 8*: *Saturnum omnes ſcriptores hominem prodiderunt.* Facile intelligitur, ei verſatam eſſe ob oculos hanc phraſin: *prodere aliquid memoria.* Ecce & illud *Ciceronis* e libri *de Senect. Cap. 7*: *Ea, quæ a maioribus accepimus, poſteris prodere debemus.*

11. *In hodiernum*) Inſolita dictio, & fortaſſe ex errore librarii nata.

11. *Cælo miſſos.*) De hac phraſi vid. *Parei Lexicon criticum* v. *cælo miſſus.*

11. *Terræ filios*) Hanc loquendi formulam pluribus exemplis illuſtrat *Politianus Miſcell. Cap. 18.*

12. *Cretæ regnavit*) *Cretæ* eſt dativus: cuius dictionis plura exempla protuli ad *Lactantii III, 29, 9.*

12. *Adbuc antrum*) Lege *illic adbuc antrum.* Inſpice, quæ mox præcedunt: nec dubitabis.

12. *Sepulcrum eius oſtenditur*) *Epiphanius* in *Ancorato Cap.* 106: *Iovis ſepulcrum in inſula Creta in monte Caſio* ἕως δεῦρο δακτυλοδεικτεῖται, *ad banc usque diem digito demonſtrari ſolet.*

12. *Humanitatis*) Id eſt, humanæ naturæ. Sic & ſupra *Cap. XVII*, 2, locutus eſt noſter. Eodem ſenſu *mortalitatem* dixit initio *Capitis* proxime ſequentis.

CAP. XXIII.

2. *Et peierante*) Non incommode reſcribi volebat *Meurſius ut peierante.* At, cum correctio hæc non ſit neceſſaria, ei non ſubſcribo. In editione Romana eſt *& perierante*: quod forſan ſcriptum pro *& periurante.* Vide, quod ad *Lactantii de Ira Cap. XVI*, 4, ſcripſi.

2. *Non ad fidem — — poteſtatis*) Hoc eſt, non quod vere credant, eos nunc eſſe Deos, ſed ut regno ſuo rite functos afficiant honore quanto poſſunt maximo.

3. *Optant in homine perſeverare*) Vel *optant enim*, vel *qui optant*, ſcripſiſſe, credo, *Minucium.* Eum vero *in homine perſeverare* ſcripſiſſe, ut credam, impetrare a me non poſſum. Suſpicor, ſcriptum fuiſſe *optant homines perſervari*: quo verbo uſos fuiſſe Afros, *Tertullianus* docet in libri *de Patientia Cap.* 5, & in *Libri primi ad uxorem Cap.* 1. Nota eſt formula: *Servet te Deus*:

us: de qua *Briſſonius Lib. I de Formulis pag. 76 ſeq.* *Perſervari* igitur eſt perpetuo ſervari. nunquam mori. Ad rem ipſam pertinet illud *Ovidii* ad *Auguſtum Triſt. II*, 57: *Optavi, peteres cæleſtia ſidera tarde*; & *Lib. V*, 2, 51:

Sic habites terras, & te deſideret æther:
Sic ad pacta tibi ſidera tardus eas.

3. *Et, etiamſi ſenes*) In MS. eſt *&, ſi iam ſenes*, itemque in editione Romana. Lego: *&, etſi iam ſenes.*

4. *Nec de mortuis Dii ſunt*) Hoc eſt, nec ex mortuis facti ſunt Dii.

6. *Creari*) Id eſt, generari. In MS. eſt *creare*: quod nemo defenderit, niſi *Gronovius* aliquis *Iacobus*. Senſus hic eſt; Si Dii poſſent generari, & tamen non poſſent mori, tanquam Dii, cetera.

6. *Totis*) Id eſt, univerſis. Sic & infra *Cap. XXVIII*, 8: *totos aſinos*: pro quo *Tertullianus* in *Apologetici Cap. 16* dixit *totos cantherios*. Similia loca in *Wolveri* Annot. ad *Sidonii Apollinaris Lib. III Epiſt.* 2.

8. *Illuſam*) Hoc eſt, pro libidine ſua varie tractatam vexatamque, cum modo ſuſpenderet eam, modo cæderet, modo dolaret, modo runcinaret: quæ *Minucii* verba proxime ſequuntur. Ceterum ſcias, totum hunc locum in MS. ita, ut edi nunc ſolet, legi, maleque quosdam ſic edidiſſe: *erubeſcet temere ſe materiei, ut Deum faceret, illuſam.*

9. *Deus enim ligneus*) Stoliditatem hanc ethnico-

nicorum etiam *Ieſaias* exagitat *Cap. XLIV*; *Ie*[illegible]*emias* Cap. X, 3 *ſeq.* & auctor *Sapientiæ Cap. XII*, 10 *ſeq.*

9. *Infelicis ſtipitis*) Quid ſibi velit hæc dictio, expoſui ad *Ciceronis Orat. pro Milone Cap.* 13.

9. *Æreus*) Reſcribit *aureus*, ſed hæſitanter *Gatakerus* in *Cinni* ſui *Lib. II Cap.* 19 *pag.* 371. Confidentius ita emendaſſet, ſi in *Minucii Cap. XXIV*, 3, legiſſet, *in auro & argento* (e quo Dii ſunt facti,) *conſecratam* (ab ethnicis) *eſſe avaritiam.* Recte idem monet, *ſæpius* hic eſſe corrigendum, cum non ſæpius, ſed ſemel, id fecerit rex ille Ægyptius. Itaque pro *ſæpius* vel *legimus*, vel *ſcimus*, ſcripſiſſe putat *Minucium*. Mihi in promtu eſt correctio facilior, ideoque veriſimilior. Scilicet, adhibita verborum traiectione, ſic ſcribo: *de immundo vaſculo ſæpius, ut factum Ægyptio regi.* Video nunc, etiam *Iac. Gronovio* ita reſcribendum videri.

9. *Impurato*) Recte MS. ita, non *imperito*, quod editio Romana habet, & hinc plures aliæ. Loca *Plauti*, quibus idem verbum occurrit, exhibet *Pareus* in *Lexico critico. Minuciano* vero loco huic ſimillimum *Iuſtini Martyris* produxit ad hunc locum *Elmenhorſtius*, alium *Origenis Heraldus*.

9. *De veſtra*) Pro *ex veſtra*, ſtilo Afrorum.

9. *Niſi forte nondum Deus ſaxum eſt*) Conſtructio verborum: *niſi forte ſaxum nondum eſt Deus.* Non id monuiſſem, niſi vidiſſem, *Davifio* hæc verba non fuiſſe intellecta. Cætero e-

nim

nim ea ſenſu iudicat, criticumque arripit cultellum. Prædicatum videlicet habuit, ut cum Logicis loquar, pro ſubiecto, ſubiectum pro prædicato.

10. *Cum homo ille voluit*) In MS. Codice ſic: *cum homo illum voluit*. Reſcribit *Daviſius*: *cum homo illum coluit*, id eſt, ornavit. Quam interpretationem cum nulli ſe probaturam exiſtimem, puto, in Codice MS. qui unus ſupereſt, isque mendoſiſſimus, hic aliquid omiſſum eſſe a librario, ac ita ſcripſiſſe ſuſpicor *Minucium*: *cum homo illum, quem Deum eſſe voluit, &* (hoc eſt, etiam) *dedicavit*. *Dedicare ſimulacrum* etiam *Cicero* dixit *Lib. I de Legibus Cap. 22.*

CAP. XXIV.

1. *Quanto verius*) Ita *Fulvius Urſinus*, melioris notæ Criticus, emendavit depravatam MS. Codicis hanc ſcripturam: *Quanta vera*: quam cum *Rigaltio Daviſius* retinuit. Mirum vero, etiam defendi eam a *Scheffero* in *Obſ. miſc. crit. T. IX Lib. 2 pag. 167.*

1. *Naturaliter*) Hoc verbum irrepſiſſe e margine, non dubito. Significare voluit gloſſator, cum dentur etiam homines muti, id rariore fieri caſu; animalia vero naturaliter eſſe muta, neque ad loquendum, ut homines, nata.

1. *Rodunt*) Ita pro MS. *norunt* recte reſcripſit *Woverus*, eumque ſecuti *Ouzelius* & *Cellarius*.

rius. Nimirum *rodunt* ad *mures* pertinet, *inſultant* (hoc eſt, crebro inſiliunt,) ad *hirundines*; *inſident* ad *milvos*. Ceterum totus hic locus ita mihi videtur interpungendus ac legendus: *Quanto verius de Diis veſtris animalia muta iudicant! Mures, hirundines, milvi, (nam, non ſentire eos, ſciunt,) rodunt, inſultant, inſident.* Confirmat hanc emendationem, quod ſequitur: *Aranea vero.*

1. *Inſultant*) Ita rectiſſime *Wowerus* ſcripſit pro MS. *inculcant*. *Horatius Lib. III, 340: Dum Priami Paridisque buſto inſultet armentum.*

1. *Et illos, quos facitis, protegitis & timetis*) Aſſentior *Wopkenio*, in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 87* ita reſcribenti: *& illos, quos facitis & protegitis, timetis.* Unum hoc addo, *& illos* poſitum eſſe pro *& tamen illos.*

3. *Quorum ritus*) Subaudi *Romanorum*. Videbatur ſibi ſcilicet *Minucius* non *Romana ſuperſtitio*, ſed *Romanorum ſuperſtitio*, ſcripſiſſe: quod acute obſervavit *Iac. Gronovius*. Equidem de hac prudentia Criticorum, ut ſcilicet non corrigant ea, quæ ipſimet Auctores peccarunt memoriæ vitio, ſatis dixi in meo *de arte critica* libello, A. 1712 edito, §. *XL, XLI, XLII*, & *XLIII*.

4. *Multa etiam*) Lego *quam multa etiam miſeranda ſunt!* Continuatur enim exclamatio.

4. *Diſcurrunt: alii incedunt*) Ego vero facile agnoſcebam, ſic fuiſſe ſcriptum: *diſcurrunt alii: alii incedunt.*

4. *Pelles cædunt*) *Pelles* hic loci eſſe tympana, e pellibus confecta; docentem *Lib. III de Cymbalis Cap.* 14 *Lampium* recte hic ſequitur *Daviſius*, traiectione horum verborum *Woweriana* & *Cellariana* reiecta. *Phædrus Lib. III*, 20, 7, de Gallis, *Cybeles* ſacerdotibus: *Detracta pelle* aſini, *ſibi fecerunt tympana.* Hoc præterea obſervo, inter *pelles* & *cædunt* interiiciendum eſſe *alii*. Tria enim ſacerdotum genera exhibet *Minucius*, Lupercos, Salios, (quorum *ancilia* vocat *ſcuta vetera*;) & Gallos. Iam igitur, ita *Minucio* fluxerit oratio, neceſſe eſt: *Nudi cruda hyeme diſcurrunt alii: alii incedunt pileati, & ſcuta vetera circumferunt: pelles alii cædunt, & mendicantes vicatim Deos ducunt.* Nec illud non monendum, *mendicantes* non eſſe nominativum, ſed accuſativum, & ad *Deos* pertinere. Perſuadebit id, credo; *Tertullianus*, qui in *Apologetici* ſui *Cap.* 42 ita fatur: *Non ſufficimus & hominibus & Diis veſtris mendicantibus opem ferre.*

4. *Mendicantes vicatim*) Mendum hic latere, credit *Iac. Gronovius* in exitu Præfationis ſuæ ad *Minucium Felicem*, A. 1709 editæ. Verum omnino ſaniſſimus eſt hic locus, nec vereor, ne quiſquam alius aliter ſit exiſtimaturus.

5. *Eſt, quo viro non licet*) Ita MS. pro quo plures ediderant: *viſere eſt. Quædam viro non licet.* Mihi vero perplacet MS. Codicis ſcriptura, niſi quod unum verbulum adiiciens, quod facillime omiſit librarius, ita ſcribo: *Eſt, quo*

quo ire viro non licet. Innuit Deæ Bonæ ſacra, a quibus viros adeo ſubmotos fuiſſe, teſtatur *Seneca* in *Epiſt.* 97, *ut picturæ quoque maſculorum animalium contegerentur.* Eodem, quo ego, modo hunc locum emendavit *Daviſius:* ad cuius refellendam ſententiam quæ *Wopkenius* profert in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag.* 39, me non movent.

5. *Univira*) *Tertullianus de Exhort. caſtit. Cap. XI: Virginibus legitime nubentibus univira pronuba adhibetur. — — Flaminica non niſi univira eſt.* Vid. & *Reineſii Inſcriptionum Lib. XIV n.* 73.

5. *Plura adulteria*) Hoc eſt, matrimonia. *Minucius* enim, errore ſui ſeculi irretitus, ſecundas tertiasque nuptias habebat illicitas. Quare infra *Cap. XXXI*, 5, *Unius*, inquit, *matrimonii vinculo libenter inhæremus. Cupiditatem procreandi aut unam ſcimus, aut nullam.* Errant interpretes plerique omnes, qui *adulterii* verbo hic tribuerunt notionem Romanam. Idem, quod noſter *Minucius*, ſentientes Cataphryges, ſive *Montani* aſſeclæ, *ſecundas nuptias pro fornicationibus habebant*, uti ſcribit *Auguſtinus* in libri *de Hæreſibus Cap.* 26: qui & *Cap.* 86 ait, a *Tertulliano ſecundas nuptias tanquam ſtuprum damnatas fuiſſe.* Ac fecit hoc *Tertullianus* in libro *de Exhortatione caſtitatis*, cujus in *Capite nono* non veretur ſic pronuntiare: *Secundum matrimonium eſt ſpecies ſtupri.* Iam vero facile & *Ambroſium* interpretabimur, docentem, *ante legem Moſis*

& ante Evangelium non fuiſſe interdictum adulterium. Hoc ſcilicet nomine deſignat *polygamiam*, cum ſucceſſivam, tum ſimultaneam. Atque etiam *Tertullianus* in libro *de Monogamia* nuptias ſecundas ſæpius appellat *adulterium*.

6. *Teſta*) MS. *exta*, quod ſervarunt *Daviſius* & *Gronovius* in ſuis editionibus; prorſus deletum vult *Scheſſerus* in *Obſ. miſc. crit. T. IX Lib.* 2 *pag.* 167; *exſecta* reſcribere malente *Heraldo*. Recte vero fuiſſe reſcriptum a Criticis *teſta*, manifeſtiſſimum faciunt ea loca *Iuvenalis*, *Lucilii*, *Arnobii*, & *Plinii*, quæ produxit *Ramireſius* in *Pentecontarchi* ſui *quarto Capite*.

6. *Obſcena*) In ſingulari membrum genitale *obſcenum* vocat *Lactantius Lib.* I, 21, 28, & *Epit. Cap.* 23.

6. *Quomodo Deum violat*) *Perizonius* reſcribit *non violat*. Sed ideo non ſubſcribo, quia correcta hunc in modum oratio non ſonat *Minucium*. *Daviſius* putat, exclamationem hanc eſſe, & *quomodo* poni pro *quam valde*. At nec hoc ſe probabit acutioribus. Exclamationem tamen & ego agnoſco, iamque ita reſcribo: *quam impie Deum violat, qui hoc modo placat!* Nec eſt, quod mireris tantam corruptionem tam imperiti librarii, cuius ſolius Codex MS. ſupereſt.

7. *Male ſanos & vana & perditæ mentis in iſta deſipere*) Valde vitiatus locus: quem ita emendo: *male ſanas & perditas mentes ita deſipere*. Ad *ſanas* in margine adſcriptam variantem lectionem *vanas* recepit librarius in textum, cumque

e *mentes* factum fuiſſet *mentis*, cetera corruptio facile ſecuta eſt. Rurſus infra *Cap. XXXVII*, 7, perditi & ad alios perdendos intenti homines vocantur *perditæ mentes*.

7. *Hic defenſio*) Mavult *Sic defenſio* ſcribere *Wopkenius* in *T. X Obſ. miſc. crit. Lib. I pag.* 40. Ego vero odorari mihi videor gloſſema marginale, putoque, his *Minucii* verbis: *ipſam errantium turbam mutua ſibi patrocinia præſtare*, in margine ita adſcripſiſſe Grammaticum quempiam: *Hoc eſt, defenſio communis furoris eſt furentium multitudo.* Ac ipſa hæc Φράσις dignior eſt mediocri Grammatico, quam noſtro *Minucio*.

CAP. XXV.

1. *At tamen*) Legendum *At enim*, quod & *Cap. XXXII*, 4, occurrit. Eſt enim prolepſis, quam vocant Rhetores.

2. *Nimirum inſignis*) Ironia.

2. *Auſpicata eſt*) Dele. Nimirum Grammaticus aliquis credebat, verbum huic loco deeſſe, non animadvertens, poſt *nobilis* omiſſum eſſe a Minucio *eſt*: qui & poſtea n. 5 omiſit *ſunt*: *Templa omnia*, inquiens, *de manubiis*.

3. *Illuſit*) De huius verbi ſenſu venereo dixi in *Appendice ad Lactantii Sympoſium pag.* 240.

3. *Id eſt, cum ſoceris ſuis*) Cave, aſſentiaris *Wolvero*, hæc verba exterminanti pro gloſſemate. Habent enim & elegantiam, & emphaſin quandam. Eundem in modum n. 5 ſcribit noſter:

ſter: *de manubiis*, *id eſt*, *de ruinis urbium.* Sic & *Cap. XXVI, 10: angelos, id eſt, miniſtros & nuntios Dei.*

3. *Confidentia tutius*) Facile eſt odorari hic mendum. Ego quidem ita reſcribo: *confidentia atrocius.*

4. *Captos cogere*) Lego *rapta congerere. Martialis Lib. VIII Epigr. 44: Rape, congere, aufer, poſſide.*

4. *Poſtremis ducibus*) In MS. ita eſt, itemque in editione Romana. Hinc acutiſſime fecit *poſt reges Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 40.*

5. *Illudere eſt — — eſt conſecrare*) Utrumque *eſt* nos Germani reddimus *das heiſſet. Hoc illudere eſt*, *das heiſſet einen Spott treiben. Hoc eſt conſecrare ſacrilegium, non numina, das heiſſet den Gœtter-Raub vergœttern, nicht aber anderer Vœlker Gœtter zu ſeinen Gœttern machen.* Non hoc interpretatus eſſem, niſi ſcirem, plures legentium egere huius interpretationis.

6. *Impiatum*) Prudentius *impiatum ſeculum* vocat *Periſteph. X, 88.*

6. *Et tropaea*) Ne dubites *&* delere.

7. *Arma rapuerunt*) Legendum haud dubie *arma ceperant.*

7. *Poſt cladem*) Non eſt ita in MS, ſed *poſtulaverant.* Quod cum ſenſu careat, manifeſtoque vitioſum ſit, ſuſpicor, aliquem e *n. 5* (ubi de eadem re verba fiunt,) hic adſcripſiſſe in margine *poſt victoriam*, & inde poſtea factum eſſe ab-

ſurdum

ſurdum illud *poſtulaverant.* Iam igitur ſic legi oportet: *& quos triumphatos*, cetera. Nec iam eſt, cur correctiones proferam *Rigaltii*, *Fulvii Urſini*, *Perizonii*, *Daviſii*, omnes quippe liquido falſiſſimas. Nec diſſimulo, in MS. eſſe *detriumphatos*, quo verbo *Tertullianus* uſus eſt *Apol. Cap.* 27 exeunti. *Minucius* vero noſter tam inſolens verbum uſurpaſſe non niſi ab iis credi poteſt, qui non ſatis norunt *Minucium.* Imitatus hic eſt *Virgilium* & *Ovidium*, quorum ille *Georg. III*, 33, *triumphatas gentes*, hic *Amorum I*, 15, 26, *triumphatum* (a Romanis) *orbem* dixit.

8. *Poſſunt*) Lege ſine dubitatione *poſſint.*

9. *Hac alumna urbis iſtius*) Credebam initio, *alumna* natum eſſe ex *olim.* Nunc reſcribendum duco *alma urbis iſtius.* Deas videlicet *almas* appellari conſueviſſe, *Briſſonius* docet *Lib. I de Romanorum formulis pag.* 45. Iam vero, Romam a populis quibusdam factam eſſe *Deam*, e *Livii XLIII*, 6, & e *Taciti Annal. IV*, 37, conſtat. Non tamen ita defendo coniecturam hanc, ut negem, errare me potuiſſe. Qui igitur clariorem protulerit, ei ſubſcribam non ultimus.

9. *Morbi*) Pro *morbi ſcilicet.*

9. *Larentia*) In editione Romana eſt *Laurentia.* Priorem ſcripturam eſſe veram, contendit *Io. Frid. Gronovius* ad *Livii I*, 4.

9. *Morbos Romanorum & Deos*) Reſcribo *probra Romanorum & Deas.* Eædem, inquit, & probra Romanorum erant & Deæ.

10. *Scilicet*) Ironia.

10. *Vel Diana*) Ita pro *nunc Diana* rectiſſime reſcripſerunt Critici.

11. *Veſta ſane neſciente*) Gloſſema merum, idque futile, ad verbum *inconſultius*.

12. *Magis a ſacerdotibus, quam inter aras*) Lege *magis, quam a ſacerdotibus inter aras. Tertullianus Apol. Cap.* 15 ait, *in templis adulteria componi, inter aras lenocinia tractari.*

12. *Defungitur*) Sic *Ovidius Amorum II, 9, 24*, eum vocat *defunctum*, qui ſatis luſit luſum Venereum.

13. *Res ſumma*) Virgilius *Æn. II, 322: Quo res ſumma loco?* Plautus *Capt. IV, 3, 1: Mihi rem ſummam credidit cibariam. Livius* quoque ſæpius dixit *ſummam rem publicam:* cuius loca indicat *Gronovius* ad eius *Lib. XXXVIII Cap. 50.* Etiam *Tacitus* imperium vocat *rem ſummam Annal. III, 56, 4, & VI, 31, 5.*

CAP. XXVI.

1. *Teſtatus es*) Supra ſcilicet *Cap. VII, 5, & 6.*

1. *Soliſtimum*) Ita pro MS. *ſolenniſſimum* reſcripſerunt Critici iure meritoque.

2. *Apud Cannas: tamen*) *Et apud Cannas tamen* reſcribi oportere, cenſet *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 40*, exhibens nobis eadem *Cypriani*, qui deſcriptor eſt *Minucii*, verba. Verum hoc ipſo permoveor, ut abſtinendum cenſeam a correctione non neceſſaria. Solet enim ſubinde *Cyprianus* nonnihil immutare

verba *Minucii.* Sic paulo poſt pro *eo facilius & navigavit & vicit* Cyprianus ita: *& eo facilius navigavit & vicit.*

2. *Romanii populi*) Ita pro *rei publicæ*, quod in MS. eſt, reſcripſit *Meurſius*, acute animadvertens, librarii errorem e compendio ſcripturæ *R. P.* natum fuiſſe. Eundem hunc errorem ſcribarum ſæpius a *Gronovio* patre notari memini ad *Livium.*

3. *Navigia transmitteret*) Dictionem hanc, quam & repetiit *Cyprianus*, adverſus *Daviſium* ſatis tuetur *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag.* 41, docens, eam & *Curtio* uſurpatam eſſe *Lib. X*, 1, 15.

3. *Facilius*) Scribo *felicius.*

4. *Proditum — neſcivit*) Ita locum hunc in MS. legi, teſtis eſt *Heraldus*, qui & reiicit merito hanc Romanæ editionis ſcripturam: *qui proditus eſt ipſe ob monile ab uxore neſcius. Lud. Carrio Lib. II Emend. Cap.* 18, dum emendat locum hunc, ſimul obſcurat.

4. *Tireſias cæcus*) Poſterius verbum eiicere geſtiebat *Daviſius.* Sed iure id retinet *Wopkenius Obſ. crit. T. X Lib. I pag.* 41.

6. *Caſus imitatus*) Hoc repetiit noſter e *Cicerone*, qui *Lib. II de Divin. Cap.* 21: *Poteſt igitur veritatem caſus imitari.* Huc & illud *Favorini*, Philoſophi, pertinet apud *Gellium Lib. XIV Cap.* 1: *Multa tentando nonnunquam imprudentes in veritatem incidunt.*

7. *Spiritus ſunt*) Hoc eſt, dantur ſpiritus: quo-

quomodo & *Cicero* loquitur *Lib. I. de Off. Cap.* 6, & in libri *de Amicitia Cap.* 24.

7. *Ad ſolatium calamitatis ſuæ non deſinunt perditi iam perdere*) Similiter *Lactantius II*, 14, 11: *Hi ſpiritus — perditi — ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur.*

8. *Patebat*) Scribo *gerebat.*

9. *Vel, quæ non ſunt, videri*) Apparet, hic excidiſſe aliquid, ſine quo Latinitas ſibi non conſtat. Fortaſſe ita ſcripſerat noſter: *præſtigias edunt, ut videantur vel, quæ non ſunt, videri,* cetera. *Lactantius* ſimiliter *II*, 14, 10: *Præſtigiis fallunt, ut non videant ea, quæ ſunt, & videre ſe putent illa, quæ non ſunt.*

10. *Eorum magorum & eloquio & negotio primus Hoſtanes*) Deleo *& eloquio & negotio*, turpiculum gloſſema. *Plinius Lib. XXX Cap.* 1: *Primus de magia commentatus eſt Oſthanes.* Videtur ſignificare gloſſator, magos illos non ſolum doctrinam magicam tradidiſſe voce ſcriptisque, ſed etiam praxin, ut ita loquar, magicam exercuiſſe.

10. *Veri; eiusque*) Lege *veri, eius.* Ac, ita iam emendaſſe *Fulvium Urſinum*, docuit me *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag.* 41.

10. *Humanitatis*) Hoc eſt, humani generis. Sic & ſupra *Cap. VIII*, 2.

11. *Et dæmonas*) *Aut dæmonas* reſcribere geſtit *Daviſius*: quæ correctio manifeſto falſa.

11. *Ex qua manet in nos porro cupido amoris*) Scriptura hæc eſt *Meurſii*. In MS. ita legitur:

ex qua monet etiam nos procupidinem amoris. Hinc ita reſcribendum cenſet *Daviſius: ex qua movet etiam nos per cupidinem amoris.* Quæ correctio ne reiiciatur ab omnibus, valde vereor. Mihi videtur ita ſcripſiſſe *Minucius: ex qua manent etiam in nos per Cupidinem amores. Manent* eſſe a *manare*, monendum duxit *Cellarius.*

11. *Illabi*) Subaudi *eos.* De ſpiritibus loquitur.

CAP. XXVII.

1. *Iſti igitur impuri ſpiritus*) Adiectum in editione Romana *dæmones* cum eieciſſent *Fulvius Urſinus* & *Meurſius*, imperite repugnat *Daviſius.*

1. *Ut oſtenſum a magis, a philoſophis, & a Platone*) Reſpicit *Minucius* ea, quæ protulerat proximo in *Capite.* Protulit autem ſententiam magorum & *Platonis*, non autem aliorum Philoſophorum. Ergo *a philoſophis* tollendum, gloſſema ſcilicet.

1. *Inſpirantur*) Haud dubius lege *inſpirant.* Sic ſuperiori *Capite n. 9: Magi dæmonibus adſpirantibus & infundentibus præſtigias edunt.* Lactantius *II, 14, 10: Magorum ars omnis ac potentia dæmonum adſpirationibus conſtat. Apuleius* in libello *de Deo Socratis pag. 45: Dæmones curant vel ſomniis conformandis, — — vel oſcinibus erudiendis, vel vatibus inſpirandis.*

1. *Interim*) Hoc eſt, ut ipſe ſtatim interpretatur, *nonnunquam.* De illo uſu verbi *interim* ſupra dictum ad *Cap. XVI, 2.*

1. *Oracula efficiunt*) Hæc atque cetera huius loci dæmonibus tribuit *Minucius*, quæ hodie acutiores tribuunt humanæ aſtutiæ. Notus *Vandalii* liber *de Oraculis*.

3. *Gravant*) Subaudiendus accuſativus *homines*. Bene interpretatur hunc locum *Cellarius*.

3. *Materiam*) Ita MS. Codex. Male editio Romana *materias*: quod etiam *Cellarius* edidit.

3. *Somnos*) In MS. eſt *omnes*. Sed, recte *ſomnos* repoſitum eſſe, apparet e breviario huius libri *Cyprianico Cap. IV*, 4, ubi eadem verba. Inſpicias, quæſo, & *Lactantii II*, 14, 14, ac *Epit. XXVIII*, 8.

3. *Curaſſe videantur*) Eodem modo *Tertullianus* in *Apologetici Cap.* 22: *Lædunt enim primo, dehinc remedia præcipiunt: poſt quæ deſinunt lædere, ut curaſſe credantur.* Et *Lactantius II*, 15, 1: *Prodeſſe dæmonas putant, cum nocere deſinunt.*

4. *Hi ſunt & furentes*) Lego: *De his ſunt &* (pro *etiam*) *furentes.* Sentit *Minucius*, dæmonibus etiam tribui oportere furorem hominum mente captorum, τὴν μανίαν. Veriſſimam eſſe hanc emendationem, docet, quod ſequitur: *De ipſis* (ſubaudi *dæmonibus*) *etiam illa ſunt, quæ*, cetera.

4. *Vates & ipſi abſque templo*) Hoc eſt, qui & ipſi vates ſunt, licet in templo caleſcant agitante dæmone. Scomma perelegans. Scias vero, Lector, interpunctionem hic emendandam eſſe, ſtatuendumque poſt *excurrere* comma, poſt *templo* colon. *Cellarius*, falſam ſecutus in-

terpunctionem, allevit huic loco interpretationem infelicem. Alio interpungendi modo hunc locum vitiare aggreſſus eſt *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag.* 42.

5. *Quæ paulo ante tibi dicta*) *Tibi* pro *a te.* Alloquitur enim *Octavius Cæcilium*, qui ſupra in *ſeptimo Capite* has fabellas protulerat.

5. *Ut Iupiter*) Pro *ut videlicet Iupiter.*

6. *Hæc omnia ſciunt plerique veſtrum ipſos dæmonas de ſemet ipſis confiteri*) Ordinaria verborum horum conſtructio hæc eſt: *Plerique veſtrum ſciunt, ipſos dæmonas hæc omnia de ſemet ipſis confiteri.* Nec rara eſt apud optimos ſcriptores talis duorum commatum implicatio. Ceterum, cum in MS. Codice ita exaratum reperiatur: *plerique pars veſtrum*, (quod a *Gronovio* defendi, non mirabitur, qui eum novit,) *Daviſius* hunc in modum legi iubet: *pleraque pars veſtrum.* Verum nimis aſpera hinc exiſtit oratio; qualis tribui *Minucio* noſtro non debet. Et fortaſſe erravit *Rigaltius*, in MS. ita eſſe docens. Certe *Heraldus*, qui eundem Codicem ſuis uſurpavit oculis, verbulum *pars* ibi non vidit: niſi forte manifeſtum mendum indicare noluit.

6. *Tormentis verborum*) Quidam ediderunt *meritis verborum.* Sed prius in MS. eſt, ſatisque lucide defenditur ab *Heraldo.* Legas etiam, quæſo, *Lactantii Lib. II*, 15, 3, & 4.

7. *Quod ſunt, eloquuntur,*) Hoc eſt, fatentur,

tur, id ſe eſſe, quod ſunt. Sic *Curtius VII*, 8, 26: *Id, quod es, ſemper, eſſe te, cogita.* Ovidius *Triſt. III*, 8, 38, & *IV*, 1, 9: *Quid ſim fuerimque, recordor.*

8. *Ipſis teſtibus — — exiliunt ſtatim*) Totum hunc locum infeliciter corrigit quidam in *Obſ. miſc. crit. T. IV pag.* 423.

8. *Eſſe eos dæmonas*) Manifeſtum gloſſema.

8. *Inviti miſeris corporibus inhæreſcunt*) Alii ſic ediderunt: *inviti, miſeri, corporibus inhorreſcunt.* Legendum hoc modo: *victi in miſeris corporibus inhorreſcunt.*

8. *Curantis*) Vocabulum medicum. Significatur exorciſta. *Cicero* in *Orat. pro M. Marcello Cap.* 8: *Nunc tibi omnia belli vulnera curanda ſunt, quibus præter te mederi nemo poteſt.* Samonicus *de Medicina Cap. XLVII*, 15: *Hæc duo mirificis curabant icta medelis.*

9. *Longe*) Hoc eſt, e longinquo.

9. *Per timorem*) *Aus Furcht*, quia timent Chriſtianos. *Cicero Quæſt. Tuſc. IV*, 37: *Id fecerat per iram.* Potuit etiam hoc ſenſu *propter timorem* ſcribere *Minucius*, uti *Cicero* loquitur in *Orat. poſt red. in ſen. Cap. XI*, & in *Paradoxorum V*, 1.

9. *Et, quem metueris*) Pro *metueris Freinshemius* in *Comment. ad Curtii X*, 8, 1, reſcribit *oderis.* Aſſentior. Origo namque mendi eſt in propatulo. En prope ſimilem *Taciti* gnomen in *Vita Agricolæ Cap.* 42: *Proprium humani ingenii eſt, odiſſe, quem læſeris.* Prorſus vero

ro ſimiliter, ut *Minucius* noſter loquitur, apud *Ciceronem Lib. II de Officiis Cap.* 7 *Ennius*: *Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periſſe expetit.*

Hactenus in *tertio* hoc *Ferculo* emendavi & illuſtravi priorem partem ſermonis *Octavii*, in qua oſtendit, nihil eſſe religione ethnica abſurdius. Ad poſteriorem huius ſermonis partem, in qua diluit convicia & criminationes *Octavius*, quibus inceſſebant Chriſtianam religionem ethnici, curas meas exhibebit *quartum Ferculum*. Tum denique *quinto Ferculo* apponentur, quæ ad totius huius diſputationis concluſionem, poſtremis *tribus Capitibus* comprehenſam, excudit mea meditatio. Ne vero magnum mearum emendationum numerum miretur lector artis criticæ minus peritus, fidem velim habeat *Friderico Beſſelio*, in *Miſcellaneis criticis Cap. IV* §. 3 *pag.* 29 iudicanti, *Minucium Felicem mendis mendoſiſſimis tantum non obrutum eſſe.*

Liceat mihi, quæſo, hic & exhibere πάρεργον aliquod criticum. Videbam his diebus in *Hiſtoire literaire de la France T. VIII pag.* 218 locum hunc *Berengarii*: *Si dæmones hoc vitio* (ſuperbiam dicit,) *caruerunt*, *manifeſtum eſt, quod eremitæ hoc vitio non adſcendent.* Auctor ille alioqui doctiſſimus, *Il faut lire*, inquit, *ceciderunt.* Imo vero non debet ita legi pro *caruerunt*, ſed *corruerunt*.

V.

V.

HENRICI AVGVSTI ZEIBICHII
OBSERVATIO
IN LOCVM HERODOTI
LIB. II CAP. XLVII,
QVA
RITVS, IN PROFANARVM GENTIVM SACRIFIFICIIS RECEPTVS,
BREVITER STRICTIMQVE EXPLICATVR.

I. Quanto maiori afficior voluptate, cum admirabilem, omnibusque perfectam numeris, profanarum gentium eruditionem perpendo, tanto vehementiori opprimor dolore, cum inſignem illam & magnopere miſerandam ſuperſtitionem, cogito, quæ, imbecillitate hominum occupata a), non anguſtis ſe quondam continuit exiguisque finibus, ſed, quemadmodum mala ſolent, latiſſime ſubito manavit, ac, perfractis templorum fanorumque foribus, ad ipſa Deorum pulvinaria uſque eo penetravit, ut retruſæ eius latebræ, & abſconditi receſſus, etiamſi ſumma adhibeatur opera, inveſtigari vix poſſint, nedum penitus explorari. Equidem,

a) *Cicero de Divinat. II, 72.*

ne hanc perverſitatem ſingularem, & ab antiquis ductam temporibus, affirmare liberius audeat, depravatam, Diis ſimulata pro veris immolandi, conſuetudinem in præſentia attingam; ideoque, ut omni ſtatim, qua animus in contrarias diſtrahi partes poteſt, dubitationi occurratur, auctoritatem a *Servio* b), præclaro illo *Maronis* explanatore, repetam, qui, licet ſæpius labatur, c) hic profecto, quid de tota ſtatuendum ſit cauſa, breviter quidem, at veritati tamen convenientiſſime, declarat. *Sciendum*, inquit, *in ſacris ſimulata pro veris accipi. Maro* certe d), quem optimus quisque ac doctiſſimus cum *Roſſao* e), parem *Homero* reputat, niſi forte interdum anteponit, ſacrificii veteris cuiusdam & commemorabilis meminit, in quo fictam Averni aquam ſacerdos adhibuit, imitatus fortaſſe illos, de quibus *Potterus* f) comites *Ulyſſis*, qui pro hordeo quercina folia, aquam pro vino, iniquitate temporis adducti, immolarunt. Haud diſſimili ratione, ut *Feſtus*, g) interpres vocum ſolertiſſimus, ſed erroribus ſæpenumero laborans, memoriæ mandavit, cum cervam conſequi ſupplices non poſſent, ovem offerebant ſacerdotibus, eamque,

b) *Servius ad Virgil. Aen. II*, 116.
c) Ill. *de Berger Præfat. Diſſertat. Academ. præmiſſ. pag.* 38.
d) *Virgilius Aen. IV*, 512.
e) *Roſſaeus Virgil. triumph. pag.* 245.
f) *Potterus Archaeol. Gr. II*, 4, *pag.* 241.
g) *Feſtus* ſub voc. *Cervaria.*

eamque, quod immolaretur pro cerva, cervariam dicebant. Quodſi exemplum, ſine quo, *Columella* h) iudice, nihil recte docetur, deſideras, *Iphigeniam*, *Agamemnonis* filiam, citabo, quæ, ſicut *Euripides* i), *Naſo* k), *Dictys Cretenſis* l), & *Gregorius* denique *Nazianzenus* m), ſcriptores multo præſtantiſſimi, tradiderunt, cum immolanda foret, iamque ictum excipere lethiferum deberet, ſuffecta in ipſius locum præſtanti cerva, ſublata fuit in cœlum, tantamque ſui ſacrificii in omnium animis memoriam reliquit, ut eam egregio Numiſmate, quod ſingularis vir doctrinæ, *Gisbertus Cuperus* n), imprimendum curavit, ad poſteros propagarent. Eam vero rem, etiamſi ſumma ſcriptorum veterum admiratione celebretur, fabulam tamen cum *Arnobio* o) nequaquam dubito appellare. Atque hæc ipſa fabula, longe lateque ſine dubio vagata, cum ad aures gentium, ſuperſtitioni maxime deditarum, pervenit, hæ, fictas hoſtias vel ipſo Deorum iudicio comprobari, ex *Iphigeniæ* collegerunt ſacrificio, eumque morem, a Diis quaſi traditum, omni opera ſtudioque imitandum putarunt.

h) *Columella XI*, 1.
i) *Euripides Iphigen. Aul. Act. V v.* 1583, 1587.
k) *Ovidius Metamorph. XII*, 34.
l) *Dictys Cretenſ. de B. T. I*, 22.
m) *Gregorius Nazianz. Opp. T. II pag.* 7 *de Vita ſua v.* 61.
n) *Cuperus Obſervat. I*, 12, *pag.* 98.
o) *Arnobius contra gentes, V pag.* 181.

tarunt. Ultimam tamen & antiquiſſimam huius ritus ſi ſpectemus originem, ſine ulla dubitatione illud *Abraami* factum p), cuius fama, mirabilem in modum diſſeminata, regiones perquam disiunctiſſimas occupavit, nobis, ea de re cogitantibus, ad animum occurret. *Abraamus* enim, amicus Dei coniunctiſſimus q), cum divino morem præcepto gerit, atque, extento brachio, iam cultrum filii iugulo admovere parat, divina voce ſummonitus, conſilio deſiſtit, pro eoque hircum immolat, ſpiſſis dumetis ac ſepibus impeditum. Ex quo, commutatis tantum perſonis, ſuam conflaſſe ſuperſtitionem homines, a vera prorſus religione averſos, quis negabit? Bene igitur ſapienterque *Hermannus Witſius*, r) *Abrahamica*, inquit, *Hiſtoriæ lacinias*, *ſed de more interpolatas*, *& hanc quidem nominatim Hiſtoriæ partem*, *quod* deſtinatæ humanæ victimæ *Numinis iuſſu aliud* ſubſtitutum ſit animal, fabulis ſuis Græci immiſcuerunt. Neque vero, id ſi facerent, committere ſe quidquam, ingratum Diis ſuis odioſumque, putabant, ſed potius, ſi veras immolare hoſtias ſtatutum apud animum haberent, etiamſi fictas offerrent, his tamen Deos credebant æque, ac viventibus, delectari. Eam ob cauſam *Apollo*, domumne proficiſci, an ſumma

vi

p) *Geneſ.* XXII, 13.
q) 2 *Chronic.* XX, 7, *Iac.* II, 23. Conf. *Bergeri Progr. in obitum Weickmanni, Athanaſii Dantiſcani*, in ſuo *Stromat. pag.* 157.
r) *Witſius Ægypt. pag.* 234.

vi Trojam denuo oppugnare, præſtaret, a Danais conſultus, ſanguine, reſpondit, eodem modo reditum quærendum, quo Virginem quondam, nimirum *Iphigeniam*, mactaſſent: s)

Sanguine placaſtis ventos, *&* Virgine *caſa*.

Quanquam igitur, ut ſupra explicavimus, cervam, pro *Iphigenia*, immolaverat Sacerdos, hæc ipſa tamen cerva tam grata Diis fuerat, tamque accepta, ut ipſius *Iphigeniæ*, virginis, non cervæ, placati ſanguine memorentur. Cuius rei rationem ſi requiras, *Porphyrium* t), hoſtem illum, *Clerico* u), *Wormio* x), *Holſtenio* y), ac *Freytagio*, z) teſtibus, religionis veræ atrociſſimum, evolve. Μᾶλλον τὸ δαιμόνιον πρὸς τὸ τῶν θυόντων ἦθος, ἢ πρὸς τὸ τῶν θυομένων πλῆθος, βλέπει. *Magis Deus immolantium reſpicit animum, quam immolatorum numerum.* Cui & *Iamblichum* a), & alios ſcriptores, qui, Diis non pretioſiſſimum, ſed gratiſſimum, debere ab hominibus immolari, contendunt b), aſſentiri animadverto. Quemadmo-

s) *Virgilius Aen.* II, 116.
t) *Porphyrius* π. Ἀποχῆς II, 15, *pag.* 62.
v) *Clericus Art. Critic.* II, 1, 17, *pag.* 350.
x) *Wormius Antiqu. Hebr. pag.* 88.
y) *Holſtenius Diſſertat. de Vita & Scriptis Porphyrii Cap.* 6, editioni ſuæ *Porphyr.* adject. *pag.* 24.
z) *Freytag de Teſtimonio Porphyrii, Servatoris innocentiam declarante,* in *Amœnitat. Melior. Literar. Dreſdenenſ. Faſc.* I *pag.* 6.
a) *Iamblichus de Vita Pythag. Cap.* 27 *pag.* 103.
b) *Woog de Cauſis raritatis quorundam numorum pag.* 32.

modum autem gentes, vel errore opinionis neſario, vel inopia, adductæ, ſimulata pro veris haud raro offerebant; ſic vel ipſas Hoſtias ex Farina, aliaque materia, variis permotæ rationibus, formarant. Quæ quidem fictæ Hoſtiæ cum in egregiis antiquisque ſcriptoribus ſæpenumero occurrant, doctiſſimisque interdum hominibus, & in præclara reconditarum literarum ſcientia mirabiliter verſatis, moleſtiæ multum ac negotii faceſſant, implorato, quod unum noſtris laboribus fortunam adiungit, Numine divino, easdem, duce *Herodoto*, in præſentia publice proponam, ſi forte ritus nonnullos, in Sacrificiis receptos, explicare poſſem, eosque, ſuis e tenebris erutos, illuſtrare.

II. *Herodotum* autem, illum Hiſtoriæ parentem, c) quoties evolvo, quoties, cognoſcendorum rituum antiquorum cupiditate flagrans, eius conſilium requiro, toties me fateor iucundo orationis flumine teneri, toties, multitudine rerum & copia, non nego, me vehementer delectari. Tantum enim, tamque admirabilem, Antiquitatis Ægyptiacæ, Babylonicæ, Perſicæ, Græcæ, continet theſaurum, ut a nullo, quamvis doctrinæ prodigo, exhauriri aliquando poſſe videatur, tanto veritatis ſtudio excellit, ut optima ſemper adhibeat monumenta, quibus ſententiam ſuam, in obſcura ſæpius vetuſtate allatam, corroboret, ac confirmet, tam dulci denique d), tam

c) *Cicero de Legibus I, 1.*
d) *Dio* apud *Voſſium de Hiſt. Græc. I, 3, pag. 16.*

tam ubere, e) tam leniter fluenti f), ſcribendi genere unus eminet, ut lectorem, quo magis ad ſe inveſtigandum allicit, eo mirabilius permulceat, afficiat, percellat, nec prius a ſe, niſi obſtupefactum, dimittat. Hunc igitur nuper cum inſpicerem, de perverſis Ægyptiorum ſacrificiis exponentem, forte incidebam in locum, quo fictas eorum Hoſtias attigit, tanto pluris faciendum, quanto maiorem antiquæ conſuetudini lucem affundit. Sic enim ille g): Ὁι πένητες αὐτῶν (Αἰγυπτίων) ὑπ' ἀσθενείης βίου, σταιτίνας πλάσαντες ὗς, καὶ ὀπτήσαντες ταύτας, θύουσι. *Eorum pauperes, ob inopiam facultatum*, Sues Fingunt farinaceas, *coctasque* immolant. Cum autem multa ſint atque inſignia huius ritus momenta, tum primum exquo gentes, Ægyptiorum conſuetudinem imitatæ, eiusmodi finxerint Hoſtias, cognoſcemus, ideoque in *Herodoto*, collatis inter ſe ſcriptoribus, cogitationem mentemque omnem defigemus. Hic nominat ὗς σταιτίνας. Atqui σταὶς a *Suida* h), alieno plerumque, ut conſtat, ore loqui ſolito i), explicatur ἡ ζύμη. Falſo. Multo enim diſtinctius rem *Marcellus* k) ac *Guil. Budæus*

e) *Cicero* in *Oratore pag. m.* 457.
f) *Fabius IX*, 4.
g) *Herodotus II*, 47.
h) *Suidas Lex. Græc. T. II pag.* 369.
i) *Bergerus Diſſertat. Academ. pag.* 116.
k) *Marcellus* apud *Stephan. Th. L. Gr. Indic. P. II pag.* 56.

ai l) enodarunt, quorum illi ϛαῖς farina, antequam fermenteſceret, macerata, huic autem forma recentior, quæ nihildum fermenti contraxit, nominatur. *Marcello* ſuffragari *Lakemacherus* m) videtur, præclarâ Antiquitatis ſcientia inſtructus, qui, farinam, *oleo* (non fermento) ſubactam, in ſacris quondam adhibuiſſe ſacerdotes, declarat. Neque vero iniuria. Nunquam enim, auctore *Io. Gu. Stuckio* n), vel profani homines, vel Iudæi o), qui ſacras ſuas cerimonias divino referebant Numini acceptas, farinam in Sacrificiis fermentatam uſurparunt. Rem tandem *Heſychius* p), omnium, quos habemus, Criticorum doctiſſimus q), ad liquidum perducat. Σταῖς, φύραμα ἀλεύρου πυροῦ. Σταῖς, farina triticea, aqua ſubacta. Ex quo colligitur, σταῖτα piſtores ex tritico, quod quidem fermentari non ſolet r), confeciſſe. Atque, ut hanc ſententiam, quam, niſi me fallit animus, certiſſimis iam optimisque rationibus firmavi, antiquo exemplo comprobem, unum citabo *Porphyrium* s), ſincerum profanæ ſuperſtitionis

l) *Budæus Lex. Gr. pag.* 1256.
m) *Lakemacherus Antiqu. Gr. Sacr. pag.* 353.
n) *Stuckius Antiquit. Convival. pag.* 106.
o) *Exod. XXIX*, 2.
p) *Heſychius* voc. Σταῖς.
q) *Rechenbergius de Stud. Academ. pag.* 213.
r) Ex aqua enim & *hordeo* panis fermentatus paratur. *Plinius H. N. XVIII*, 11.
s) *Porphyrius de Vita Pythag. pag.* 196 edit. *Holſten.*

ſtitionis enarratorem, qui, ſermone ad ſacrificia *Pythagoræ* converſo, eum bovem farinaceum immolaſſe, diſtinctis verbis teſtatur: Ἐβούθυτησε δὲ ποτε σταίτινον, ὥ. Φασι, βοῦν, οἱ ἀκριβέστεροι. *At vero quondam bovem*, ex farina fictum, *ſicut accuratiores produnt, immolavit.* Quibus quidem verbis etſi *Conradus Ritterbuſius* t), excellenti Vir ingenio præditus doctrinaque, corruptum ſcribendi ordinem, ac, ſicut fieri ſolet ſæpenumero, u) divulſum, reperire ſibi videatur; *Henricus* tamen *Dodwellus* x), aliique, cum nullam in iisdem deprehenderint maculam, ſed eadem prorſus ſcriptura, qualem nos in præſenti retulimus, exararint, *Porphyrius* autem ipſe nihil unquam abiectum, nihil tritum vulgatumque, admittat, ſed eleganti potius verborum collocationi ſtudeat; hanc equidem ſcripturam, quod eximium continet numerum, retinendam putarem. Sed de hac immolandi ratione, *Pythagoræ*, acutiſſimi ſubtiliſſimique hominis, corroborata conſenſu, deinceps plura. Ego vero, cum nullum facile ſacrificium factitaretur ſine epulo y), idque lautiſſimis

t) *Rittersbuſius Not. in Porphyr. ad Num.* 36 *pag.* 51.

v) *Clericus Art. Critic. P. III pag.* 8.

x) *Dodwellus de Ætate Pythagor. pag.* 143.

y) Auctor incertus ad *Ius Atticum pag.* 144, cuius tamen ſcribendi ratio ad *Salmaſii* illam proxime accedit.

tiſſimis ſane placentis ac ſalſaribus dapibus conſtaret z), optimam illam farinam, ex qua placentas formabant, quamque στaῖτα nominabant, a) pari modo ad fictas Hoſtias adhibuiſſe puto. Neque tamen ſola ex farina, ſed ex variis etiam cupediis b), hoſtias ad vivorum animalium ſimilitudinem effingebant. Atque hæ cupediæ antiquitus cum ex thure, hoc enim δάκρυον, ſicut nominat *Philoſtratus* d), deſignat tum ex myrrha, tum ex pretioſiſſimis aromatibus e), formabantur. Etenim, cum hæc aromata, inprimisque thus, quod ſemper in ſacrificiis immolabatur f), per Diis grata, perque iucunda eſſet, tantum abeſt, ut ab illis in fingendis Hoſtiis abſtinerent, ut potius, modo permitteret inopia, omni eadem ratione uſurparent. Immolat bovem, ex eiusmodi cupediis confectum, ut grati religionem animi teſtetur, *Empedocles* g), in Olympicis ludis, terræ orbe celeberrimis, laurum, victoriæ præmium, conſecutus h), eumque

z) *Budæus ad Pandect. pag.* 523.
a) *Heſychius l. c. voc.* Στaῖ;.
b) Sic enim vox πέμμα a *Perizonio* ad *Ælian. Var. Hiſt. III*, 20, transfertur.
c) *Philoſtratus Vit. Apollon. V*, 25, *edit. Olear.*
d) *Scaliger* ad *Theophraſt de Cauſis Plantar. pag.* 14.
e) *Athenæus Deipnoſoph. pag.* 3.
f) *Pfeifferus Antiqu. Gr. I*, 10.
g) *Philoſtratus Vit. Apollon. I*, 1, *pag.* 3.
h) *Lloyd* in *Serie Chronolog. Ludor. Vet. Græc. pag.* 13.

umque *Apollonius Tyaneus* imitatur. i) Poſtremo denique *Servius* k), cuius iam ſupra iniecimus mentionem, gentes ex cera finxiſſe hoſtias, teſtatur: *Cum de animalibus, quæ difficulter inveniuntur, eſt ſacrificandum, de pane, vel cera, fiunt, & pro veris accipiuntur.* Quapropter Græci, cum partim Hecatombas l), partim homines m), *Iunoni* initio mactaſſent, utrosque ex cera fingere poſtea conſuerunt.

III. Sed harum, de quibus, auctore *Herodoto*, exponere apud animum conſtituimus, Hoſtiarum principatum teneat bos ille, quem *Pollux* n), tanta copia rerum omnium ac multitudine abundans, ut merito, ſicut *Longinus* o), viva ſpiransque Bibliotheca dici poſſit, in hanc ſententiam exponit: Ὁ βοῦς πέμμα ἐςὶ κέρατα ἔχον πεπηγμένα, προσφερόμενον Ἀπόλλωνι, καὶ Ἀρτέμιδι, καὶ Ἑκάτῃ καὶ Σελήνῃ. p) *Bos placenta eſt, cornua habens coagmentata Apollini & Dianæ, Hecatæ & Lunæ, oblata.* Quæ quidem verba cum deſideres in Codice antiquo, ad *Pollucem* tamen omnino pertinere, & illud, quod in libro, manu exarato,

 inve-

i) *Philoſtrat. l. c. V*, 25, *pag.* 208.
k) *Servius ad Virgil. Aen. II*, 116.
l) *Gutberius de Iur. Pontif. pag.* 233.
m) *Porphyrius* π. *Απ. II*, 55, *pag.* 94.
n) *Pollux Onomaſt. VI*, 76.
o) *Lomeierus de Bibliothec. Cap.* 1.
p) Adſcribimus enim, non ſubſcribimus, Iota Græcum, multis, nec ſpernendis, rationibus adducti. Vid. *Schediaſm. de Sipylene, Matre Deum, pag.* 13 *not. m.*

invenitur, ſignum, λείπει φύλλον α. & *Iungermannus*, præclara Antiquitatis peritia excellens, qui plures ſine ulla dubitatione vidit libros, in quibus hæc legantur, verba, tam luculenter declarat, ut, licet complura omnino & egregia teſtimonia ſuperſint, ſoloque hoc *Pollucis* neutiquam nitamur, illi ipſi tamen hæc verba iure nobis videamur poſſe vindicare. Neque enim ſolus *Pollux*, ſed alii etiam, quos deinde in medium proferemus, ſcriptores, inque his maxime *Feſtus* q), fictorum Boum iniiciunt mentionem. Sic enim ille: Tauri *verbenaque in Commentario ſacrorum ſignificat* (leg. *ſignificant*) *ficta farinacea.* Quibus quidem verbis, vehementer miror, quid ſit, quod *Dacerius* hæc liba, ob magnitudinem ſuam, Taurorum nomine inſigniri, arbitretur r), cum potius vivorum boum ſpeciem, quam liba referebant, *Feſtus* reſpexiſſe videatur. Pari enim modo hæc liba, ſicut vivi boves s) verbenis, ex *farina fictis*, ornabantur. Bos enim, ut orationem huc convertam, præſtantiſſima ſemper fuit hoſtia, Diisque ipſis gratiſſima propterea, quod prima omnium haberetur. t) *Plinius* u), naturæ myſta, *hinc*, ait, (intelligit autem boves) *Victima opima, & lautiſſima Deorum placatio.* Lege mecum: *Hinc Victima optima &*

l. d.

q) *Feſtus* de *Verb. Signif.* voc. *Tauri.*
r) *Dacerius* ad locum *Feſti* citatum.
s) *Pfeifferus Antiqu. Gr. I*, 34.
t) *Gurtlerus Orig. mundi pag.* 325.
u) *Plinius Hiſt. Nat. VIII*, 45.

l. d. p. Nihil enim harum confuſione vocum frequentius eſſe poteſt: Quod contra in præclara illa *Ciceronis* pro lege Manilia Oratione evenit, ubi plerumque, in meis ſaltem tribus editionibus, legitur: *Aſia tam optima eſt & fertilis*, ubi omnino *opima* emendetur, conſentiente, quem poſſideo, *Cicerone* antiquo. x) Tanto hæc hoſtia, hoſtiarum princeps, dignior cenſebatur, quæ principi Deorum, ſicut Pandectes ſacer y) & *Virgilius* z) declarant, immolaretur. Ecquid autem hoc pluribus ſacrificium perſequar, cum in nullius facile hominis ignoratione verſetur, etiamſi *Servius* a) rem negaverit, tanto Scriptorum veterum corroboratam conſenſu, & a fratre meo, *Gottlob Erdmanno* b), mihi nimis mature erepto, accurate vindicatam? Recte igitur meritoque *Euſtathius* c), Βοῦς, inquit, τοῖς παλαιοῖς ἐγένετο καὶ τὶ πέμματος γένος. Secundas Sui iam damus, quam, haud diſſimili ratione, profanas finxiſſe gentes, *Herodotus*, nobis dux & auctor, confirmat d). Etſi enim Ægyptii antiqui, ſicut idem Hiſtoriæ princeps meminit, tantopere a Suibus abhorrebant, ut,

x) *Cicero Orat.* A. 1508 Lugduni impreſſ.
y) *Act. XIV*, 13.
z) *Virgilius Aen. III*, 21.
a) *Servius* ad *Virgil. Aen. II*, 202.
b) Frater *Gottlob Erdmannus* in *Specim. Obſervat. in N. Teſt. ex Num. Antiqu. pag.* 26.
c) *Euſtathius* in *Il.* Σ. *pag.* 1165.
d) *Herodotus II*, 47.

eam ſi quis prætereundo attigiſſet, impurus ſtatim haberetur, veſteſque aqua abluere deberet, Lunæ tamen ac Baccho, certis quibusdam rationibus, quas commemorare non vult *Herodotus*, adducti, Sues immolabant. Profecto dæmon, nefarius ille omnium ſcelerum machinator, & cum Deo, tum hominibus, maxime infeſtus, cum Sues ſciret ſummo Numini minime probari, ſed potius e ſuis eiici exterminarique ſacris, eam fere omnibus gentibus mentem dedit, ut Sues Diis ſæpiſſime mactarent, eaque re æſtum Dei iracundiamque in ſe commoverent. Hermupolitani autem, ut redeam, unde digreſſus ſum, Ægypti incolæ e) placentis equum formant f). Equi enim, quod memoria eſt dignum, tanti a profanis hominibus habebantur, ut non modo in ſacris ducerentur animalibus, ſed in eorum etiam numerum referrentur, quæ dicebantur ἄνετα g), quorumque origo, a cacodæmone, qui multa clam eſt e Iudaica religione furatus, h) depravata, ab hirco illo, placationi populi Iſraelitici deſtinato, & in deſertum poſtea emiſſo i), reperenda videtur. Sed ea de re uberius aliquando & accuratius agetur. Denique etiam homines, quos Diis ſuis offerrent,

e) *Steph. Byzant.* voc. Ἑρμούπολις.

f) *Plutarch. Opp. T. II pag.* 371 *D.*

g) *Tranquillus Cæſ. Cap.* 81.

h) *Blackwall de Præſtantia Claſſicor. Auctor. Cap.* 8 §. 2 *pag.* 111.

i) *Levitic. XVI*, 10.

rent, effrenata ducti audacia, ſimularunt. *Porphyrius* k): Ἐθύοντο δὲ τῆς ἡμέρας τρεῖς ἄνθρωποι, ἀνθ᾽ ὧν κηρίνες ἐκέλευσεν ὁ Ἄμωσις τοὺς ἴσους ἐπιτίθεσθαι. *Immolabantur autem ſtatuto die tres homines, pro quibus* cereos *ſimiles ſubſtitui iuſſit Amoſis.* Huius deſcendunt in ſententiam *Heliodorus*, l) & *Macrobius* m), qui, viros finxiſſe veteres, diſtincte docent.

IV. Certi vero propriique erant homines conſtituti, qui Hoſtias, modo breviter commemoratas, fingerent, eaque re, quemadmodum ſibi opinionis errore perſuadebant, cum inopiæ hominum, tum abſtinentiæ profundendi ſanguinis, tum aliis quoque incommodis, ſubvenirent. Quorum nomen accuratius cum indagarem, breves illos accuratosque verborum commentarios n) Fictorem καθηλωτὴν, πλάστην, reddidiſſe, equidem videbam, mirabar autem ſimul, quid ſibi καθηλωτὴς hic velit, ſiquidem, fingere & clavis configere, ut bene καθηλοῦν vertit *H. Stephanus* o), nimium quantum differre, idque longiſſime a Fictoribus abeſſe, non neſcirem. Tandem vero *Diomedes*, Grammaticus non ignobilis p), omnem mihi ex a-

k) *Porphyrius* π. Ἀποχῆς *II*, 55 *pag.* 94.
l) *Heliodorus pag.* 292.
m) *Macrobius Saturn. I*, 7.
n) *Gloſſæ* ſub v. *Fictor.*
o) *Stephanus Theſ. Gr. L. T. I pag.* 1680.
p) *Diomedes* Grammaticus in Opere *Putſchiano pag.* 373.

nimo ſcrupulum evellebat. Hic enim, *Figor*, inquit, *antique declinatur tempore perfecto*. *Reperimus enim* Fictus & Fixus. *Scaurus de Vita ſua*, *Sagittis*, *inquit*, *confictus*. Compluribus idem exemplis, ut ſolet, eruditiſſime *Freſnius* q) teſtatur. Tum vero, ex τὸ Fictus Fictorem facile formaſſe, intelligebam, ideoque παθηλωτὴν, cum Fictor Latine vertatur, non a *fingo*, ſed a *figo*, derivari debere, cognoſcebam. Illos autem, ut rem perſequar, qui ex cera hoſtias fingebant, ſingulari nomine, profaniſque ſæpenumero ſcriptoribus uſurpato, κηροπλάςας appellabant, ut idem *Stephanus* r) obſervavit. Romano ore Fictores appellabantur. Propriam autem ingenuamque vocis huius notionem ſi perpendas, iure ita vocari ac merito videbis, tum quod easdem hoſtias ex farina, melle, aromatibus, aliaque materia, formabant s), tum quod eas ad viventium ſimilitudinem animalium exprimebant, t) tum quod, oblatis fictis, veras Hoſtias ſimulabant u), quæ omnia elegantibus pro-

q) *Du Freſne Gloſſar. Latin. P. II pag.* 424.

r) *Stephanus Th. Gr. Ling. T. II pag.* 193.

s) Sic *Cicero Orat. T. I pag.* 206 *a.* ed. *Lambin. Hieronem fingere* é cera ſolitum eſſe, contendit, alibique *Piſonem* homulum ex argilla & luto *fictum* dicit *Orat. in Piſon. pag.* 92 *a.*

t) Pari modo *Alexander* tantum a *Lyſippo fingi* voluit, ut idem loquitur *Cicero Epiſt. Famil. V*, 12, ſive, ut *Plinius H. N. VII*, 37, ex ære duci.

u) Offerebantur enim pro veris, verarumque in Sacrificiis Hoſtiarum auctoritatem ſuſtinebant.

probatiſque Scriptoribus *fingi* dicuntur. *Simulare* enim idem eſt ac *fingere* antiquis. Hinc *ſimulatrices*, quæ probatos mores & compoſitos ſimulabant, ſagæ ſunt ac veneficæ *Ioanni Meurſio* x), licet *C. Barthius* y), non de omnibus, ſed de incantatricibus tantum, & veneficis, dici putet. *Feſtus* z) easdem apellat *piatrices*, quia Deorum Numina expiare viderentur. Sed revertar ad Fictores. Quos quidem etſi *Sylvius* a) arbitratur eam ob cauſam potiſſimum nominari, quod arietem pro homine mactaverint; rectius tamen, niſi fallor, Erud. *Dacerius*, qui omnem in explicando emendandoque *Feſto* ingenii vim iudiciique probavit, eo ſic dictos exiſtimat, quod hoſtias, ex varia fictas materia, immolarint. b) Clariſſime autem *Seneca* c), quid Fictores fuerint, oſtendit, cum, Fictores, inquit Panifices ſunt & Libarii, nec vero, ut apud *Turnebum* d) legimus relatum, Librarii. Librarii enim & Panifices coniunguntur ſæpius a *Varrone* e), qui alibi Fingere, Figuram imponere interpretatur f); & iterum g): Fictores

Ii 5 dicti

x) *Meurſius Exercit. Crit. pag.* 139.
y) *Barthius* ad *Stat. Theb. IV pag.* 1152.
z) *Feſtus de V. S. pag.* 344.
a) *Sylvius in Leges Furis pag.* 381.
b) *Dacerius* ad locum *Feſti.*
c) *Seneca Ep. IV*, 56.
d) *Turnebus Adverſar. pag.* 826.
e) *Varro de L. L. pag.* 73.
f) *Varro l. c. pag.* 42.
g) *Varro l. c. pag.* 51.

dicti a fingendis libis. Quod licet multis iam poſſem ampliſſimisque doctorum hominum teſtimoniis comprobare; inani tamen plures citandi ſuperſedebo labore, unumque modo adducam *Cl. Salmaſium* h), cuius nomen, teſte altero *Salmaſio*, *Bergero*, i) non hominis, ſed ſcientiæ, a maioribus habebatur. Qui ex argilla, inquit, ſtatuas & ſigna faciebant, Fictores Latino Nomine, Græco πλάςας, dixerunt. Namque illud nomen eſt proprium, quod perpetuo adhibent ſcriptores, quodque tanta fuit quondam exiſtimatione dignum iudicatum, ut multa eius veſtigia, vel ipſis in marmoribus antiquis, reperiamus. Ecce igitur tibi lapidem, e *Grutero* depromtum k), quo diſertis verbis Fictores nominantur:

T STATILIVS CALOCAERVS NOMENEL
CVM STATILIO DIONYSIO TRIB LEG
XVI FLAVIAE
ET STATILIO MYRONE DISSIGNATORE
SCAENAR
FILIIS ET STATILIO DIONYSIO DISCIPVLO FICTORVM PONTIFICVM.

Iniecit huius marmoris mentionem, idemque ſuo libro totum inſeruit, *Iac. Gutherius* l), ſed, cur in eo quædam mutaverit, communemque legem interpretum, quæ vel minimorum in explicandis

h) *Salmaſius ad Solin. pag.* 737 *b. E.*
i) *Bergerus Stromat. pag.* 1053.
k) *Gruterus Theſ. Inſcript. pag.* 270, 6.
l) *Gutherius de Iure Pontif. pag.* 233.

dis vetuſtis monumentis rationem haberi iubet, m) tam audacter neglexerit, valde miror. Scribit CALOCÆRVS, ſed in *Grutero* videas CALOCAERVS, quod omnino præferendum videtur, cum plerisque in lapidibus antiquis ſeiunctas diphthongos invenias, non coniunctas. Sic apud eundem *Gruterum* n) PRAESENTI & PRAESTITISSENT, apud *Begerum* Q. CAELIO, ELOQVENTIAE ſtudioſo o), in Cenotaphio Piſano, quod *Noriſius* p) eleganter explicavit, PATRIAE, COLONIAE, NOSTRAE. Pari modo in antiquis libris, manu exaratis, ubique legitur AE, non Æ, ut *Schwarzius*, ornamentum Altdorffenſis Academiæ ſummum, comprobavit. q) Haud diſſimili ratione, in avtographo vetuſto, quod *Scipio Maffeius* affert, r) PRAEFECTVS, in *Virgilio Mediceo* s) MAERENS, MAESTISSIMA, ſcribitur, ut alia omittam. Numi, fateor, ſæpenumero diphthongos plurimas coniungunt, anguſtis ſpatii limitibus circumſcripti. Neque tamen nullos

m) Doctiſſ. *Waltherus* in *Animadv. Hiſtor. criticis* pag. 23.

n) *Gruterus Th. Inſcr. pag.* 461, 1.

o) *Begerus Spicileg. Antiqu. pag.* 106.

p) *Noriſius Opp. T. III pag.* 1.

q) *Schwarzius Miſcell. Politior. Humanitat. pag.* 25.

r) *Maffeius Hiſtor. Diplom. Tab. I & II pag.* 38.

s) *Noriſius Orthograph. Utriusque Piſanæ Tabul. p.* 119.

los apud *Locbnerum* t), ubi legas TRES GALLIAE, VRBANAE, SAECVLI, apud *Harduinum* u), ubi TRAIANAE, ALEXANDRINAE, apud *Cuperum* x), ubi CAESAR, leges, deprehendes. Alii plures darunt. Deinde *Gutherius* altero verſu y) vocem plane abiecit. Sic enim ille

t) *Locbner. de Papavere pag.* 20, 3, *pag.* 135, *Tab.* 22, *n.* 3, 6, 8.

u) *Harduinus Num. Antiqu. Illuſtr. pag.* 98.

x) *Cuperus Apotheoſ. Homer. pag.* 228.

y) *Verſum* dico, non lineam, quæ, nativa ſui ac propria notione, ad Pictores ſpectat, qui, cum prima imaginis veſtigia imprimunt, lineam ducere dicuntur. Hinc illud *Horatii:*

Nulla dies abeat, quin linea ducta *ſuperſit.*

Quod quidem proverbium *Apelli* referamus oportet acceptum, cuius conſuetudinem *Plinius H. N. XXXV,* 10, dum attingit, nunquam tam occupatum agendi fuiſſe meminit, quin, *lineam ducendo*, artem exerceret. Sed hæ ipſæ lineæ Scriptoribus antiquis, de Scriptura differentibus, *verſus* nominantur. Sic ipſe *Cicero ad Attic. II,* 16, *Quintum Fr.* primis Epiſtolæ ſuæ *verſibus* manſionem ſuam deploraſſe, ſcribit. Alio vero loco, quo *Milonem* a nefariis *Clodii* machinationibus defendit, *Orat.* pro *Mil. Cap.* 26, ac *Pompeio* ſenatum præcepiſſe contendit, ut videret, ne quid reſp. detrimenti caperet, hoc uno, inquit, *verſiculo* ſatis armati ſemper Conſules fuerunt. *Ciceronem* imitatur *Cornelius, Ciceronis* amicus, (vid. *Gellius N. A. XV,* 28,) ac puræ propriæque dictionis maxime ſtudioſus, cum, excellentiorum

ille DIONYSIO TRIB XVI, cum apud *Gruterum* legas DIONYSIO TRIB LEG XVI. Nunquam enim, quod meminerim, legionis vox omittitur, ſed in marmoribus ſemper adjicitur & numis. Denique *Iacobus* ſcribit SCANAR. Ecquid autem monſtri eſt *Scanar*, vox inaudita prorſus & ignota, cum in ipſo marmore DISSIGNATOR SCAENAR nominetur? z) Habes igitur in hoc marmore cum Fictores, ac Fictores quidem Pontificum, ex quo, illos ſubjectos Pontificibus fuiſſe, rem ſacram adminiſtrantibus, cognoſcas, tum diſcipulos Fictorum Pontifi-

tiorum Imperatorum vitas ſeparatim multis millibus *verſuum* complures ante ſe explicaſſe, teſtatur *XV*, 416, & *Atticum*, cum ob multas eximiasque virtutes, tum eo etiam, laudibus extollit, quod ſingulorum ſub imaginibus facta magiſtratusque Civium Romanorum, non amplius quaternis quinisque *verſibus*, *ſub ſtatuis*, deſcripſerit, *XXV*, 18, 6. Complura ad hæc *Nepotis* loca congeſſerunt teſtimonia ſcriptores, qui ſuis eum obſervationibus illuſtrarunt. Præclare vero *Salmaſius in Solin. pag.* 23, *Verſus*, ait, Latinis dictus, *tam ſolutæ orationis linea*, quam metricæ.

z) Diſſignator, i. e. deſignator, quod ſemper in optimo *Plauti* Vaticano reperitur. *Lipſius Antiqu. Lect. II*, 19. Quos quidem Scaenarum deſignatores ſi noſſe cupias; *Petrum Fabrum Agoniſt. I*, 23, *Budæum ad Leg.* 4 *de iis, qui infamia notantur*, & commemoratum *Lipſium de Amphitheatro Cap.* 15, qui de iis doctiſſime expoſuerunt, evolve.

Pontificum, ſeu tirones, quos Fictores in ſcientia fingendi Hoſtias informarint, ut inde, ſingulare Fictorum fuiſſe Collegium, fere audeam affirmare. Cur autem hos nobis Fictores debeamus ingenio fingere, ſicut *Gutberius* a), qui breviter de iis diſſerit, arbitratur, intelligere non poſſum, cum, qui fuerint, ſatis ſuperque ex antiquis poſſit ſcriptoribus declarari. Quid? quod *Cicero* b), peregregia rerum ſacrarum cognitione imbutus, in corrupto illo loco, qui aciem *Dionyſii Lambini* ſolertiamque effugit, horum mentionem Fictorum inieciſſe videtur. Sic autem ille, a nobis emendatus: *Si M. Horatius ille Pulvillus, qui, cum eius dedicationem multi, propter invidiam, fictis religionibus impedirent, reſtitit, & conſtantiſſima mente Capitolium dedicavit, huiusmodi alicui dedicationi præfuiſſet, tamen in ſcelere religio non valeret, nedum valeat id, quod imperitus adoleſcens, novus ſacerdos, ſororis precibus, matris minis adductus, ignarus, invitus, ſine collegis, ſine libris, & ſine* Unctore, *ſine* Fictore, *furtim, mente ac lingua titubante, feciſſe dicatur.* Nimirum omnibus *Clodium* contumeliis lacerat, quod domum ſuam, invito populo, Pontificum iniuſſu, præpoſteris verbis, dubitans, tremens, hæſitans, ſine auctore, ſine ſcriptore, (ſic enim corrupte legitur,) dedicarit. Sed, inſigni ulcere *Tullium* poſtremis verbis

a) *Gutberius de Iure Pontif. pag.* 233.

b) *Cic. Orat. pro Domo ſua Cap.* 54 edit. *Lambin. T. II pag.* 241. *b.*

verbis laborare, quis non videt? Itaque ratione duplici adducti, duplicem ei ſtuduimus medicinam afferre. Ac prior quidem emendatio, qua *unctorem* in locum reſtituimus antiquum, cum ipſa *Ciceronis* ſententia optime convenit, qui *Clodium*, cum ſororis precibus, tum matris minis, impulſum, id feciſſe, itaque auctores, quibus motus, ſua ſeſe domo eiecerit, omnino habuiſſe, profitetur. Auctorem igitur atque unctorem, voces, ſibi haud diſſimiles, profecto ſcriba negligens confudit. Neque enim dubito, quin, cum aras, templa, ſimulacra, aliaque, ſacerdotes unxerint c), eodem honore conſecratas domos afficere conſuerint. Poſterior autem ſcriptura, qua Fictorem, ex *Lambino* adhuc exulantem, revocamus, tanto libentius a nobis retineri debet, quanto eam certius & Codicem *Ciceronis* membranaceum Dreſdenſem, ut *Steinhauſerus*, amicus ſumma mihi familiaritate coniunctus, at nuper maturrime ereptus, literis confirmavit, & editionem *Ciceronis* noſtram, Lugduni A. MDVIII impreſſam, & aliorum virorum, præclare in hac ſcientia verſatorum, iudicia, comprobare ſcio. Rem optime conficere ſibi viſus eſt homo neſcio quis doctus, qui, cum *M. Tullii Orationes* A. MCCCCLXXX typis exſcribendas Venetiis curavit, nec veram eruere ſcripturam potuit, conſulto duas has voces, *ſine Fictore*, prætermiſit.

V. Ultima huius ritus, a profanis nefariisque

c) *Lakemacher Antiqu. Græc. pag.* 217.

que gentibus in conſuetudinem adducti, origo eo certius videtur ad veteres illos Ægyptios referenda, quo magis eam diſtinctiusque confirmat *Herodotus*, d) quem ſcriptoribus reliquis omnibus longe anteferimus, cuique, licet aliis egeamus teſtimoniis, fidem certe maximam adhibemus. Audiatur ipſe: Οἱ δὲ πένητες αὐτῶν (Αἰγυπτίων) ὑπ' ἀσθενείης βίης σταιτίνας πλάσαντες ὗς, καὶ ὀπτήσαντες ταύτας, θύουσι. *Eorum (Ægyptiorum) autem pauperes, facultatum inopia adducti, Sues fingunt farinaceas, coctasque immolant.* Nimirum *Herodotus*, ad ſacra Ægyptiorum oratione converſa, ſues, meminit, ab iisdem impurorum in animalium numero haberi, nullisque prorſus Diis, niſi Lunæ & Libero, immolari. Ac Lunæ quidem etſi vivæ plerumque Sues offerantur, homines tamen, opibus deſtitutos, fictas Lunæ ſoli Sues ſacrificari, Baccho autem, pro foribus, porcam mactare, ſuoque, a quo emerint, reddere ſubulco. Quod quidem eum monuimus in finem, ne quis facili errore, lapſuque leviſſimo *Olearii*, e) qui, utrique, Lunæ pariter ac Baccho, fictas ſues immolari, ſtatuit, ſeducatur. Ab his Ægyptiis, ſicut omnis doctrina ad gentes disiunctiſſimas peragravit, ſic etiam fictæ Hoſtiæ ad Indos, Græcos, Romanos, alios, tranſierunt, ut ex ſequentibus, quæ dicemus, non mediocriter conſtabit.

VI.

d) *Herodotus II*, 47.

e) *Olearius* ad *Philoſtr.* in *Vita Apollonii Tyan. I*, I, 19.

VI. Indi enim, id quod *Philoſtratus* f) teſtatur, ampliſſimoque comprobat exemplo, pari fuerunt quondam ſuperſtitione imbuti. *Apollonius* nimirum *Tyaneus*, ex India reverſus, cum Patriarcham Ægyptium, quem plerumque nec iniuria *Serapidis* credunt ſacerdotem g), tauros, anſeres, aliasque hoſtias, immolare videt, tantum abeſt, ut cruento hoc ſacrificio delectetur, ut idem minime probet, ac potius more Pythagoreorum inſtitutoque reprehendat. Tum Patriarcha, quis, inquit, Ægyptiorum poſſit inſtituta mutare? Omnis, Philoſophus reſpondet, Sapiens, qui Indiam perluſtravit. Tum hic extemplo, inſpectante illo, Hoſtiam, ex thure fictam, immolat, eaque re magnum dat in pudorem Ægyptium Patriarcham. Sed audire hic mihi videor hominem & doctrina, & iudicio, præſtantem, qui omnem hanc meam diſputationem reiicit, ideoque, ut eo rem melius conficiat, hunc *Philoſtrati* locum arripit, huiusque clypeo munitum ſe ſatis tectumque arbitratur. Siccine, inquit, *Philoſtratum* teſtem citas, ut Indorum fictas Hoſtias luculentiſſime demonſtres? Ita vero. At non vides, tuo te ipſum gladio iugulare. Tu, Ægyptios fictas inprimis Hoſtias immolare, imo vero eam fortaſſe conſuetudinem induxiſſe, ex *Herodoto* confirmas. Sed

f) *Philoſtratus Vit. Apollon. Tyan. V*, 25.

g) *Voſſius ad Catull. pag.* 29.

Sed hic, ubi de Indorum Sacrificio exponis, Indus fictas. Hoſtias bene callet, Ægyptius ignorat. Hic ſtupidus homo *Apollonium* intuetur, miratur, quid agere velit. Cumque ille fictam immolat hoſtiam, obſtupeſcit, eiusque rei ſe nullam plane cognitionem habere, aperte, ſed indoctiſſime ſimul, declarat. Hi ergo ſunt illi Ægyptii tui, qui fictis uti hoſtiis conſueruntt? Hi ſunt illi Ægyptii, quos tu magnopere laudas. Apage, & *Herodotum* tandem abiice. Quodſi enim Ægyptii eam conſuetudinem tenuerunt, cur Patriarcha ipſe tam expers huius rei eſt, tam rudis, tam imperitus & ignarus? Reſpondebo. Salva res eſt. Primum enim quis negabit, cum nihil fere ſit, quod, *Cicerone* auctore, h) non aliquando conficiat longinquitas & conſumat, ſolam hanc conſuetudinem ab omni temporis iniuria immunem ac liberam fuiſſe? Iam, cum *Herodotus* Olympiade 87 vixerit, *Apollonius* autem *Tyaneus* Olympiade 218, ſive, ut diſtinctius rem exponam, cum ille anno ab *Abrahamo* nato 1548, i) hic autem 2111, floruerit, k) nonne 563 annorum intervallo totam fere fingendarum Hoſtiarum conſuetudinem Ægyptii tollere potuerunt? Deinde *Herodotus*, Ægyptios, facultatum inopia adductos, id feciſſe, verbis clariſſimis demonſtrat. Itaque fieri non poterat, quin Patriarcha

h) *Cicero Orat. pro Marcello Cap. IV.*
i) *Euſebius Chron. n.* 1548.
k) *Euſebius Chron. n.* 2111.

triarcha vehementer miraretur, cum innumerabilis adeſſet taurorum, anſerum, omniumque hoſtiarum, multitudo, tamen *Apollonium Tyaneum* ſictas Hoſtias immolare. Denique *Herodotus*, fictas ſues ſoli Lunæ, contendit, *Ægyptios* obtuliſſe. *Philoſtratus* autem, cum *Serapidis* in Serapeo ſacerdotem, qui communi Patriarcha nomine vocabatur, immolaſſe commemorat, ſine dubio, etiam *Serapidi* ſacrificaſſe, declarat, quod nunquam *Herodotus* inficiari eſt auſus. Iure igitur meritoque, & *Herodoti* teſtimonium veritati convenire, & Ægyptii hunc morem tenuiſſe quendam, mihi, ſine ulla dubitatione, videntur.

VII. Quanquam autem Græci, impotenti quadam gloriæ cupiditate adducti, ſapientiæ præ reliquis gentibus principatum obtinere ſtuduerunt; ſummam tamen ſemper, ſicut *Paulus*, l) inſtinctu divino afflatuque perculſus, meminit, ſuperſtitionem, cum inſigni coniunctam ſtultitia, prodiderunt. Neque enim ſeſe, ſi fictas immolarent Hoſtias, in ſumma religionis veræ ignoratione verſari, verum ea re Diis ſuis ſingularem teſtari religionem, crediderunt, quod mos eorum inſtitutumque confirmat. *Empedocles* enim, qui magna quondam cum laude gloriaque, proſtrato adverſario, in Olympicis palmam tulit, bovem, ad viventis ſimilitudinem effictum, Diis immolat, quaſi ea re gratum pro victoria velit animum declarare. m) Imitatur

l) *Rom.* I, 22.
m) *Philoſtrat. de Vita Apoll. I, 1, pag.* 3; & *Athenæus Deipnoſ. Lib. I pag.* 3.

Empedoclem Apollonius Tyaneus, quem, ut modo commemoravimus, ipſum ſi *Philoſtratum* n) evolvas, Bovem ex thure aliisque aromatibus ſimulaſſe, cognoſces, ſi *Olearium* o), πέμμα quidem, minime tamen bovis cuiusdam præferens ſpeciem, ſed in illius locum modo ſuffectum. Clariſſimum tamen, omnique maius exceptione, exemplum *Pythagoras* nobis præbet, qui, cum, latus ſubtenſum trianguli rectanguli lateribus continentibus æquipollere, inveniſſet, bovem, ex farina confectum, teſte *Porphyrio*, p) immolavit. Tanto vehementius hoc ſacrificium *Ciceronem* q), illum omnis ſapientiæ magiſtrum, in dubium vocaſſe, miror. Audiamus eum, in hanc ſententiam diſſerentem: *Pythagoras, cum in Geometria quiddam novi inveniſſet, Muſis bovem immolaſſe dicitur.* Sed id quidem non credo, *quoniam ille ne Apollini quidem Delio Hoſtiam immolare voluit, ne aram ſanguine adſpergeret.* Sed demus omnino veniam *Ciceroni*, qui, vivum immolaſſe bovem *Pythagoram*, ſibi perſuadere poterat nequaquam, id quod ab eiusdem moribus ſciebat longiſſime remotum. Sed ipſe *Porphyrius*, modo citatus, non ſine omni ratione, ut accuratiores produnt, addidiſſe videtur, quaſi nimirum aliorum, qui factum id negarent, occurrere velit dubitationibus, hasque doctis-

n) *Philoſtratus l. c.*
o) *Olearius ad Philoſtr. pag.* 208 *not.* 17.
p) *Porphyrius de Vita Pythag. pag.* 196.
q) *Cicero de Nat. Deor. Lib. III Cap.* 36.

doctiſſimorum acutiſſimorumque teſtimoniis hominum refutare. Et vere. Cum enim Ægypti incolæ boves ſummo proſequerentur honore, r) & in ſummis ponerent vitiis, ſi quis bovem, foeminam præſertim, occidiſſet, adeo ut vel eam ob cauſam Græcos, qui quidem eos mactare conſueverant, odio haberent ſingulari, s) quanto minus hoc a *Pythagora*, qui hunc ab Ægyptiis morem acceperat, & ab eius aſſeclis, qui nullas fere boves immolabant, t) exſpectes. *Erat igitur*, ut *Henrici Dodvelli* u) verbis utar, *bos ille Pythagoreus e farina* triticea *ſubacta, in* bovis *duntaxat effigiem formatus, e mola ſcilicet, vel libo cocto, ſacrificiis addi ſolito, unde ſumi ſolebant Sacrificiorum farta, vel libamina.* Neſcio tamen, qui factum fuerit, ut *Gregorius Nazianzenus*, x) de hoc *Pythagoris* ſacrificio exponens, a *Porphyrio* vehementer diſtet; &, quem bovem *Porphyrius* ex farina, hunc ille ex argilla, fictum opinetur. Quodſi *Apollodorum*, cuius paſſim Fragmenta collegit *Diogenes*, y) evolvas; *Pythagoram* videbis, invento Triangulo, Hecatomben immolaſſe. Atqui Hecatombe vel centum bobus z), vel 25 ſal-

r) *Maxim. Tyrius pag.* 382.
s) *Herodotus II*, 41.
t) *Iamblichus de Vit. Pyth. pag.* 126.
u) *Dodvellus de Ætat. Pythag. pag.* 143.
x) *Gregor. Nazianz. Opp. T. II Epiſt.* 183.
y) *Diogenes Laertius de Vitis Sophiſt. pag.* 217.
z) *Iul. Capitolin: Balbin. Cap. XI.*

tem, a) vel aliis, multis certe, animalibus conſtabant b). *Vitruvius* boum plurium, a *Pythagora* oblatorum, mentionem facit c). Quas quidem Scriptorum ſententias dum accurate perpendo, etſi plures facile Hecatombas immolare *Pythagoras* potuiſſet, *Dodvello* tamen omnino accedendum puto; d) qui, frugalitatem *Pythagoræ* pluribus hoſtiis repugnare, affirmat. Sed hæc de antiquo *Pythagoræ* ſacrificio, quod, cum nobis inſigne ad memoriam videretur, noſtrum in ſe convertit animum, traxitque ac tenuit, ut nequaquam poſſemus ſilentio præterire. Veniamus iam ad *Thucydidem*, e) ſcriptorem non ignobilem, cuius Hiſtoriæ *Demoſtheni*, Græciæ lumini, probatæ adeo fuerunt, ut libros eius octies deſcripſiſſe feratur. f) Hic igitur *Thucydides*, cum multa de Athenienſibus, de Legibus eorum, Sacrificiisque, commemoravit, hos Diaſiis οὐχ ἱερεῖα, ἀλλὰ θύματα ἐπιχώρια, immolare, contendit. Cogitanti autem mihi ſæpius, atque animo hæc verba diu multumque reputanti, ipſe *Thucydidis* Scholiaſta, cuius aliorumque ſine lectione nemo ſe Græce doctum audeat nominare, g) rem explicat, atque ad liquidum perducit.

a) *Auct. Scholior. brevium ad Homerum Il. A. v.* 65.
b) *Etymolog. M. pag.* 320.
c) *Vitruvius IX,* 2.
d) *Dodvellus l. c. pag.* 144.
e) *Thucydides Opp. pag.* 82. *a.*
f) *Dionyſ. Halicarnaſſ.* π. Θουκυδ. *pag.* 162.
g) *Zeibichius Athl.* παραδοξ. *pag.* 6.

ducit. Sic autem ille: Τίνα πέμματα, εἰς ζώων μορφὰς τετυπωμένα. Ecquid autem eſt, cur hæ hoſtiæ patriæ appellentur? Reſpondet *Porphyrius*, ex quo tota res ſole clarius cognoſcetur h): Ἐπεὶ καὶ Ἀπόλλων, παραινῶν θύειν κατὰ τὰ πάτρια, τετ- έςι κατὰ τὸ ἔθος τῶν πατέρων, ἅπαν ἄγειν ἔοικεν εἰς τὸ παλαιὸν ἔθος, τὸ δὲ παλαιὸν διὰ ποπάνων καὶ τῶν καρπῶν ἦν. *Quin etiam Apollo cum ſacra fieri iubet*, κατὰ τὰ πάτρια, h. e. *more inſtitutoque maiorum, nos ad avitam reducere conſuetudinem videtur. Veteres enim placentas & fructus offerebant.* Ipſe enim iam *Cecrops*, primus Athenienſium rex, i) qui A. M. 2436 vixiſſe perhibetur, k) ſuo hunc morem exemplo comprobavit, ac, *Pauſania* l) teſtante, quod nihil vita præditum immolabat, πέμματα ἐπιχώρια in ara collocavit. Quibus quidem verbis fictum omnino bovem deſignari, cum *Meurſius* m) ac *Dodvellus* n), tum alia Scriptorum veterum teſtimonia, confirmant. Etenim, quam Hoſtiam *Pauſanias* πέλανον dicit, ſic autem ἀπὸ τοῦ σχήματος Athenienſes vocant, o) hanc *Euſebius*, p) accuratiſſimus temporum explanator, βοῦν appellat.

h) *Porphyrius pag.* 97.
i) *Euſebius Chronic. ad A.* CCCCLX *pag.* 109 *Græc.*
k) *Pauſanias pag.* 600.
l) *Offerhauſ. Spicileg. Hiſtor. Chronolog. pag.* 585 edit. *Groning.*
m) *Meurſius Regn. Attic. pag.* 43.
n) *Dodvellus de Ætate Pythag. pag.* 143.
o) *Pollux VI*, 76.
p) *Euſebius ad A.* CCCCLX *pag.* 109.

pellat. *Ioſephus* autem *Scaliger* q), cui *Lakemacherus*, r) ſumma antiquitis peritia inſtructus, & *Potterus*, s) ſæpenumero in *Archaeologia* ſua eruditorum ſpem fallens, t) ſuffragatur, *Scaliger*, inquam, parum abeſt, quin *Euſebium*, ob illum bovem a *Cecrope* immolatum, reprehendat. Hunc enim, ait, & *Pauſaniæ*, & ipſi *Cecropis* conſuetudini, qua animalium abdicaverit victimas, repugnare. Sed ignoſcamus tanto, tamque in rebus hiſtoricis agitato, ſcriptori, ut principatum iure ac merito obtineat, cum idem ei, quod *Ciceroni*, de *Pythagoræ* ſacrificio diſſerenti, accidiſſe videatur. Neque vero præterire *Godofredum Viterbienſem* poſſum, ſub *Urbano II* Pontifice florentem, u) qui tam confidenter eo de ſacrificio exponit, ut eidem quaſi interfuiſſe, bovemque, procumbentem humi, conſpexiſſe videatur. x)

Ille (Cecrops) *Iovi pecudes primus in orbe necat*
Mactat *oves ſibi*, (i. e. illi Iovi,) *ſive* boves, *prior erigit aram*
Morte bovis *dat prima Iovi libamina chara.*

Sed

q) *Scaliger ad Euſeb. pag.* 27.

r) *Lakemacherus Antiqu. S. Gr. pag.* 329.

s) *Potterus Archaeol. Græc. pag.* 231.

t) *Zeibichius Athlet.* παραδοξ. *pag.* 139.

u) *Voſſius de Hiſtor. Lat. pag.* 442.

x) *Godfridus Viterbienſis Chronic. Lib. IV* apud *Meurſ. Regn. Attic. pag.* 42.

Sed nihil moramur huius iudicium, qui, ovisne fuerit, an bos, ancipiti diſtractus cogitatione, dubitat, ac potius ad ea, quæ ſuperſunt, redeamus. Reſtat enim Bos ſeptimus, de quo multa multi ſcriptores, inprimis *Pollux*, y) memoriæ prodiderunt. Ὁ βοῦς πέμμα ἐστὶ, κέρατα ἔχων πεπηγμένα, προσφερόμενον Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι, καὶ Ἑκάτῃ, καὶ Σελήνῃ. *Βοῦς est placenta cornuta, oblata Apollini, Dianæ, Hecatæ, & Lunæ.* Quo magis vero vehementiusque miror, *Danielem Heinſium*, clariſſimum illud Belgii ornamentum, quod vivum merito ſpiransque dixeris Muſeum, cornutas has victimas prorſus ignoraſſe. z) *Quid*, inquit, *audio, ut victima cornuta ſit libatio* &c. Et deinde: *At libationem, quæ ex vino, melle, ceterisque liquidis, fiebat, quis cornutam unquam dixit? Quis Græcorum* χύσεις χοὰς, λοιβὰς, *&* σπονδὰς, *quæ a fundendo, aut libando, dicebantur, victimas vocavit?* Sed, ipſam rem accuratius ſi perpendas, partem ſacrificii cum ipſo ſacrificio Virum confudiſſe doctiſſimum, cognoſcas. Etenim libatio propria ſui nativaque notione ritus erat, quo vel vinum, & partibus victimæ, in ara impoſitis, affundere, a) & ipſi, inter ſe, rem divinam facientes, ad aram leviter deguſtare, b) vel mo-

y) *Pollux VI*, 76.
z) *Heinſius Sacr. Exercitat. ad N. Teſt. T. II pag.* 769.
a) *Dionyſ. Halicarn. VII pag.* 479.
b) *Virgil. Aeneid. VIII*, 278, *Salluſt. Bell. Catilin.* 22.

lam ſalſam in cornua victimarum ſpargere, c) ſolebat. Atque hanc quidem libationem, recte negat *Heinſius*, cornutam Hoſtiam appellari. Tum vero ſynecdochice Libationem Sacrificium & Hoſtiam nominabant, conſentiente veterum iudicio probatiſſimorumque ſcriptorum. Sic *Livius*, d) & *Ovidius*, e) cum de Sacrificiis loquuntur, libaſſe Diis Romanos, affirmant. Sic *Cicero*, proprietatis maxime ſtudioſus, pari modo uſurpat f). *Apuleius* autem, g) cum libationis meminit, Diis ſacrificari, geniis miniſtrari, obitis libari, arbitratur, perinde ac ſi ſolis libatum defunctis fuerit, neque Diis, quod *Livius* diſtinctis verbis luculentiſſime confirmat, ipſique reſpondet origini, quam a Libero tradere videtur. h) Sed quid facilius, quam virum, tantis occupatum negotiis ac diſtractum, & in omni literarum genere mirabiliter exercitatum, antiquis ſcriptoribus, qui omnino, etſi hoc minime in loco, ſæpius labuntur, habere fidem noluiſſe. Neque tamen ea re quidquam *Heinſio* detractum velim, cum, ſolius veritatis gratia, in lucem e tenebris vindicandæ, exponam. Itaque hæc hoſtia, cornibus prædita, communi bovis nomine dicebatur. Vocabant eundem &

c) *Lakemacher Antiqu. Græc. Sacror. pag.* 350.
d) *Livius XXXIX*, 43.
e) *Ovidius Pont. IV*, 8, 39.
f) *Cicero de Aruſp. Reſp. Cap. X, & de Legib. II*, 12.
g) *Apuleius de Mundo pag.* 74.
h) *Struvius Syntagm. Antiquit. Sacr. pag.* 487.

& Σελῆνες, i) cum, iudice *Cupero,* k) ad imitationem Lunæ naſcentis eſſet fictus, & bovem ſeptimum, quod, propoſitis ſex animalibus, hunc eundem bovem ſeptimo immolabant. l) *Suidas:* Θυομένων δὲ τῶν ἓξ ἐμψύχων, προβάτου, ὑὸς, αἰγὸς, βοὸς, ὄρνιθος, χηνὸς, ἐθύετο ἕβδομος, ὁ ἐξ ἀλεύρου. *Sex autem animalibus immolatis, ove, ſue, capra, bove, anſere, ſeptimus ex farina bos immolabatur.* Abiit in proverbium bos ſeptimus, qua quidem voce ſtupidos deſignabant, ut *Eraſmus* pariter n) ac *Potterus* o) teſtantur.

VIII. Atque, ut veteres Romanos, ad quos omnium gentium confluebant nationes, ſuasque leges, mores, ritus, ſacrificia, afferebant, hoc inſtitutum non prorſus ignoraſſe, confirmem, ipſe *Hercules* Romanus, quem haud indocte *Salmaſius* p) explicavit, Diti, nequaquam vero Saturno, ut *Faber* q) ſibi falſo perſuadet, oſcilla iubet, ad humanam ſimilitudinem expreſſa, immolari. Rem ipſam *Macrobius,* r) Romanorum doctiſſimus, attingit. Quid autem oſcilla

i) *Alberti ad Heſych.* T. I pag. 753 n. 6.
k) *Cuperus Harpocr. pag.* 110.
l) *Heſychius* T. I *pag.* 1061 *ed. Albert.*
m) *Suidas* T. I *pag.* 448 *edit. Kuſter.*
n) *Eraſmus Adag. pag.* 267 *a.*
o) *Potterus Archaeol. Gr.* II, 4.
p) *Salmaſius ad Solin. pag.* 7.
q) *Faber Theſ. L*[illegible] *Oſcillum.*
r) *Macrobius Saturn.* [illegible]

oſcilla fuerint, explicare, cum materia, quam in præſentia pertracto, tum caſtitas, quam ab omnibus perpetuo decet obſervari, vetat; obſcoenæ certe partis imagunculas fuiſſe, ſatis conſtat s). Romanos autem, ut ad propoſitum revertar, fictas omnino hoſtias immolaſſe, cum illud, quod ſupra adduximus, marmor, Fictorum iniiciens mentionem, confirmat, tum *Feſtus*, t) pari modo iam a nobis citatus, qui, Tauros Verbenasque in Commentario Sacrorum Romano ficta farinacea ſignificare, contendit. Neque vero nobis, ut quidam perſuadere ſibi poſſent, *Theodoſius* u) refragatur, qui, dum ſacrificia prohibet, fictas Hoſtias ſilentio prætermittit. Primum enim permulta ſacrificiorum tacet genera, potiſſimaque tantum attingit. Deinde, cum, ne thura imponant, prohibet, nonne, ipſis his verbis, fictas ſimul Hoſtias prohibuit, quæ, ut ſupra commemoravimus, πέμματα, hoc eſt, cupediæ, ex variis confectæ aromatibus, dicuntur. Quodſi mihi obiicis *Ciceronem*, *Pythagoræ* ſacrificium non ignorantem modo, ſed etiam admirantem, hunc vivum, neque fictum, intellexiſſe bovem, memento, ut explicavimus ſupra. Quin imo, etſi eo tempore, quo vitam & *Cicero* & *Theodoſius* egerunt,

s) *Nicolai de Rivu antiquo & hodierno Bacchanal. Cap.* 15 *ſ.* 3.

t) *Feſtus* voc. *Tauri.*

u) *Codex Theodoſ. T. V, XVI, Tit. de Pagan. Sacris* 12.

runt, fictas Hoſtias immolandi conſuetudo obſolevit; eam tamen cerimoniam, a Græcis ſine dubio acceptam, eos olim tenuiſſe, ecquis ideo negabit? Romanis Indos adiicio, noſtra præſertim memoria florentes. Fieri enim poteſt, *Dionyſio Halicarnaſſenſi* x) iudice, ut barbari, aliis plerumque moribus aſſuefacti, nonnullos cum Græcis Romanisque ritus in ſacris habeant communes. Avitam igitur conſuetudinem adhuc tenent Brachmanes, quos e *Thevenoto* y) commemorat *Godofr. Olearius* z) ſtato die vaccam, melle pleniſſimam, Diis ſuis offerre, ac, melle defluente, ſanguinem ſimulare. Quod minime tamen miror, cum Mexicanos, disiunctiſſimos illos perverſiſſimosque homines, idolum ſuum, quod *Vizli Puzli* appellant, maſſa farinacea expreſſum, plebi epulandum proponere, bene ſcio a). Sed miſſas iam hoſtias ac gentes, quæ quidem hoc tenebant inſtitutum, faciamus, nosque ad præcipuas huius ritus cauſas, & memoria digniſſimas, conferamus.

IX. Etenim Hoſtias, ut, re omni conſiderata, perſpexi, antiquæ profanæque gentes, certis adductæ rationibus, ſimulabant, quarum duas quidem cum reperire mihi videar, breviter easdem, ne quid reliqui in præſenti faciam, ſum-

x) *Dionyſ. Halicarn. pag.* 479.
y) *Thevenotus Hodoeporic. Indic. Vol. III Cap.* 47.
z) *Olearius ad Philoſtr. pag.* 3.
a) *Zeibichius*, Parens Venerabilis, in Ἀλόγοις *Gentil. Sacr.* §. 8 *pag.* 31.

ſummatimque exponendas, duco. Ac primum quidem multa ſane video ſacerdotes hominibus, inſigni paupertate laborantibus, condonaſſe, id quod clarum facit teſtaturque *Herodotus,* b) ſæpius iam nobis commemoratus, qui, fictam Suem Lunæ Ægyptios immolaſſe, expreſſis his verbis luculentiſſimisque declarat: Οἱ δὲ πένητες αὐτῶν ὑπ' ἀσθενείης βίου σταιτίνας πλάσαντες, ὗς, καὶ ὀπτήσαντες ταύτας, θύουσι. *Eorum autem pauperes, ob inopiam facultatum, ſues fingunt farinaceas, coctasque immolant.* Suffragatur huic *Suidas,* c) cuius verba, ab illis *Herodoti* minus aliena, in præſenti adducam: Οἱ πένητες, βοῦν, ἔμψυχον μὴ ἔχοντες θῦσαι, ἔπλαττον ἐξ ἀλεύρου? Neque vero hæc ipſa conſuetudo, a vetuſtis gentibus accepta, ab iisque ad ſeros usque poſteros propagata, una ſe modo regione continuit, ſed longe lateque diſſeminata, complures ſane provincias occupavit, quin ad ipſos quoque manavit Cyzicenos, Propontidis incolas, d) qui, incredibili hoſtium multitudine obſeſſi, omnique prorſus commeatu interclusi, cum nigrum bovem vivum, quem quotannis offerre Diis tenebantur, e) immolare non poſſent, ex farina ſimulabant f). Quodſi finem, quem ſibi his propoſuerant ſimulationibus, accurate perpendas,

b) *Herodotus II,* 47.
c) *Suidas* voc. βοῦς ἕβδομος.
d) *Stephan.* voc. κύζικος *pag.* 393.
e) *Potterus Archaeol. Gr. II,* 4.
f) *Dacerius ad Feſt.* voc. *Tauri pag.* 562.

das, eo ſibi has hoſtias ab ipſis conceſſas ſacerdotibus deprehendes, quod hi, nullo prorſus tempore ſacrificia negligi, ſed ſumma ſemper religione confici cerimoniaque, volebant. Itaque *Lycurgus*, Legislator Laconum ſapientisſimus, cum ex aliis quæreretur, cur tam vilia modicaque inſtituiſſet ſacrificia, ne unquam, reſpondit, Deum colere ceſſemus, ſicut Chæromenſis ſcriptor, g) tum iucunditate rerum, tum dilectu, maxime excellens, Græcis literis conſignavit. Habebat eandem fere *Theophraſtus* h) opinionem animo infixam, eum admiratione dignisſimum iudicans, non qui ſplendide rem divinam faceret, ſed qui ſæpe. Miror autem, ſummaque ſimul veneror animi pietate, inſtitutum immortalis Dei, qui, ſi mulier, exacto puerperio, in ſacram rurſus concionem prodiret, neque vero, paupertatis ergo, ovem immolare valeret, columbam iubebat ac turtures offerri. i) Quod profecto mandatum a præceptis profanarum gentium non abhorret, niſi quod hæc occæcatorum hominum auctoritate nitebantur, illud autem ſummi Numinis, longeque ſapientiſſimi, voluntate.

X. Sed, ut de alia ratione, quæ gentes ad fingendas Hoſtias potiſſimum impulit, pauca dicam, perſuadebant ſibi gentes, Diis ſuis, qui ſalutem omnium rerum incolumitatemque cuperent

g) *Plutarchus Opp. T. II pag.* 228.
h) *Theophraſtus* ap. *Benedict. ad Pindar. pag.* 116.
i) *Levitic.* XII, 8.

perent conſervari, nihil tam ingratum, nihil tam inviſum, nihilque tam odioſum, eſſe poſſe, quam cum ſanguinem in ſacris profundi viderent. Dum enim ipſis, quæ offerrent, ſacrificiis iratos placare Deos, cum iisque rurſus redire in gratiam, maximopere ſtuderent, quo hi vel ſua ſibi conata feliciter evenire iuberent, vel vitiorum deponerent memoriam, vel aliis ſeſe beneficiis cumularent, ſi tantum crudelitatis ſtudium probarent, fore, ut non modo tortura optatis ſuis minime reſponderet, ſed Deorum etiam in ſe æſtum iracundiamque commoverent. Itaque *Lycaonis*, quem, ob humanam hoſtiam oblatam, k) in lupum Dii mutaverant, recordatio cum ſapientes ſubiret, ſummopere cavebant, ne, profuſo ſanguine, crudelem quendam effrenatumque prodere animum viderentur. *Pythagoras*, quem rerum humanarum ſcientia in ſummo dignitatis faſtigio collocavit, ſingulari prorſus, licet profana, ſuperſtitione imbutus, nunquam aras maculavit ſanguine, ſed liba, *Philoſtrato* l) & *Iamblicho* m) teſtibus, ſacrificavit mellita. Quodſi in ultimam huius ritus, remotiſſimamque, originem inquiras, ab Ægyptiis ſine dubio accepit, qui, cum omnium vellent ſapientiſſimi judicari, manus a cruentis hoſtiis abſtinebant. n) Hinc *Macrobius* o), Ægyptii,

k) *Potterus Archaeol. Gr. II*, 4.
l) *Philoſtratus de Vit. Apollon. Tyan. I*, 1.
m) *Iamblichus de Vit. Pythag. Sect*, 150.
n) *Porphyrius* π. Ἀποχῆς *pag.* 71.
o) *Macrobius Sat. I*, 4.

gyptii, inquit, *ſolo thure Deos placant*. Neque tamen hæc Ægyptios univerſos, ſed potiores ſaltem, obſervare, doctiſſimus *Kuhnius*, p) rationibus, neſcio quibus, adductus, monet. Permanavit deinde hic mos ab Ægyptiis ad Græcos, quippe qui in æde Iovis Ὑπάτα Attica, libo perpetuo offerebant, q) ad Delios, apud quos nunquam hoſtia cædebatur, r) ad alias quoque gentes, quas alto iam ſilentio prætermittam, cum verear, his de rebus ſi plura in medium afferrem, ne poſt *Maronem* Æneida ſcribere viderer, nemoque facile reperiri poſſit, qui in ſumma huius rei ignorantia verſetur. Mihi vero, has duas rationes, quibus adducti veteres finxerunt hoſtias, memoria repetenti, tertia ad animum occurrit. Nimirum gentes, ſuperſtitione incredibili imbutæ, vel eum in finem fictas hoſtias ſæpius immolaſſe mihi videntur, ut omnia, quæ quidem in apparandis viventibus hoſtiis interdum accidere ſolebant, incommoda facilius evitarent. Etenim principio hoſtia, ſi *Ovidium* audias, s) labe carens, ſi *Plutarchum*, t) ἀσινὴς καὶ ἀδιάφθορος, a ſacerdotibus requirebatur. Tum vero, cum ad aram ſtatui deberet, libenterne ſta-

p) *Kuhnius ad Polluc. I*, 26, *p.* 18.
q) *Pauſan. p.* 62.
r) *Clem. Alexandr. VII*, *p.* 717.
s) *Ovidius Metam. XV*, 130.
t) *Plutarch. de Oracul: defectu p.* 437.

ſtaret & annueret, u) an vero reluctaretur, x) ut eſt in numo y) antiquo, num ſe ab aris abſtraheret, z) diligenter videbant. Si bene ante aram ſtetiſſet, grata Diis & accepta putabatur. Quodſi reluctaretur, & fugeret denique, id quod *Pompeio* accidiſſe recordamur, a) derepente ab aris Deorum amovebatur. Sæpe igitur ac multum, cum hoſtiæ male ſe gererent, tum omne ſacrificium pro nihilo ducebatur, aliæque erant hoſtiæ, Diis iucundiores, immolandæ, proiecta pecuniæ vi, qua ſibi hoſtiam ſupplices compararant. Quod quidem ne ſibi frequenter eveniret, fictas, opinor, (neque enim certiſſime affirmo,) hoſtias immolabant, quæ & parvo conſtarent pretio, & ſine ullo reiectionis metu offerri poſſent, & communi denique Deorum ſacerdotumque iudicio comprobarentur.

XI. Quare, ut rei, ex vetuſtatis memoria erutæ, ſumma fiat, fictæ hoſtiæ ſunt genus placentarum, ex farina, vel cera, vel aromatibus, ad variorum animalium ſimilitudinem, a fictoribus formatarum, quas complures profanæ gentes, cum inopia facultatum, tum abſtinentia profundendi ſanguinis, adductæ, Diis Deabusque ſuis immolarunt.

XII. At nos, Chriſtianis dicati ſacris & imbuti,

u) *Plutarchi Sympoſ. VIII p.* 729.
x) *Servius ad Virgil. A. IX*, 627.
y) *Begerus Theſ. Brandenb. T. II p.* 575 *n.* 2.
z) *Plinius VIII*, 45.
a) *Appianus de B. C. p.* 470. *D.*

buti, immortali Deo, *Bernhardo* monitore, b) laudis immolamus hoſtiam, eique maximas gratias agimus, quod, ſingulari prorſus miſericordia clementiaque permotus, nos, e craſſis ſuperſtitionis tenebris feliciter ereptos, in lucem divinæ reſtituit veritatis, Filiumque ſuum, ſpirantem illam Hoſtiam, ſuæ pro nobis iuſtitiæ immolavit, eum maxime in finem, ut eius inſiſtamus veſtigiis, eidemque, ſicut *Paulus* cohortatur ſeveriſſime, c) corpora noſtra vivas hoſtias ſiſtamus, donec, ſuperatis tot, tamque gravibus, quæ noſtrum angunt animum, ac pæne conficiunt, ærumnis, ad illam cœlitum ſocietatem perveniamus, qua Chriſtum, mactatum illum agnum, d) his noſtris contemplabimur oculis, hoc noſtro ore oſculabimur, his noſtris amplectemur brachiis, ac, pro incredibili ſua in nos benevolentia, debitis in perpetuum, magnificentiſſimisque, laudibus proſequemur.

b) *Bernhardus in Cantic. Sermon.* 13 *p.* 131. Conf. etiam *Athenagoras*, qui, incruentam ſibi a nobis Deum repoſcere victimam, diſtincte confirmavit in *Legation. pro Chriſtian. p.* 13.

c) *Rom XII*, 1.

d) *Apocal. V*, 6, 9, 12.

VI.
FRID. OTT. MENCKENII NOTITIA LIBRI RARIORIS QVO HERMANNII BVSCHII LIPSICA, CVM SCHOLIIS PHILIPPI NOVENIANI, CONTINENTVR.

Parum olim cognitum, neſcio quo ſuo fato, doctis hominibus Carmen illud *Buſchianum* fuit, quo patriæ meæ laudes, etſi minus copioſe, ſuaviter tamen & venuſte, ſunt decantatæ. Nemo enim Scriptorum, qui de nobiliſſimi huius ſive Poetæ, ſive Grammatici, vita & ſcriptis commemorarunt, huius laboris, inter tot alia eius ſcripta, mentionem fecit; & ipſi olim parenti meo, *Io. Burchardo*, cum de *Buſchio* ex inſtituto ageret in Diſſertatione *de Græcarum et Latinarum literarum in Miſnia inſtauratoribus*, primum A. 1701 edita, ſed poſtea ceteris eius *Diſſertationibus* quæ mea cura coniunctim prodierunt A. 1734, adiecta, *pag. 248*, indiciis licuit, tale quid a *Buſchio* compoſitum, non niſi tenuiſſimis, & valde obſcuris, colligere. Accidit autem poſtea, ut forte fortuna idem parens meus in eam huius Carminis editionem incideret, quam Lipſiæ A. 1504 ipſe *Buſchius* curavit, ſed quæ, operarum vitiis miſere deformata, rei typographicæ illa ætate in urbe noſtra parum feliciter excultæ haud leve documentum præbet. Cupidiſſime igitur hoc tanquam cimelium amplexus, editionem hanc ſecutus eſt ducem in

ador-

adornanda nova, quam prodiiſſe primum A. 1727, poſtea vero opera mea repetitam in volumine *Diſſertationum literariarum J. B. Menckenii*, A. 1734 a me edito, *p. 231*, meminiſti, Lector. Satis autem apparet, parenti meo tunc, cum priorem illam editionem ad ipſum fortuna detuliſſet, vix in mentem veniſſe ſuſpicari, exſtare adhuc aliam, ab illa ipſa valde diverſam, eidemque non uno nomine præferendam, illius Carminis editionem, anno nempe Seculi XVI primo & vigeſimo, vivente adhuc *Buſchio*, luce publica donatam. Huius enim, non emendatius tantum illa altera excuſæ, ſed docti etiam hominis annotationibus illuſtratæ, ſi ullam parens notitiam habuiſſet, non eſt dubium, ea potius, quam illa altera, uſurum fuiſſe ad parandam novam, additurumque ſuæ, maioris velut ornamenti cauſa, fuiſſe illas, etſi breves, tamen non adeo ſpernendas, *Noveniani* Notas; ut taceam, faciliorem ſic futurum ei edendi laborem, nec infinita pæne menda ex editione illa veteri transferenda in hanc novam, fuiſſe. In rarioribus igitur hoc ſive *Buſchii*, ſive *Noveniani*, opus cum ſummo ſuo iure ſit ponendum, nec plus de eo *Maittairius*, aut huic ſimiles Scriptores, quam parens meus, cognitum habuerint: nimis autem breviter de eo egerit *Iac. Burckhardus* in *Commentario de vita H. Buſchii*, huius *Buſchii Vallo humanitatis* præmiſſo, *p. 171*; rem facturus non adeo inutilem, aut ingratam Lectoribus, videor, ſi, quæ huius, non tam Carminis, quod paucis non inſpectum puto, quam editionis, forma ſit & ra-

tio, quæ ſint Editoris ſive in hanc ipſam, ſive in literas univerſe, merita, quo pretio æſtimanda illa, quæ vocantur, *Scholia* ſint, paucis quidem, ſed quam fieri poteſt accurate, dixero. Prodiit illa anno Seculi p. C. N. XVI primo & vigeſimo, forma 4, ſic inſcripta: Hermanni Buſchii, *Paſiphili, Poëtæ celeberrimi, Lipſica, cum* Philippi Noveniani, *Hasfurtenſis, Scholiis. Lipſiæ, ex officina Baccalaurei Martini Herbipolenſis; Anno ſalutis humanæ MDXXI.* Ornant veſtibulum editionis duo Epigrammata: alterum *Chriſtophori Hegendorfini, Lipſici, in Lipſiam Buſchii*; alterum *in Σχόλια Philippi Noveniani. Tetraſtichon Joannis Hornburgii, Erythropolitæ, ad Lectorem.* Utrumque horum, qualecunque demum iudicetur, cum & breve ſit, & *Buſchio* æque ac *Noveniano* honorificum, huc bona Lectorum cum venia transſcribemus. Alterum hoc eſt:

Bis veluti Bacchum lucem veniſſe ſub ipſam,
Vatis Apollinei ſcripta diſerta probant.
Sic liber hic, quondam natus Iunone ſecunda,
Pelle nova indutus, prodiit ecce recens.
Hunc Scholiis auxit nulla non arte Philippus
Inſignis, patrii gloria magna ſoli.
Illius auſpicio redit hæc foetura ſub auras,
Quæ tibi tam placeat, nobis ut illa placet.

Cuius in Epigrammatis ultimo verſu cum vitium proſodicum quilibet facile intelligat, idque ipſi deinde *Noveniano* in oculos inciderit; is ſub finem libri ita legere nos iuſſit verſum:

Hæc tibi tam placeat, quam placet illa mihi.

Alte-

Alterum eiuſdem generis:

Heus puer huc Cirrate viden, Tritonia Pallas
Quam clemens? cunctis dans Heliconis aquas,
Iam tibi Parnaſſi ſummo de vertice rupis
Edit, quas cumulat rite Philippus opes.

Epigrammata hæc ſubſequitur Epiſtola *Noveniani ad Illuſtriſſimum Principem & Dominum, D. Georgium, Saxonum Ducem, Marchionemque Myſiæ, & Præſidem Provinciæ Tyringiæ, Heroem pientiſſimum, ſtudioſorum Mæcenatem liberaliſſimum*, qua opus hoc & *Buſchii*, & ſuum, illi Principum maximo, Lipſiæ noſtræ tunc domino, pie dedicavit *Philippus*. Eſt hæc plena laudum tanti Principis, cuius ut divinæ virtutes, iuſtitia, clementia, ac ſapientia, ita dignum inprimis tanto Principe, urbes & novas condendi, & veteres amplificandi ornandique, ſtudium, non celebrantur tantum pro dignitate, ſed in exemplum etiam, quod alii imitentur Principes, ponuntur. Quantum autem ſui decoris præ ceteris urbibus Lipſia debeat *Georgio*, ex his iucunde cognoſces, Lector: *Tibi illa magnificentia hæreditario a divinis parentibus tuis iure obvenit, qua tuo in regno monaſteria ab imo, ut dicitur, fundo ædificantur, urbes ampliſſimis ædificiis vel novæ conduntur, vel veteres inſtaurantur, arces munitiſſimæ eriguntur, liberaliumque diſciplinarum, & omnis ſapientiæ, aſylum, Lipſiam tuam, adeo tu maioresque tui, & cumprimis ſeculorum memoria dignus Heros, Albertus, parens tuus, nulla non re ornaſtis, ut, ſi omnibus humanæ felicitatis dotibus cetera Germa-*

nia Gymnaſia non ſuperet, nimirum æquet. Nec de *Georgii* tantum patris, ſed de filiorum etiam, *Ioannis* & *Friderici*, quorum alter iam tum dictionem ſuam magna omnium admiratione feliciſſime adminiſtrabat, alter tunc ſub inſtitutione *Gothofredi Syboti, eruditiſſimi*, ut hic vocatur, *viri*, ad patriæ ſpem magnam adoleſcebat, virtutibus hic præclariſſima quæque commemorantur. De *Buſchio* autem ex eadem diſcimus epiſtola, per integrum triennium Lipſiæ elegantiores literas profeſſum, liberalitate Principis *Georgii* annuo ſtipendio donatum: quod ipſum triennium annis Seculi XVI quarto, quinto, ſexto, & ſeptimi parte, abſolvi, iis conſtare argumentis poteſt, quæ *pag. 188* libri paulo ante dicti *Burckhardus* attulit. Ceterum more illius ſeculi hæc etiam Epiſtola Hebraicis Græcisque ſententiis diſtincta eſt, illis quidem ex ſacro Codice, his ex *Homero*, deſumtis. Sed in his excudendis mira typographi paupertas apparuit; qui, cum ſtanneis Hebraicarum literarum formis careret, ligneas, easque valde rudes, adhibuit, a Græcis autem apices abeſſe iuſſit, non quod, recte hos removeri a Græcis, quæ noſtra ætate multorum eſt e Criticis ſententia, ſibi perſuaderet, ſed quod in illa rei typographicæ infantia pauciſſimi his fabricandis apti invenirentur. Eo nomine ipſe ſub finem libri querelas movet *Novenianus*, eiusque rei alienam a ſe eſſe culpam cupit. Iam ipſum *Buſchii* Carmen, cum præmiſſa ab Autore *ad Conſules Senatumque Lipſienſem* Epiſtola, & elegiaco

Hiero-

Hieronymi Emſerii Odoeporico, legendum nobis exhibetur. Subiectæ ſunt *Buſchiano* Carmini amplæ ſatis, nec indoctæ, annotationes *Noveniani*, unde editioni huic decoris haud parum acceſſit. Quæ *Noveniani Scholia* cum excuſa characteribus Gothicis Clariſſimus *I. H. Leichius* in libro *de Orig. & increm. Typogr. Lipſ. pag. 28 not. 7* ſcribit, aut hic oculatiſſimum alias Virum acies oculorum fefellit, (per totum enim librum Gothicorum characterum nihil invenio, qui illam potius anni 1704 editionem occupant,) aut aliam fortaſſe, ab hac ipſa diverſam, mihi autem incognitam, *Buſchiani* Carminis, *Noveniani* Scholiis locupletati, ob oculos editionem habuit: a qua poſtrema opinione, etſi nunc, quid hoc rei ſit, ignorare ſe, ipſe *Leichius*, a me interrogatus, reſpondeat, non me longe adeo abeſſe fateor, inprimis cum mihi Amicorum aliquis, quem, quod ſciam, nunquam in his rebus memoria fefellit, & qui mihi, ut multis aliis, in librorum veterum hiſtoria tanquam eſſe oraculi loco ſolet, viſam ſibi ante complures annos huius operis editionem, non hac ipſa pleniorem tantum, ſed forma etiam maiori, quam dicere *in folio* ſolemus, excuſam, quæ carmen *Buſchii* Romanis, *Noveniani* autem Scholia Gothicis, excuſa characteribus oſtenderit, confirmet. At, cum idem Amicus meus, ſemel tantum, idque, ut dixi, multos ante annos, viſam ſibi hanc editionem, referat, nec diſſimulare poſſit, in nullo librorum indice, quos tenere ſe numero ſexcentos ait, inveniſſe ſe eius

mentionem factam; optime facturus videor, ſi, eius rei fidem eſſe penes auctorem, iuſſero. Sunt illæ *Noveniani* Annotationes maximam partem grammaticæ & philologicæ, tales prorſus, quales ſuis Auctorum veterum editionibus *Jodocus Badius Aſcenſius*, aut Seculi XVI Grammatici pæne omnes, addiderunt. Nam, cum totum *Buſchii* Carmen variis Poetarum veterum floribus ſit conſperſum, eidemque plurima ex Mythologia, aut Hiſtoria antiqua, ſint admixta, fierique adeo potuerit, ut in his aliqui lectorum, non adeo tincti elegantioribus literis, offenderent, his ut minus moleſta Carminis lectio eſſet, commoda *Novenianus* explicatione effecit. Sed inſunt etiam his Notis talia nonnulla, unde hiſtoria urbis noſtræ, et florentis in ea ſive Academiæ, ſive ordinis Senatorii, haud parum illuſtrari poſſit. Quæ cum ita a *Noveniano* ſingula ſint deſcripta, ut vel hæc legenti, etiamſi rerum noſtrarum ceteroqui prorſus ignaro, animum ſubire admiratio urbis noſtræ, eiusque viſendæ cupiditas, poſſit; non dubito, hæc plurimos Lectorum eadem, qua mihi, civi et alumno urbis, lecta ſunt, cum voluptate cognituros. De nomine urbis iucunde hic diſcimus, *Sabellico Lipſigium*, ab aliis *Lipzigum*, a *Buſchio Lipſim*, dici, denique a *Rich. Croco, homine Britanno, & utriusque linguæ callentiſſimo, Lipſiam*, appellari ſolitam; unde colligere liceat, primum fuiſſe *Crocum*, qui illud urbi nomen dederit, quod nunc in maxime vulgatis, & omnium frequentiſſimis, habetur. In

exſtruendis; aut reficiendis, urbis noſtræ turribus ac muris non maiorem olim, quam nunc, Senatus Lipſienſis curam fuiſſe, gravi Auctor hac oratione docet: *Iam nunc ab ædificiorum elegantia urbem effert* (Buſchius), *primum murorum ſublimi ſtructura, & aggeris firmitate; deinde quod turribus eſt creberrimis cincta.* Quodſi iam tum ea *ſcripſit Buſchius noſter, nimirum pleniore id ore nunc aſſerturus, ſi iam noſtri ævi in illis exſtruendis totius Senatus ſtudium videret, qui nulla non re & murum & turres reficit, atque inſtaurat, vel ab ima nonnunquam baſe novas, & quidem inſtructiſſimas, turres ædificans.* Quæ de areæ illius, quam forum vulgo dicimus, ſive latitudine, ſive planitie, ſcribit Autor, vera eſſe, nemo facile, qui propius inſpexit, negaverit. *A foro*, inquit, *civitatem laudat, quo, ut id, quod verum eſt, loqui liceat, certum eſt, eam multas etiamnum potentiſſimas maximasque alioqui urbes vincere, quod tam lata area planitieque tam amœna excellit, undique huiusmodi ædificiis ornatum forum habens, ut ſingula pæne non parum munitæ arcis faciem referant.* Copioſum autem inprimis invenio Auctorem in prædicandis Senatus, tunc temporis nobiliſſimi, in urbem univerſam meritis; quæ cum tanta ſint, ut maiora vix eſſe poſſint, ſatis laudaſſe hos, qui nunc quidem civitatem regunt, putabitur, ſi quis æquus rerum æſtimator, ad illorum laudes quam proxime hos accedere, pronuntiaverit. Neminem Lectorum ita moroſum puto, ut moleſtum ei ſit, hæc de ordine illo magnifice dicta legere:

Plane,

Plane, optime Lector, citra adulationem, a qua natura ego alienus ſum, id licet mihi dicere, hoc in oppido tam inſignem ſemper & verendum eſſe Senatorum cœtum, ut digniſſimus plane videretur, qui ampliſſima etiam regna gubernaret. Tot hic Neſtores, tot Catones, tot Scævolæ, tot ſummi ampliſſimique viri, conſpiciuntur, ut nihil timendum mihi videatur, ne civium tam tranquillus, tam opulentus, ſtatus unquam in ſeditionem abeat. Etenim ſeligitur is numerus ex Philoſophis & Iurisperitis potiſſimum, viris, tum multa doctrina, tum etiam variarum rerum varia experientia, præditis. Hinc nominatim trium Conſulum, rempublicam tunc gubernantium, virtutes commemorat, & ſuo quemque elogio, talibus ac tantis viris debito, condecorat. Sunt hi *Ægidius Moergius*, ſeu, ut in Annalibus urbis noſtræ vocatur, *Morch*, *Bartholomæus Apt*, & *Benedictus Belgerſamius*: quorum & a nobis, illa ab Auctore honorifice dicta huc transſcribendo, memoriam inſtaurari, nemo non eorum, qui patriæ noſtræ, rectisque ac religioſis eius Senatoribus, bene cupiunt, æquum iuſtumque duxerit. Ita vero horum Triumvirorum laudes coniunxit Auctor: *Iam huius rei publicæ habenas moderatur optimus ac pariter erudiſſimus vir & dominus,* Ægidius Mœrgius, *liberalium diſciplinarium doctor bene doctus, Iurium nequaquam ignarus, quin & in his ſtudiorum ſuorum gradum commeruit, quem tibi, ut & animo eſt præſenti & nequaquam effeminato, ſimul in rebus legationibusque obeundis Herculeo & dextro, atque eloquen-*

tia

rta non vulgari, fidus per omnia, eruditorum amator præcipuus, rerum civitatis huius dies atque noctes ſatagens, vigilantiſſimus, nihil omittens, quod vel in oppidi huius opulentiſſimi, vel Academiæ noſtræ, rem ac gloriam redere poſſit, & Conſulis munus ſtrenue atque impigre obiens, hunc, inquam, ſi pro merito utcunque delineare deberem, mihi non opus eſſet, Scholia ſcribere, verum iuſtum volumen explere. Nec minus memorabilis eſt amplißimus vir & dominus, Bartholomæus Apt, *vir vel canitie venerandus, nec ipſe vel artium, vel iurium, ignarus, imo in hiſce ſtudiorum dignitatem nactus, qui iam multis plane annis huic reipublicæ, Conſul quidem meritiſſimus, præfuit, neminem eruditorum omittens, quem non aliquo beneficii genere afficeret. Tertius Conſul eſt* Benedictus Belgerſamius, *& ipſe ætate grandis, canisque verendus, homo multarum rerum expertiſſimus, de quo illud Homeri dici poſſit:* Ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. *Habes iam, Lector optime, qui noſtra tempeſtate Conſules ſint huius urbis laudatiſſimæ.* Tam amica olim Academiæ & Senatus Lipſienſis inter ſe conſenſio fuit, ut Artium Magiſter minime ſibi, ne ordinis ſui, hoc eſt, Academici, invidiam incurreret, timendum putaret, ſi Conſulem laudaret publice, &, Academiæ per eum proſpici gloriæ, diceret. Nimirum nondum illa ætate animos hominum noſtrorum ea invaſerat opinio, non, qui Academiæ nomen dediſſet, eum, bene ſimul cupere Senatui, decere, nec, qui Senatui ſe adiunxiſſet, eum alterius ordinis

dinis dignum amore habendum; ſed arctiſſimo hæ ſocietates vinculo coniunctæ, ad commune bonum concordiſſime inter ſe conſpirabant; nec rari adeo exempli res fuit, eundem hominem & Profeſſorem & Senatorem dici. Eundem *Moergium*, cuius præclaram modo a *Noveniano* factam mentionem vidimus, alius Academiæ noſtræ, fama æque ac doctrina illuſtris, doctor, *Ioannes Muslerus*, de quo proxime ex inſtituto dicemus, *ſumma prudentia virum, Conſulem Lipſienſem prudentiſſimum, & ſtudioſorum promotorem integerrimum*, vocat in *Conſilio Scholaſtico ad Ill. Comitem de Ortenburg*, cui locum ipſe dedit inter *Opuſcula* ſua, Venetiis A. 1538 coniunctim edita, inventu autem nunc rariſſima, *pag. 345*. Inter ceteros illius temporis Senatores cum multos laudare poſſet *Novenianus*, uni præ ceteris multum honoris detulit *Henrico Stromero Auerbachio*, quem conſtat eodem tempore Ordinis medici in hac Academia Decanum, & civitatis Senatorem, fuiſſe, areæque illi *Auerbachianæ*, quam in hac urbe nemo facile ignorat, nomen dediſſe, ceterum doctiſſimum, &, ut ſcriptis variis, ita inprimis amicitia *Eraſmi*, cuius complures ad eum publice leguntur epiſtolæ, clariſſimum, virum, cuius vitam & in literas merita cognoſcat, ſi velit, Lector ex *Vogelii Annalibus Lipſ. pag. 82, 101, & 151*, & *Freheri Theatro Vir. ill. pag. 1218*. De hoc ita *Novenianus*: *Quodſi aptior eſſet locus, referrem & tibi ſingulos Senatores ordine: nam nemo eſt non dignus memoratu. Præterire tamen non poſſum doctiſſimum*

ſimul

ſimul etiam prudentiſſimum virum, Henricum Stromer, Auerbachium, *qui, cum a pueris, optimis ſemper & vere literatis literis incubuerit, rei medicæ Doctor evaſit, & is tamen, qui non tam Iurium, quam Theologiæ, ſit ſtudioſiſſimus, perſuadens ſibi, omnes artes diſciplinasque aurea, ut Plato putavit, catena inter ſeſe nexas eſſe, hic nimirum neminem ſtudioſum, nedum eruditum, prætermittit, quin data occaſione eum officiis, & quidem non vulgaribus, demereat. Sed de tam præſtantibus viris, conſultius eſt multo, omnino tacere, quam non ad plenum eorum virtutes, id quod non poſſumus, referre.* Ad Academiam Lipſienſem oratione delatus *Novenianus*, veris eam dignisque, etiam Senatorum iudicio, laudibus proſequitur. *Vertit ſeſe*, inquit, *iam* (Buſchius) *ad Academiam, eam ab omni diſciplinarum genere laudans. Et plane, Lector, ſi obticere veritatem voluerimus, fatendum eſt, Lipſiæ eam eſſe Academiam, ſive diſcendi docendique inſtitutum moremque conſideres, ſive eruditorum hominum copiam, ſive ea omnia, quæ aut faciunt, aut utcunque conferunt, ad literarum ſtudia, fatendum adeo, eam eſſe Lipſienſem ſcholam, quæ vix ulli cedere poſſit vel Germaniæ, vel Galliæ, ne dicam Italiæ; de qua Crocus noſter Britannus, homo eruditiſſimus, ſcribit honorificentiſſime in Encomio in hanc rem inſtituto, & nuper Ioannes Reuſchius, noſter amicus, non infeliciter in eius maſtygas invectus eſt.* Nos, *ne videamur actum agere, ſi poſt Buſchium, Crocum, Parthenium Andronicum, &*

alios,

alios, plus æquo longiores eſſe velimus, paucis, quæ minus expoſita videbuntur, explicabimus. Quid ſit illorum ſcriptorum, quibus Lipſiam æternitati conſecratam a *Croco*, *Reuſchio*, *Parthenio Andronico*, dicit Auctor noſter, fortaſſe non adeo multi ſciunt, nec mihi ipſi, niſi hæc pauca, undecunque licuit cognoſcere: a *Richardo Croco* editum, forma 4, *Academiæ Lipſienſis encomium congratulatorium*, *Reuſchii* vero, qui Medicinæ Doctor fuit, honores iſtos Lipſiæ eodem, quo *Novenianus*, anno & die conſecutus, prodiiſſe, indicio *Bibliothecæ Geſnerianæ, a Ioſ. Simlero* auctæ, *pag*. 489, *Epiſtolam apologeticam contra Lipſiomaſtygas*, denique *Tranquilli Parthenii Andronici*, Dalmatæ, exſtare Orationem de *Laudibus eloquentiæ*, ex officina *Melch. Lotteri* emiſſam A. 1518, quam ipſam a *Noveniano* intelligi, colligere ex iis licet, quæ hinc excerpta dedit Clariſſ. *Leichius* in libro *de Or. & incr. Typ. Lipſ. pag.* 39 *not.* 27. Plura, quæ commemorari de illis hiſtoriæ Lipſienſis Scriptoribus poſſint, iam quidem haud ſuppetunt. Adeo incurioſi laudis ſuæ omni tempore fuerunt cives mei, ut de vindicandis ab oblivione his, quæ ſuæ gloriæ dicata ſunt a nobiliſſimis Scriptoribus, ne cogitarint quidem; tantum abeſt, ut his conſervandis, & ad poſteritatem transmittendis quidquam ſtudii impenderint. Nihil præterea *Novenianus* de ipſis Academiæ doctoribus, quos illa omni tempore habuit clariſſimos, addit, niſi quod, a *Buſchio*, quem ſupra diximus continuos tres annos literas humanio-

niores Lipſiæ docuiſſe, frequentiſſimo auditorio prælectum, idque Principis *Georgii* ſtipendio, *Silium Italicum*, ſcribit, eundem nempe Poetam, quem ipſe in hoc *Lipſicorum* Carmine præ ceteris ſit imitatus. Claudit librum, ſimulque ornat, *ad Excellentiſſimum & ſummum virum, Iacobum Fabri ex Hornbach, Medicinæ Doctorem, Vicecomitem Palatinum, ſuum peculiarem patronum & fauiſſorem, Philippi Noveniani, Hasfurtini, clientis, Epigramma*, non quod ad *Buſchiani* carminis videretur argumentum pertinere, ſed ut conſtare hinc lectoribus poſſet, quam paratum ipſe ad carmina Apollinem haberet, ideo a *Noveniano* hiſce ſuis *Scholiis* adiectum, ceterum elegantiæ ac venuſtatis haud parum habens, & *Fabri* illius virtutes ac doctrinam variam, quæ ſine hoc *Noveniani* Carmine perpetuis fortaſſe tenebris ſepulcræ iacerent, æternitati commendans. Reſtat, ut, ſi quid mihi ſit de editore libri, eiusque ſive fatis, ſive in literas meritis, undecunque cognitum, id vel breviſſimis commemorem. Erunt enim, qui eius rei hoc maiorem mihi gratiam habeant, quo obſcurior ad hunc diem huius hominis, ſorte profecto meliore digniſſimi, fama fuit, vel ipſum eius nomen tacentibus his, a quibus, ut in deſcribendis eius rebus copioſiſſimi eſſent, poſtulari iure poterat. Patria ei, ut vel inſcriptio operis docet, Hasfurtum, oppidulum Franconiæ, parentes neſcio qui, fuerunt, niſi quod, fortunis hos fuiſſe non omnino nullis, inde colligo, quod in Epiſtola ad *Mauritium Bibra-*

ebenſem, & *Ægidium Mœrgium*, *Elementali* ſuo *Hebraico* præmiſſa, *nobiliſſimum dominum*, *Valentinum Bibrachenſem parenti ſuo plus quam credenda præſtitiſſe præſidia, adeo, ut omnes fortunas ſuas huic acceptum referre habeat*, ipſe ſcribat *Philippus*. Patruus ei fuit *Ioannes Novenianus*, Arctophrygienſis, Artium Magiſter, ſacrarumque literarum peritiſſimus, cuius ipſe laudes brevi Elegia cecinit, obvia inter *Philippi* noſtri *Lucubratiunculas & Carmina nonnulla*, Lipſiæ A. 1516 vulgata. Is *Ioannes*, quem ſacro cuidam muneri præfectum fuiſſe, inde colligo, quod a *Philippo* in Elegiæ, quam dixi, inſcriptione *Vir venerabilis et eruditiſſimus* vocetur, filii loco habuit *Philippum* noſtrum, huiusque educationem inprimis ſibi habuit commendatam. Id non obſcure iſte Elegiæ verſus indicat:

Qui ſe non patruum magnum, ſed iure parentem,
Geſſit, et agnatos ſemper adauctat ope.

Gentilitium ei nomen *Neumanni* fuit, idque in Academiæ noſtræ Annalibus notatum invenio; ſed maturioribus annis, more illius ſeculi, maluit Latinorum ore *Novenianus*, quam vernaculo ſermone *Neumann*, nuncupari. Hanc nominis originem ſi cognitam habuiſſent, qui *Geſneri Bibliothecam* auctiorem ediderunt, *Joſ. Simlerus* & *Io.Iac.Friſius*, non id convertiſſent *pag 693* in *Noveſiani* nomen, id quod etiam factum video a *Chriſtoph.Hendreichio* in *Pandect. Brandenb. pag 806*, & a *Maittairio* in *Indice Annal. typ. Tom. II pag. 540*, qui *Maittairius* non habebat, cur ad teſtimonium ſe referret noſtri *Leichii*, in cuius libro

de Orig. & increm typ. Lipſ. pag. 90 non, ut ille vult, *Noveſianus*, ſed *Novenianus*, legitur. De prænomine autem Noſtri notari Lectoribus velim, non *Philippi*, ſed *Philippi Michaelis*, ei a parentibus datum, idque in libro eius, A. 1558, ut infra pluribus dicemus, *de Diarrhoea* edito, inſcriptum legi. Cetera autem, quod ſciam, omnia *Noveniani* ſcripta nudum *Philippi* prænomen præ ſe ferunt; nec ſatis, quæ Noſtro, alterum abiiciendi nomen, cauſa fuerit, intelligo, niſi forte inauditum id Latinis auribus, nec Romano ſermone adhibendum, iudicavit. Similiter noſtra ætate *Olearius*, Græcarum literarum in Lipſienſi Academia Profeſſor, cui prænomen *Georgii Philippi* fuit, Diſſertationibus, quas edidit, pleriſque omnibus, unum *Philippi* nomen inſcripſit, &, quem prænomine dictum *Ioannem Fridericum* ſcimus, *Menzius*, in eadem Academia doctrinæ naturalis Profeſſor, ut alia multa, ita hoc etiam, ſibi proprium ac ſingulare habuit, quod noluit alio, niſi *Friderici*, prænomine vocari. Annum *Noveniani* natalem non definio; at, ſub finem Seculi XV natum ut credam, illud me movet, quod in eodem, cuius ſupra mentionem feci, *Elementali Hebraico*, anno nempe 1520 edito, *iuvenis* dicatur a typographo, *Valentino Schumanno*, qui perbrevem libro *ad Lectorem* Epiſtolam ſubiunxit; nec alio ipſe ſibi nomine vocetur in *poetico Somnio de Chriſtophoro Hegendorffino*, quod cum *Comoedia nova Chriſtoph. Hegendorffini* Lipſiæ A. 1520, 4, prodiit. Salutata Lipſienſi Academia, elegantioribus non Latinarum tantum & Græcarum, ſed Hebraicarum etiam, li-

terarum ſtudiis totum ſe dedit, eo nomine *iuvenis trium linguarum ſtudioſiſſimus* appellatus eidem, quem modo dixi, *Hegendorffino* in *Epiſtola ad Novenianum*, eidem, cuius paulo ante mentionem feci, *Comoedia* ſubiuncta. Et in Græcis quidem partim a *Rich. Croci*, quem ſuum ipſe *in Græcis literis præceptorem nunquam ſatis laudatum* in *Scholiis ad Lipſica Buſchii*, & *in Latinis Græcisque literis virum quam eruditiſſimum ac præceptorem ſuum* ſub finem *Elementalis Hebraici*, appellat, partim a *Petri Moſellani*, cuius & ipſius *eruditione in Græcis plus quam biennium ſe uſum*, ſcribit in *Peroratione ad Lectorem*, eidem *Elementali Hebraico* ſubiecta; in Hebraicis autem a magni illarum literarum doctoris, *Io. Cellarii*, cuius ipſe in ſe & uinverſam Lipſienſem iuventutem merita gratus, loco non uno, in *Elementali Hebraico* agnoſcit, cuius & *amicitia victuque quotidiano plurimum ſe delectatum*, ibidem ſcribit, ore pependit. Præterea in Poetices & elegantiorum literarum ſtudiis inſtitutione uſus eſt *Ioannis Tuberini*, *Erythropolitani*, vulgo *Rothenburgenſis* dicti, Poetæ illa ætate excellentis, quem præceptorem ipſe ſuum vocat in *Elegia ad Tuberinum*, quam in libro *Lucubratiuncularum & Carminum nonnullorum* primo ipſe loco collocavit. Nimirum ita hic *Philippus*:

> *Hic* (Gottingæ), *me cum primis te præceptore perusum,*
> *Agnoſcunt, læto pectore ſuſcipiunt.*

Poſitis

Poſitis Philoſophiæ & liberalium artium tirociniis, primos *Novenianus* A. 1515, media æſtate, (ita enim ex Annalibus Academicis diſco,) ab ordine Philoſophorum Baccalaurei, ut vocantur, honores accepit; eodemque, niſi me fallit coniectura, anno, relicta Lipſienſi Academia, in urbem tunc temporis nobiliſſimam Gottingam, commigravit. Ita enim ipſe in *Elegia* ad *Ioannem Tuberinum*, eidemque quem modo dixi, *Lucubratiuncularum & Carminum nonnullorum* libro adiecta:

Huc (Gottingam) *mihi, Cecropia generoſam Pallade Lipſim*
Linquenti, fauſto tendere calce datur.

In huius urbis ſchola, omni tempore celebratiſſima, publici *Novenianum* aut Rectoris, aut præceptoris ſaltem, munere functum, inde mihi fit veriſimile, quod ipſe in epiſtola ad *Io. Mechelmeshuſenium*, *Alberti*, *Archiepiſcopi Moguntini*, *in Conſiſtorio Gottingenſi Commiſſarium*, ex *Muſeo Gottingenſi* data, & libro *Lucubratiuncularum* præmiſſa, ſe *publice* anno 1516 Gottingæ *Pſalmographi concentus interpretatum*, ſcribat, ibidemque, *infinitis* ſe premi *innumeriſque occupationibus*, queratur. Nec nihil roboris peti poteſt huic coniecturæ ex *Georgii Nuſſorii*, *Hasfurtini*, *ad ſuum Philippum Novenianum, tunc Gottingæ agentem, Epigrammate*, eiusdem libri *Lucubratiuncularum* frontem ornante, in quo hæc leguntur:

Quem modo cirratæ tenet indefeſſa iuventæ
Curaque amorque ſimul,
Eloquio pubem nitido noctesque diesque
Erudiiſſe ſolet.
Moribus hanc etiam ſatagit compſiſſe probatis,
Literulisque ſimul:
Enarrat quoniam facundi ſcripta Maronis,
Ac Ciceronis opes.
Lactea (crede mihi) novit quoque flumina Livi,
E'oquioque refert.
Hunc quoque Cecropiosque ſales urbanaque Plauti
Scripta docere iuvat.
Hic quoque Ariſtotelis numeroſa volumina curat
Expoſuiſſe tibi.
Et, quod Chryſippi docta laudatur in arte,
Calluit, edocuit.
Illius ergo, puer, nitidiſſima Carmina volve
Nocte dieque frequens.
Gymnaſiumque huius primis, puer optime, ab annis
Neu dubites colere.
Poſtquam prima tibi fundamina rite locata
Hujus ab ingenio,
Claram Cecropia Latii quoque Pallade Lipſim
Tu pete, docte puer.

Huic igitur ſi quam fidem habendam coniecturæ, & inter publicos Gottingenſis ſcholæ doctores numerandum *Novenianum*, putes; hinc, vides, ſupplementi aliquid accedere iis poſſe, quæ de pri-

primis ſcholæ Gottingenſis magiſtris nos docuit egregius Gottingenſis, olim Gymnaſii, nunc Academiæ, doctor, *Chriſtoph. Aug. Heumannus*, in *Parte III* libri, *Zeit - und Geſchicht - Beſchreibung der Stadt Goettingen* inſcripti, eiusque *Lib. IV Cap. 1 §. 2 pag 3*; quo in loco, nihil ſibi cognitum de illis ſcholæ Gottingenſis Rectoribus, qui ante ſacra a *Luthero* emendata publicam in illa urbe cathedram ornarunt, nec, de quo commemoret, antiquiorem ſe *Petro Nigidio*, qui anno demum 1523 ſcholæ præfuit, habere, fatetur Auctor celeberrimus. Intra illud tempus, quod Gottingæ transactum eſt *Philippo*, primum Muſa eius partum enixa eſt, obſtetricante, quem modo nominavimus, *Georgio Nuſſorio*, *homine ſuaviſſimo*, quocum *Gottingæ omnia ſibi fuiſſe communia*, ipſe docet *Philippus* in *Epiſtola ad Io. Mechelmesbuſenium*, paulo ante memorata. Is *Georgius*, cum *Lipſiam ad famigeratiſſimam & Græcis & Latinis literis Academiam* ſe conferret, extorſit vel invito *Philippo* quædam *Carmina*, *ſucciſivis*, ut ipſe in eadem epiſtola *Philippus* ait, *horis, & ingenii exercendi & gratificandi ſtudio hominibus bene de ſe meritis*, *luſa*, eo quidem animo, ut Lipſienſibus typographis (nondum enim habuiſſe tunc temporis Gottinga officinam typographicam videtur,) literis hæc exſcribenda daret. Cui cum conſilio amici, præclare de ſe merituri, reluctandum *Novenianus* haud putaret; factum eſt deinde cura, forte etiam ſumtibus, *Georgii*, ut illa varii generis Carmina, quæ *primitias* ipſe, &

prima ingenioli ſui rudimenta, in illâ, ſæpius dicta, epiſtola *Novenianus* vocat, A. 1516, 17 Cal. Octobris, Lipſiæ *ex ædibus Valentini Schumanni, Chalcographi diligentiſſimi*, forma 4, prodirent, ſic inſcripta: Philippi Noveniani, *Haſfurtini, Lucubratiuncula, & Carmina nonnulla, ad diverſos, quibus, inter cetera, nonnihil contra Virorum obſcurorum Epiſtolarum obſcurum Auctorem continetur. Lector, eme, lege, & probabis.* Plagularum non niſi trium & dimidiæ liber eſt, præter *Nuſſorii* ad *Novenianum* Epigramma, in fronte operis poſitum, Carmina *Noveniani* ſex, Epiſtolasque duas, ſingula autem hoc ordine, exhibens. Primo loco legitur *Epiſtola ad Literatiſſimum ac Iuris & reliquarum artium omnium doctiſſimum Virum, denique per Saxoniam omnem famigeratiſſimum, Ioannem Mechelmeshuſenium, Dni Alberti, Archi-Epiſcopi Moguntini, in Conſiſtorio Gottingenſi Commiſſarium*, cuius ſe *clientem* Philippus, & a quo *quamplurimis beneficiis hactenus affectum* ſe, dicit Pietatis & obſervantiæ in *Ioannem* interpres eſt hæc epiſtola, librum hunc ei in perpetuam tutelam tradens. Tum poeticam quaſi ſcenam aperit *ad Eruditiſſimum & humaniſſimum Virum, Ioannem Tuberinum, Erythropolitanum, vulgo Rothenburgenſem vocitatum, Poetam excellentiſſimum, præceptorem ſuum*, elegiaca epiſtola, tota in celebrandis partim Gottingenſis urbis laudibus, foetibusque *Tuberinæ* Muſæ, partim in vindicanda eiusdem *Tuberini* fama a telis hominis ignoti, qui famam eius in *obſcurorum*

rum Virorum Epiſtolis peſſime habuerat. Intelligis iam, Lector, quid ſibi velint minæ illæ, adverſus harum *Epiſtolarum* Auctorem in ipſa operis fronte iactatæ; unum enim hoc, nihil præterea, in illum Auctorem per totum opus dictum. Elegiam hanc ſequuntur aliæ duæ: una *ad Scholaſticos, quo ſe literarum ſtudiis dedant*, ſalutaria vivendi, & literis operam navandi, præcepta continens, ex cuius etiam duobus his verſiculis:

Quisquis adhuc tenero degis, bene nate, ſub ævo,
Et cupis ad vatum ſacra venire, puer,
Et puer æterna doctorum laude moveris,
Hoſce prius monitus perlege, docte puer,

inter ſcholæ Gottingenſis doctores locum fuiſſe *Noveniano*, haud obſcure poſſe colligi videtur; altera *ad egregium & eximium Virum, Ioannem Winckelman, excellentiſſimum Iuris doctorem, ac famigeratiſſimæ civitatis Gottingenſis Conſulem*, cuius & virtutes prædicat, & *clientem* ſe vocat. His addita ſunt duo *Epigrammata*; alterum ad *Excellentiſſimum atque Magnificum Virum, Iacobum Fabri ex Hornbach, Medicinæ Doctorem, & Vicecomitem Palatinum, ſuum patronum & fautorem*, illud ipſum nempe, quod Carmini *Buſchiano* adiectum a *Noveniano* ſupra dixi; alterum *ad Magnificum atque egregium Virum, Andream Stoppium, inſignis Eccleſiæ Eimbiccenſis Decanum, Iuris Pontificii Doctorem præclariſſimum*, imaginem Decani vere religioſi, ſimulque docti,

exhibens, cum poetica *ad Venerabilem & eruditiſſimum Virum, Ioannem Novenianum, Arctophrygienſem, artium Magiſtrum, ſacrarumque literarum peritiſſimum, ac Patronum ſuum*, Epiſtola, qua docto huic & eloquenti viro de beneficiis ſibi præſtitis decentes Noſter gratias perſolvit. Sub finem operis legitur Epiſtola *Noveniani ad ſuum Georgium* (*Nuſſorium* nempe) epiſtola, ſermone ſoluto compoſita, qua &, neminem ſibi hoc *Georgio* coniunctiorem vivere, ſcribit, &, literas ad ſe dari ab eo frequentiores, cupit. Gottingæ vix ultra annum illam *Novenianus* videtur docendi provinciam adminiſtraſſe; quandoquidem ex illo *Nuſſorii* ad eum Epigrammate, quod in limine *Lucubratiuncularum* exſtat, intelligitur, iam tum fuiſſe ei in civitatis Eimbiccenſis ſchola publici Rectoris munus demandatum. In huius enim Carminis inſcriptione *iam ludimagiſter* (quo nomine tunc temporis appellari Scholarum Rectores ſolebant,) *Eimbiccenſis deſignatus* dicitur. Nimirum, quæ virtutem comitari plerumque ſolent, etiam *Novenianus* adiuncta ſibi Gottingæ invidorum hominum odia habuit; eaque de re queritur in Epiſtola ad *Io. Mechelmesbuſenium*, ſæpius a me excitata, his quidem verbis: *Superioribus diebus & magna curarum mole premebar, & nonnullorum hominum, neſcio quorum, invidentia & morſu exagitabar*. Illorum igitur hominum conſuetudinem pertæſus, videtur mature de transferendis in aliam urbem penatibus

cogi-

cogitaſſe, & oblatam ſibi, in urbe Eimbiccenſi bene de literis merendi, occaſionem utraque manu arripuiſſe. Nec mihi dubium videtur, quin illud *ludimagiſtri* munus, cui deſtinatus a *Nuſſorio* dicitur, adierit geſſeritque re ipſa, etſi nullo id mihi, niſi hoc uno, conſtet argumento, quod in illo *ad Andream Stoppium*, Eccleſiæ Eimbiccenſis Decanum, Epigrammate, cuius paulo ante a me factam mentionem meminiſti, piam gratamque erga hunc Decanum mentem teſtetur, id quod malim ego ad conciliatum ipſi a *Stoppio* ludimagiſtri munus, quam ad rem aliam quamcunque, mihi incognitam, referre. Ita enim Noſter:

Ergo tibi addicti pia mens & grata Philippi,
Docte Decane, ſiet.

Utcunque ea res ſe habeat, de eo dubitare nemini licet, ultra biennium haud præfuiſſe illi muneri in urbe Eimbiccana, ſi quidem præfuit, *Novenianum*. Id enim certo conſtat, anni iam 1518 ſub finem Lipſiam reverſum, eo conſilio, ut ſtabilem hic fortunæ ac ſtudiorum ſuorum ſedem quæreret. Nam, quæ *Elementali* eius *Hebraico* adiecta eſt *ad Lectorem, præcipue Lipſienſem, peroratio*, æc ſubnotata habet: *Lipſiæ, ex ædibus noſtris, Anno a Virgineo partu MDXVIIII, 17 Kalendas Ianuarias*. Nec ita multo poſt, anno nempe 1520, ab ordine Philoſophorum Lipſienſium, ut ex huius Annalibus cognovi, ſupremi

ei Doctoris Philoſophiæ, ſeu Magiſtri Artium, honores ſunt collati. Ab eo tempore elegantioribus ſtudiis præcipuam operam navavit, Græcas inprimis ac Hebraicas literas toto pectore complexus. Cuius ſui ſtudii ut ad iuventutem Academicam fructus non ſpernendi redirent, huic primum Græca, *Facultatis*, ut tunc vocabant, *artium* conſenſu, tum, *Io. Cellarii* hortatu, Hebraica, ſcholis privatis prælegit. Id nempe ipſe nos docet in *Præfatione ad Lectorem Hebraicarum literarum ſtudioſum*, *Elementali Hebraico* præmiſſa. Sed ad privata hæc induſtriæ ſuæ ſpecimina etiam publica adiunxit, editisque libris haud indoctis, ne ſua hæc linguæ utriusque peritia ignota eſſet poſteris, effecit. Et, ut de his, quæ primum edita, primo loco dicam, tantum profecit linguæ ſanctæ ſtudiis, ut inter primos eſſet, qui huius linguæ elementa ſcriptis traderent, *Reuchlini*, *Capitonis*, & *Cellarii*, præceptoris ſui, in his veſtigia ſecutus. Exiit hæc, brevior quidem, (ſeptem enim plagulis, formæ 4, abſolvitur,) at pro ætate illa ſatis inſtructa, Grammatica A. 1520 officina *diligentiſſimi ſtanniſcribarum*, *Valentini Schumanni*, ſic quidem inſcripta: *Elementale Hebraicum*, *in quo*, *præter cetera eius linguæ rudimenta*, *declinationes*, *& verborum coniugationes*, *habentur*, *omnibus Hebraicarum literarum ſtudioſis non* (hanc voculam tollendam eſſe, ſub finem libri a typographo notatur,) *tam utile*, *quam neceſſarium*, *Philippo Noveniano*, *Hasfurtino*, *Auctore*. Cuius operis ut

for-

formam habitumque ſcias, Lector, hæc notes: in ipſo eius limine duo ad Lectorem Epigrammata legi, ad id commendandum compoſita: alterum ἑξάστιχον *Io. Cellarii, Gnoſtopolitani, Hebraicarum Literarum Lipſiæ Profeſſoris:*

En meus ille tibi, Lector ſtudioſe, Philippus
Linguæ iam peperit pignora prima ſacræ.
Cuius in partu Pallas Lucinaque diva
Adſuit, & plenam contulit artis opem.
Illius ergo lege politiſſima ſcripta, nec unquam
Te ſtudii poterit pænituiſſe tui;

alterum *Chriſtophori Hegendorffini extemporaneum:*

Si cupis, Hebrææ diſcas primordia linguæ,
Dragma novum hoc manibus volve, revolve, tuis.
Dragma novum a noſtro eſt congeſtum, crede, Philippo,
Qui ſemper claris artibus uſque meret.
Nec quemquam novitas moveat, res ipſa tuenda eſt.
Namque vetus quondam, candide Lector, erit.
Eſſe novum quidnam dixi, cum fontibus ipſis
Hic veterum rivus prodeat uſque tener.
Illius ergo, precor, rivi ne ſperne fluenta,
Guſtato hoc, fontes tutus adire potes.

Tum

Tum epiſtola haud ineleganti ſacrum eſſe iubet hoc ſuum opus *Novenianus Venerabilibus & ampliſſimis Viris & Dominis, Mauritio, ex nobili Bibrachenſium ſanguine prognato, præclariſſimæ Herbipolenſis eccleſiæ Canonico, ac Dno Ægidio Mœrgio, Philoſophiæ & Artium Magiſtro graviſſimo, Senatus Lipſici a Secretis, &c. Dnis ſuis obſervandisſimis*, ſumma hic univerſæ *Bibrachenſis* gentis, maxime vero *Valentini*, *Guilielmi*, *Laurentii*, & *Mauritii*, in ſe ipſum, *Ægidii* vero *Mœrgii* in *Cellarium*, præceptorem ſuum, ac in literas pæne univerſas, benefacta non commemorans tantum, ſed iuſtis etiam laudibus extollens. In *Præfatione*, quæ iam ſequitur, *ad Lectorem Hebraicarum literarum ſtudioſum*, *Capitonis* partim, *Reuchlini*, & *Cellarii*, in linguam ſanctam merita, partim ſcribendi huius operis cauſæ, exponuntur, ſimulque univerſum Auctoris inſtitutum, linguamque illam omnium antiquiſſimam iuventuti tradendi ratio, ſummatim explicantur. De opere ipſo, in quo literarum Hebraicarum formæ non, ut nunc ſolent, fuſæ, ſed in lignum, idque, pro ætate illa, ſatis affabre, inciſæ ſunt, nemo facile a me iudicium expoſcat, qui, ſi harum literarum non plane expertem, tamen nec ita, ut iudicium facere de huius generis labore poſſim, peritum, me profiteor. Si quid intelligo, talis eſt liber, qualem vix exſpectare ab ætate illa liceat, etſi nec eum putem, in quo noſtri ſeculi Grammatici, quod deſiderent, nihil inveniant. Claudit librum Au-

ctoris

ctoris *ad Lectorem, præcipue Lipſienſem, peroratio*, qua & de ſuis lectorem deſtinatis literariis certiorem facit, & varios *Io. Cellarii* labores grammaticos commemorat, eiusdemque inimicis & obtrectatoribus dira & triſtiſſima quæque minatur. *Nebulones quidam*, ait, *perditiſſimi optimum virum inceſſere non deſinunt. Verum non ignoras, noctuas lucem & ſolem, ut intueri non poſſunt, ita ſemper odio habere. Illis, optime lector, ora vel ipſe, pro virtute & ingenio ſuo, vel ego, ſi hanc camerinam ſatis moverint, Dei benignitate ita pertundam, ut latrare dehinc deſinant.* Sub finem, *linguarum ſtudia, quibus ſolis perfecta omnibus numeris eruditio conſtet, Lipſiæ feliciſſime & Illuſtriſſimi Principis Georgii, Saxonum Ducis, ac totius Academiæ, atque etiam graviſſimi & ſanctiſſimi Senatus, beneficio & liberalitate, vel ἀμιϑεὶ tradi*, ex animo gaudet. Appendiculæ loco acceſſit huic libro, ſed quæ abeſſe etiam ab eo, nullo eius damno, poterat, *Noveniani Ode dicolos diſtrophos altero verſu heroico hexametro, altero Iambico dimetro, ad Georgium Salicetum, Lipſicum, diſcipulum ſuum, vixdum pueriles annos egreſſum, miræque indolis, & ſummæ ſpei, adoleſcentem, qua ei perſuadere nititur, ut nullius rei in toto terrarum orbe admiratione, vel deſiderio, capiatur, præterquam virtutis & bonarum artium, cumprimis Poetices.* Quo quidem carmine, ad veterum Poetarum rationem compoſito, tam ſalutaria præcepta continentur, ut vel eo nomine digniſſimum, quod ab omnibus rectæ indolis

adoleſcentibus legatur, ſit iudicandum. Hunc *Noveniani* librum ſecuturus quam proxime alius fuerat, iisdem Hebraicarum literarum ſtudiis dicatus, *Grammatica* nempe *Moſche Kimchi de verbo ad verbum quam diligentiſſime in Latinum converſa*, cuius ipſe in illa *ad Lectorem Peroratione*, *Elementali Hebraico* ſubiuncta, his quidem verbis, mentionem facit: *Etenim, præter cetera, Grammaticam Moſche Kimchi, ut ſic dicam, de verbo ad verbum (id quod te incipientem vehementer iuvabit) a me magna quidem cura, ſed, quam feliciter, alii cenſebunt, verſam, brevi tibi exhibebo.* Quæ num poſtea perfecerit deſtinata, ignorare me, fateor; nec longe ab eo abſum, ut, tale quid unquam prodiiſſe, negem, quod nemo eorum, qui de illo *Kimchi* libro mentionem faciunt, hanc *Noveniani* intecpretationem, omnes autem *Munſterianam*, memorent. Iam, ſi de his etiam, quæ in Græcis præſtitit *Novenianus*, requiras, Lector, eius ſtudii publicum exſtare velut monumentum voluit in nova *Græcarum Tabularum Rich. Croci* editione, ita ab eo adornata, ut multis modis præferenda priori eſſet. Prodiit id operis A. 1521, forma 4, ex officina *Valentini Schumanni*, ſic inſcriptum: *Rich. Croci Tabulæ, Græcas literas compendio diſcere cupientibus ſane quam utiles, cum Præfatione Philippi Noveniani.* Non mihi librum hunc videre ad hunc diem contigit; at, ſi ab eo, quod promiſit *Philippus*, argumentari ad id, quod præſtitit re ipſa, liceat, non mihi eſt dubitandum,

mul-

multum ab eo emendandis partim, partim etiam augendis, illis *Tabulis* induſtriæ adhibitum. Tale enim futurum opus, paulo ante, quam ederet, fidem fecerat lectoribus in illa, quam modo dixi, *ad Lectorem Peroratione*, unde hæc iuvat excerpere: *Et R. Croci, Britanni, & in Latinis & Græcis literis viri quam eruditiſſimi, ac præceptoris noſtri, Tabellas Græcas non vulgaribus argumentis & a me auctas, & emendatas, in lucem emittam. Io. Henrico Leichio*, Viro doctiſſimo, & magna omnia literis ſpondenti, vel maxime hic liber commendatur ab ornatu, quem ei attulit typographus, Græca & nitide, & cum accentibus, qui pæne exulaverant in hunc diem Lipſienſium typographorum officinis, excudendo: quo in genere vix meliorem *Schumanno* habuiſſe illo tempore artificem Germania, nec illo elegantiora dediſſe ipſe *Frobenius*, dicitur. Eſt hoc nempe illud ipſum elegantiæ typographicæ ſpecimen, cuius idem ſpem fecerat *Schumannus* ſub finem *Elementalis Hebraici*, ubi, poſtquam de eo, quod Græci accentus in *Elementali* illo fruſtra quærantur, veniam rogaverat lectorem, *Spondemus*, ait, *brevi nos edituros literarum, quibus Græca imprimi poſſint, ſpecimen quoddam, & poſthac omnia, quantum fieri poterit, tibi politiſſima daturos, emiſſurosque*. Præter linguarum ſtudia, eloquentiam inprimis, & Poeticen, amavit, *Nevenianus*, more illius ſeculi, quo tantum ſtudii, ut fere nimium videri poſſet, alumnus quisque Muſarum in

amoenioribus literis collocabat, nec doctus, niſi ille demum, habebatur, qui Orationibus & Carminibus ſcribendis vel maxime inclaruiſſet. Extant autem utriusque facultatis, quæ in eo haud vulgaris fuit, publica, nec ea contemnenda, ſpecimina. Et eloquentia quidem, ut ex omnibus eius ſcriptis intelligitur, ita præcipuam velut ſedem habet in libro, mihi quidem nondum viſo, at vel inſcriptione ſua, quam cognoſcere licet ex *Caroli Chriſtiani Hirſchii Librorum, ab anno I uſque ad annum L Seculi XVI typis exſcriptorum, Millenarii II pag. 18*, talia promittente, quæ, artis oratoriæ inprimis ſtudioſum fuiſſe *Novenianum*, luculenter oſtendant. Prodiit is A. 1520, forma 4., hoc quidem indice: *Declamatiuncula* Phil. Noveniani, *Hasfurtenſis, de literarum noſtri temporis conditione atque optimo diſcendi ordine & modo, Lipſiæ in magno eruditorum conſeſſu pronuntiata. Altera Declamatio & funebris in laudem Gregorii Coelii, Aubani, ab eodem omnibus modis adhuc adoleſcente, in frequentiſſima eruditorum corona, Lipſiæ habita. Carmen eiusdem adhortatorium ad Phoebeam iuventutem.* Cuius libri ſi mihi copia fuiſſet facta, fortaſſe de vita & in literas meritis *Noveniani* multa mihi hinc haurire licuiſſet, quorum nunc & ipſe careo notitia, & lectores mei deinde carebunt. Dedicatus eſt, ut *Hirſchius* notat, *Academiæ Lipſienſis Decano & Philoſophorum coronæ*; unde ſatis probabiliter colligo, alteram harum *Declama-*

tio-

mentum, quae de literarum illius temporis conditione agitur, cum *Carmine ad Phoebum inventorem*, publici speciminis loco recitatum a Mosellano esse eo tempore, quo eum laurea supremus ordo Philoſophorum donavit, id quod factum A. 1520., supra dixi. Ad Poeſin autem quum paratus ei ſemper Apollo fuerit, pluribus, iisque certioribus, cognitum documentis habeo. Praeter enim, quae *Lucubratiuncularum* libro continentur, quaeque *Elementali Hebraico*, & *Buſidii Lipſii* adiecta dixi, alia paſſim occurrunt ejus Carmina, quorum non eſt cur pudeat Auctorem. Talis eſt *Elegia* illa *ad Chriſtophorum Hegendorffinum*, amicum ſuum, quam in fronte legimus operis, anni & typographi indicio deſtituti, ſed ita inſcripti: *Encomium ſobrietatis, Auctore Chriſtophoro Hegendorffino, Lipſiae. 4.* Talis etiam eſt *Elegia*, exhibens *Somnium de Chriſtophoro Hegendorffino, juvene, ut ingenio aptiſſimo, ita linguarum ſtudioſiſſimo*, quae libro acceſſit, Lipſiae A. 1520. apud *Valentinum Schumannum*, forma 4., hac cum inſcriptione, edito: *Comoedia nova* Chriſtophori Hegendorffini, *ſalibus non omnino inſulſis aſperſiſſima, Lipſiae conviuio in doctiſſimorum virorum corona uſa*. *Epigramma ejusdem ad nobiles ingenii adoleſcentem, Georgium Salicetum*. *Epigramma Magiſtri* Noveniani, *juvenis trium linguarum ſtudioſiſſimi*. Idem *Hegendorfinus*, quod Moſellanum ſaepius in ſcriptis ſuis profeſ-

 ſus

ſus eſt, in coniunctiſſimorum numero amicorum habuit, hanc, quam modo dixi, *Novenianam Comœdiam* inſcripſit, eleganti eum epiſtola compellans, cui hæc præmiſſa: *Magiſtro Philippo Noveniano, iuveni, trium linguarum ſtudioſiſſimo*, & in qua vel hæc maxime Noſtro honorifica leguntur: *Tu, Philippe, vir doctiſſime, commode occurrebas, qui tua gravitate, tua eloquentia, impudentiam quorundam [illegible] coercueris. Id quod, quo in me es animo, procul dubio reddas. Expertus enim ſum, te mihi Patroclo alterum Achillem obtigiſſe. Æquum fuiſſet, maiora ſub tuo nomine edere, ſed curta noſtra ſupellex non ſinebat.* Scriptorum Noveniani, præter hæc, quæ indicavi, nihil mihi cognitum. Plus enim ille temporis in prælegendis Academicæ iuventuti bonis literis, quam ſcribendis libris, collocavit. Hos ſuos Academicos labores ipſe commemorat in *Epiſtola ad Georgium, Saxoniæ Ducem, [illegible]* præmiſſa, ita ſcribens: *Etiam perſuadeat ſibi ſublimitas tua, quamprimum conditio mea felicior tranquilliorque erit, me Deum benignitate [illegible] non omnino pœnitendis Academiam [illegible] dehoneſtaturum. Iam enim, quam eidem ſuperiorum Auctorum variis prælectionibus operam navem, malo ex aliis, quam me [illegible].* Videtur autem ab anno inde [illegible] aut proximis ſecutis, novum Novenianus, & ſtudiorum, & vitæ ſuæ, velut curſum ingreſſus, totumque ſe [illegible]

poſi-

poſtea penitus elegantiorum literarum ſtudio, ad artem ſalutarem, eamque ſive privatis ſcholis iuventuti praelegendam, ſive cura aegrotorum exercendam, convertiſſe. In Academiae noſtrae Annalibus notatum invenio, a Medicorum ordine *A.* 1525, die 18 Maii, primos ei Baccalaurei, tum eodem anno, die 22 Iulii, proximos Licentiati, tribus autem annis poſt, eiusdem nempe Seculi octavo & vigeſimo, die 11 Martii, ſupremos Doctoris, honores collatos. Iam ad vitam utiliter & cum laude tranſigendam rite praeparatus & inſtructus Noſter, relicta Lipſia, Halam commigravit; qua in urbe, Senatorio ordini adſcriptum, vixiſſe *A.* 1534, docemur a *Io. Chriſtophoro de Dreyhaupt*, illuſtri & doctiſſimo Viro, in opere egregio, nuper demum edito, & *Pagus Neletici & Nudzici* inſcripto, eiusque *Tom. I Part. ſpec. Sect. II Cap.* 28 *§.* 9 *pag.* 967, ubi, fuiſſe, refert, hunc *Novenianum* inter Senatores quinque, ſacris Pontificiis addictos, quorum opera uſus ſit *Albertus*, Purpuratus, Halae tunc dominus, ad perſuadendum veteris illius urbis Senatoribus, ne *Lutheri* nova tunc temporis doctrina abſtrahi ſe a ſacris maiorum ſuorum paterentur, nec aliam, his quidem inde a longa ſeculorum memoria ſervatam ſolemnem obeundi ſacra myſteria rationem inirent. Videtur autem praecipuam *Novenianus* in urbe illa temporis ſtudiique ſui partem in exercenda arte medica collocaſſe, & commune ae-

grotantibus perfugium ac præſidium ſalutis attribuiſſe. Cujus ſui ſtudii publicum quoque ac illuſtre exſtare monumentum juſſis in libro, Halenſi, ut ex præmiſſa ei epiſtola intelligitur, conſcripto, ſed quod ætate illa nondum officinas typographicas inſtruxerant Halenſes cives, Vitembergæ, opera *Joannis Lufftii*, formis exſcripto, A. 1558. quo, ſermone uſus vernaculo, in morbi diriſſimi, & illa circiter tempore plurimas Germaniæ provincias, maxime vero Saxoniam, pervaſtantis, Græcorum vocabulo *diarrhoeæ* vocari ſoliti, hiſtoriam & rationem explicavit, & ad hunc [illegible] expellendum idonea remedia præſcripſit. Prodiit is, ſeptem formæ quadrupliciter plagulis, ſic inſcriptus: *Von den böſen umbſchleichenden Bauchflüſſen und Durchlauff Urſprung, Urſachen, und Erkenntniß, und wie die zu curiren und zu vertreiben, aus Grund der Artzeney. Durch Doctorem* Philippum Michel Novenianum *verfertiget. Anno 1558, den 31 Aug. Zu Ehren der Wolgebornen und Edlen Frauen, Dorotheae, gebornen von Solmnitz, Gräffin und Frauen zu Mansfeld und Heldrungen. Wittenberg, gedruckt durch Hans Lufften, 1558.* Poſtremæ libri paginæ hæc ſubnotata ſunt: *Vollendet durch mich Philippum Michel Novenianum, Artium & Medicinæ Doctorem, Hallæ Saxonum, 4 Septembris, anno 1558.* / Dedicatus eſt liber, ut vel inſcriptio docet, *Dorotheæ*, illuſtri gente Comitum de Solms progenitæ, uxori

[illegible] in Comitatu Manſfeldici, [illegible] [illegible] [illegible] librorum, in primis Jacobi [illegible] [illegible], [illegible] Colonienſis, & Eliſabethæ (cui [illegible] [illegible], ac [illegible] dicitur, in [illegible] [illegible] [illegible]) quam in [illegible] [illegible] Georgio Ducis Saxoniæ, filiam [illegible], ob inſignem [illegible] peritiam [illegible] componendi medicamenta, & aquas [illegible] aliasque huiusmodi [illegible] potiones, quæ inter [illegible] ipſa [illegible] [illegible], Nerviorum [illegible] [illegible] & [illegible] dicitur, [illegible], ipſi debilia [illegible] laborantes. [illegible] illuſtriſſimæ Principis [illegible] quo[illegible] dignitatis virorum, [illegible] & [illegible] [illegible] ſcribendi huius operis laborem, ſalutarem quippe humano generi, [illegible] in [illegible] [illegible]. [illegible] autem [illegible] [illegible] obſcurum eſſe [illegible] [illegible] illius [illegible] ſuæ [illegible] [illegible] habuiſſe, videturque mihi [illegible] ab ipſo [illegible], illud præcipue [illegible] maxime illuſtre eſſe, quod A. 1534 [illegible] [illegible], Marchionis Brandenburgenſis Archiepiſcopi Magdeburgenſis, & [illegible] [illegible] [illegible], in [illegible] [illegible] habuiſſe, ſocium ſe dedit Blaſio [illegible] [illegible], Alberti Electoris Medico, principi [illegible] [illegible] amicum & dominum ſuum (ſeinem [illegible] guten Freund und Herrn), [illegible] curandis, qui tunc [illegible] graviſſimis laborantes [illegible] Kable, [illegible] Halenſium nunc [illegible]

 poſſ-

poſito; cuius ſcripta theologica coniunctim prodiiſſe Lipſiæ A. 1535, conſtat. Ultimum vitæ annum *Novenianus* Seculi XVI tertium & ſexageſimum habuit, ætate, ut vel ex iis, quæ de eo diximus, colligere licet, ſatis provecta. Teſtem eius rei habeo *Gothofredum Olearium* in *Haligraphia topo-chronologica*, Lipſiæ A. 1667 edita, *pag.* 277, quo in loco hoc etiam notatur, oſſa *Noveniani*, ob pertinaciam eius in defendenda ad ipſum uſque vitæ exitum Pontificia ſuperſtitione, ſine pompa ferali condita. Ipſa dabimus *Olearii* verba: *Im Iahr 1563 iſt D. Novenianus, ein Medicus, weil er als ein Papiſt verſtorben, ohne Prediger, Schüler, und Geläute, begraben worden.*

Ceterum ex his, quæ hactenus de *Noveniano* dicta ſunt, intelligitur, virum fuiſſe & doctum, & Academiæ, ſive Lipſienſis, ſive Halenſis, bono natum, dignumque adeo nunc etiam eſſe, cuius Manibus, quotquot iuſtum viro honorem habent, bene precentur. Iam, qui mihi, hæc commemorandi, occaſionem ſuppeditavit, librum de manibus deponerem, niſi, e re futurum Lectorum, iudicarem, ſi, quæ mihi in *Buſchiani* Carminis hac, quam pluribus deſcriptam dedi, editione lectiones, ab illis *Monckeniana*, omnium recentiſſimæ, editionis, valde diverſæ, meliores nempe integrioresque partem maximam, ſe obtulerint, eas hic velut in tabulam collectas, notatasque tam plene, quam accuratæ,

curate, deinde cum ... Inque conferenti ... editionem hæ obvenerunt varietates:

ED. MENCK.	ED. NOVEN.
IN EPISTOLA AD SENAT. ...	
Omnes fere potentes.	*G. ...*
Studio eorum æque favore.	*S. e. atque f.*
Qui vel ſingulorum laudes.	*Qui ſingulorum laudes.*
Canis deformatur, ab optimo quoque artifice ...	*C. d. rugis aratur, ... q. a. e.*
Rationibusque provideant conſulantque.	*R. provideatur conſulaturque.*
Sed etiam munera publica.	*S. e. ind. m. p.*
Gloriam, quæ fructus eſt.	*G. qui f. e.*
Si recte facta ſequi volueris.	*S. r. f. ſ. volueris.*
Qui fovendis bonis artibus.	*Q. in f. b. a.*
Sed ne gentium ſtudio conceditis.	*S. nec g. ſt. c.*
Quo meo labore.	*Quomodo m. l.*

Alio-

[illegible] *per ſe monſtre.* [illegible]

IN IPSO CARMINE.

V. 19. Adverſata la-bores.	*Averſata la-*
33. Nec qui Sulla- [illegible]	*Nec qui* [illegible]
39. Stipatura do-mus.	*St. domos.*
76. Mutua cænis.	*M. cœnis.*
[illegible] *Sex qui* [illegible] *Da-mœcis.*	*S. q.* [illegible]
156. Tegæaque ru-ra.	*Tegeaque r.*
181. Bargaphie.	*Gargaphie.*
323. Callæcid. [illegible]	*Gallecia.* [illegible]
346. Phydiæ.	*Phidiæ.*
355. Hic Nonadum.	*H. Nonadum.*
412. Venefrum.	*Venafrum.*
[illegible] *Peſſumque.*	*Reſumque.*
427. Myctileum.	*Nyctileum.*
In titulo *Adoepiriſti H. Emſeri* legitur *Emſero.*	[illegible]

VII.
BOHVSLAI BALBINI
AD
OTTONEM MENCKENIVM
EPISTOLA.

LECTORI
S. D.
P. O. MENCKENIVS.

Vel me tacente, intelligis, Lector, quicquid eſt huius Epiſtolæ meis notulis illuſtratæ, non ideo a me expromi, ut magni pretii munuſculum habeas, ſed ut vacuum, quod ſupereſt, ſpatium expleatur. Hoc igitur ut ſpero, ab æquitate tua impetrabo, ut, quæ levia videri poſſunt, cum velut appendiculæ loco melioribus adiuncta ſint, non penitus abiicienda putes.

OTTONI MENCKENIO
S. D.
BOHVLSAVS BALBINVS.

Arg. *Acta Eruditorum, & cum his Menckenium, laudat, ſua ei offerens paratiſſima officia. Libros aliquot novos mittit, addito de ſingulis iudicio.*

Omnia, quæ *Zittaviam* & per *Weiſium* noſtrum miſſa ſunt, Vir Clariſſime, & Amice

omnium cariſſime, ego & *Kapilius* (qui una mecum gratias agit, teque plurimum ſalvere cupit,) accepimus. Quod ad me attinet, mi *Menckeni*, efficere conabor, ut intelligas, me gratum eſſe voluiſſe, Deus profecto hanc vobis (bono ſtudiorum, & omnis doctrinæ,) mentem iniecit, ut veſtra ope tot Scriptorum nomina, qui plurimis ignoti iacerent, viverent, & nos velut in nuce tot pulcherrimorum ingeniorum partus legeremus expreſſos. Ego in me accipio, Vir Clariſſime, quicquid ad ſcientias pertinens in Bohemia, Moravia, ac Sileſia, lucem adſpexerit, e veſtigio per *Weiſium* (nam aliud iter neſcio) ad vos miſſurum. Vos, utrum dignum ſit, quod memoretur, videbitis. Ego præſcribere nihil auſim. Idem habere de Miſcellaneis meis; non repugnabo, ſi locum apud vos mereantur. Mihi in hoc opere magnum adhuc maris æquor arandum eſt, & quis ſcit, an adiecturi ſint hodiernæ tempora vitæ craſtina Di ſuperi? Iam quartus Miſcellaneorum Tomus propediem abſolvetur (a) in Typo de Sanctis & Beatis Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, ac Luſatiæ, quem, etſi tuo inſtituto forte non ſerviat, mittam tamen. Non ſum tam ſuperſtitioſus; Tomos potes lectionem omittere, modo ego amorem tibi meum approbem. Proxime per Nimſenſes, qui

(a) Factum hoc eodem anno 1682, quo & laudatum eſt hoc Volumen in *Actis Menſ. Dec. pag.* 400.

qui ſunt apud Zittaviani, mittebam tibi compa-ctum libellum, (quem hic Pragæ multi commen-dant) a *Knittelio*, Metaphyſices Profeſſore, conſcri-ptum, cui titulus: *Via Regia ad omnes ſcien-tias*, In via libellus hic, tibi miſſus, Niemſii, aut alibi locorum, a furva manu interceptus, periit, ut *Weiſius* ſignificat. Indolui. Ut damnum compenſem, mitto aliud exemplar, ſed incompa-ctum, quale ad manum fuit. Eſt integrum, licet ob correctionem mutilum videatur. Adieci pro ornando Muſeo tuo quædam Parerga philoſo-phica; plura tranſmittam, cum, tibi grata eſſe, ex *Weiſio* meo, vel potius ex te ipſo, intel-lexero. Iam vale, Vir Clariſſime, quem mihi ne-ſcio quæ concordia ſidera cœli adiunxerunt; im-penſe te æſtimo, clare eloquar, & diligo. Ite-rum vale. Pragæ, ex Collegio Clementino, 21 Aug. 1683.

(b) Ita inſcriptus eſt liber: *Caſpari Knittel, e Socie-tate Ieſu, Via regia ad omnes ſcientias & artes.* Pra-gæ, 1682, 8. Vid. *Acta eius Anni Menſ. Nov.* pag. 533. Agit & de eo *Iac. Frid. Reimannus* in In-troductione in Hiſt. liter. Germ. P. III Sect. I pag. 177. Id egit inprimis Auctor, ut artem Lullianam exponeret, et viam, ceteris omnibus faciliorem, qua ſcientiæ omnes addiſci poſſent, traderet.

INDEX DISSERTATIONVM,

QVÆ VOLVMINIS SEPTIMI MISCELLANEORVM PARTE TERTIA CONTINENTVR.

I. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Expoſitio Odæ Davidicæ XI. Pag. 375-397.

II. GOTTLOB FRID. GVDII, V. D. M. Laubæ Luſatorum, Tentamen, Pauli verba Ebr. VI, 1, 2, illuſtrandi. Pag. 397-408.

III. PETRI ZORNII Diſſ. poſthuma de Notariorum primæ eccleſiæ in conſignandis S. Martyrum Actis ſpectata fide, quod ad deitatem attinet, adverſus Auctorem Platoniſmi detecti. Pag. 409-421.

IV. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI Emendationum Minucii Felicis Ferculum tertium. Pag 421-478.

V. HENRICI AVGVSTI ZEIBICHII Obſervatio in locum Herodoti Lib. II Cap. 47, qua ritus, in profanarum gentium ſacrificiis receptus, breviter ſtrictimque explicatur. Pag. 479-513.

VI. FRID. OTT. MENCKENII Notitia Libri rarioris, quo Hermanni Buſchii Lipſica cum Scholiis Philippi Noveniani, continentur. Pag. 514-552.

VII. BOHVSLAI BALBINI ad OTTONEM MENCKENIVM Epiſtola, nunc primum edita. Pag. 553-555.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM

SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS SEPTIMI PARS QVARTA,

QVÆ EST VLTIMA.

CVM PRIVIL. REG. POL. ET ELECT. SAX.

LIPSIAE,

APVD B. LANCKISII HÆREDES,

MDCCL.

I.

IO. DIETERICI VVINCKLERI,

S. THEOL. DOCTORIS, ET ECCLESIARUM HILDESIENSIUM SUPERINTENDENTIS,

SPICILEGIUM

OBSERVATIONUM SUBSECIVARUM PHILOLOGICO-BIBLICARUM.

GENES. IV, 10.

Credebant Iudæi perinde, ac Græci, umbras eorum, qui enecti erant, perſequi interfectores ſuos, pœnasque ab illis expoſcere. Eodem ſenſu accipit hæc verba *Henricus Valeſius* ad *Euſebium Lib. III Cap. 6 pag. 46*, ſequentem in modum: *Frater tuus, quem inique occidiſti, poſtulat, ut ulciſcar ipſum, cædisque ſuæ a te pœnas petam.* Quando deinde ſequitur: *Vagus eris profugusque ſuper terram*, ita id *Valeſius* interpretatur: *Umbra fratris tui, a te occiſi, perſequetur te aderitque infeſta.*

GENES. X, 26, 29, 30.

Alter *Eberi* filius vocatur *Ioktan*. Ab hoc nomen pariter, ac ortum, accepiſſe antiquiſſimam Peruanorum urbem, *Iuktan*, nonnulli volunt. Per *montes* autem *Orientis* quidam *Peruvianos Andes*, circa *Cuſco* ſitos, omnium montium longiſſimos, indigitari cenſent. Quæ ſi firmo talo nititur ſententia, Americanarum gentium in propatulo eſſet origo. Conf. hac de re *Abrahamus Mylius de origine animalium & migratione populorum pag. 36 ſeq.*

EXOD. XXIII, 20.

Pro מלאך, *angelum*, hoc loco verſio Samaritana habet שלוח, *nuntium*, *legatum*, ſive *apoſtolum meum*. R. *Salomon Iarchi* hic ita commentatur: *Magiſtri noſtri dicunt, hunc angelum* מטטרון *eſſe.* Metatron vero aliquando exponitur *metator*, ſive *legatus Dei*. Conf. *Ioannes Coccejus* in *Excerpt. Gem. Sanhedr. Cap. 4 not. 8*, nec non *Thomas Mareſchallus* in *Obſervationibus ad Novum teſtamentum Gothicum pag. 412 ſeq.*

1 REG. IV, 33.

Salomon hoc loco inter alia ſapientiæ ſuæ documenta atque opera hiſtoriam plantarum a cedro ad hyſſopum usque & de animalibus compoſuiſſe dicitur. De quibus libris etſi Iudæi gloriari ſoleant, quod adhuc in Synagogis ipſorum reperiantur, ſplendida tamen id mendacia eſſe, dudum agnoverunt viri docti. Vid. *Ioachimus Camerarius*, filius, in *Catalogo Autorum*

de

de re ruſtica, qui Eclogis eius georgicis annexus legitur, pag. 125.

PSALM. LI, 6.

Patrum quædam in hæc Davidis verba dicta exhibet David Blondellus de Formulæ regnante Chriſto in veterum monumentis uſu pag. 188 ſeq. Ita præſentem locum accepiſſe Arnobium, Caſſiodorum, Haymonem, atque Lyram, ac ſi innuat Davidem, legibus poenariis ſolutum eſſe Principem, cum a Deo ſolo, cui ſoli peccet, nec ab homine, humanisque legibus corripi ac puniri ille queat, populus vero & Deo peccet, & regi, refert Iacobus Cuiacius Lib. XXVI Obſervationum & emendationum Cap. 35.

PSALM. CXLVII, 16.

כפור vulgo pruinam denotare, volunt interpretes, redduntque verba hæc: Pruinam ſicut cinerem ſpargit. At vero pruina ſpargi non ſolet, nec cooperari cum cinere poteſt. Intelligitur proinde grandinis potius ſpecies minuta, quæ in calidioribus regionibus tempore hiemis, vel in locis montoſis, magna copia de cœlo demittitur. Vid. Exod. XVI, 14. Reddi inde optime videtur: er ſtreuet den kleinen Hagel aus, wie Aſchen.

IES. XVI, 1.

Variant hic interpretes. Bochartus ita reddit: Mittite agnum (per enallagen pro: imperatum agnorum numerum) dominatori terræ, id eſt, regi Iudæ. Per dativum ergo, licet ל non adſit, Bochartus, per accuſativum Schindlerus, reddit, & de ariete intelligit. Luthero hic vocativus,

Valerio Flacco Lib. V v. 565 chorus eſt *ſtellarum multitudo.* Germanis dicitur *Schaar*, & de promiſcua adhibetur multitudine; de cuius voculæ origine vid. *Adelarius Erickius* in *Chronico Iuliacenſi Lib. I Cap.* 10. Uſurpatur a Germanis etiam vox *Chor.* Conf. *Caſpar Barthius Lib. XLVI Adverſariorum Cap.* 11.

IOANN. XII, 20.

Cum *Auguſtino* & *Theophylacto*, Græcos, hic commemoratos, veſpera illius diei, qua Hieroſolymas advenerat Servator, cum extemplo Bethaniam ſe conferret, adveniſſe, putat beatus *Ioannes Gerhardus pag.* 294. Ipſe vero cum vix ſibi conſtet, certoque, num in prima, vel ſecunda, vel tertia, die eorum adventum conſtituat, determinare nequeat, rectius forte alii, tertia ſanctæ ſeptimanæ die hos adveniſſe Græcos, ſentiunt, quippe qua ultima vice egreſſus templum Servator eſt, ſeque abſcondidit, iuxta comma *Capitis* huius 37. Vid. *Caſp. Herm. Sandhagenii Harmonia pag.* 120.

1 CORINTH. XVI, 22.

Cur *Lutherus* hic pro μαρὰν ἀθᾶ poſuerit *Maharam mota*, mirum nonnullis viſum fuit. Nec enim *Maharam*, ſed חרם, eſt *excommunicatio*, nec recte ſe conſtructio habet. Quid enim eſt *motha?* cuius formæ, vel conſtructionis? Nec varia adeſt in Græco textu lectio. Coniecerunt inde, quod ita forte in Codice quodam vir divus legerit. Sed nec inter variantes lectiones, uti monui, deprehendi locum iſtum, mirum pariter

morantur, quam ſequentes, & illi clamaſſe dicuntur: *Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hoſianna in altiſſimis*, ex mente *Michaelis Praetorii* in *Syntagmate muſico Part. I Membr. 2 Num. 15 pag. 54* prima vox: *Hoſianna in altiſſimis*, trinitatis & unitatis in Deo commendat arcanum; vox vero: *Hoſianna filio Davidis*, divinitatis & humanitatis in Chriſti perſona ſacramentum deſignat.

MATTH. XXIII, 35.

De Talmudicorum traditione, quod *Zachariae* occiſi ſanguis in templo, poſtquam in lapidis duritiem concreverit, fervore concepto ebullitverit, vid. *Henricus Kornmannus de Miraculis mortuorum Part. IV Cap. 173.*

LUC. XV, 25.

Chorus eſt multitudo canentium, ſaltantiumque, & ſolenniter gaudentium. Conſtat ergo multorum vocibus, ita, ut ex pluribus una quaſi reddatur, fiatque concentus ex diſſonis. Vid. *Polydorus Vergilius Lib. VI de rerum inventoribus Cap. 2*, & *Michael Praetorius* laudatus in *Syntagmate muſico Tom. I Cap. 1.* Transfertur autem vox haec etiam ad aliam promiſcuam multitudinem. Sic *Sidonius Apollinaris Lib. II Epiſtolarum Epiſt. 10 curvorum chorum helciariorum* memorat, uti & *Lib. VIII Epiſt. 9 chorum pantomimorum.* Similem in modum *Aurelius Clemens Prudentius* in libro *Cathemerinon IX, v. 109 parvulorum chori* mentionem facit, & *ſanctorum chororum* in *Hymnis περιστεφάνων Hymn. II v. 374.*

 Vale-

Sic pietate graves meritisque inſignibus ipſam
Ante diem vitæ claudere morte diem.

II.

PETRI ZORNII
DISSERTATIO POSTHUMA
DE
COENIS PURIS VETERUM EBRÆORUM.

I.

De tempore, quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus *noviſſimum* ſuum cum diſcipulis ſuis *Paſcha* celebraverit, fueritne id eodem cum Iudæis die, an diverſo, anceps eſt quæſtio inter viros eruditos, uti alio loco & tempore pluribus declaravimus. a) Qui contendunt, Chriſtum, ut Dominum legis, diem lege definitum ob idoneas rationes anticipaſſe, &, quamvis lex Moſaica *diem* XIV *menſis Niſan* Paſchati ſacraverit, Chriſtum tamen ſuum XIII die celebraſſe, inprimis id urgent tanquam palmarium argumentum, quod *Ioannis* XIX, 14, dies, quo cruci affixus eſt, vocatur *Paraſceve Paſcha*. Unde invicta, ut inquiunt, ratione id evincitur, Paſcha nondum veniſſe tum, cum Chriſtus cruci affixus eſt. Aliud enim *Paſcha*, aliud *Paraſceve Paſcha*, ut aliud feſtum, aliud vigilia feſti.

Re-

a) Videatur Diſſertatio noſtra *de Manipulo Primitiarum ex meſſe hordei, in eoque vel merendo, vel porriciendo, apud veteres Ebræos tum ritibus, tum myſteriis*, §. *IX* pag. 27.

Reſpondentem cum *Ioanne Pearſonio*; b) *Hermanno Witſio*, c) *Adriano Relando*, d) & *Samuele Bocharto*, e) hic *paraſceuen* idem eſſe, quod Ebræis ערב, vel ערובתא, qua voce non ſolum paraſceve vel Sabbati, vel alius feſti, vocatur, ſed & ſpeciatim *Veneris dies*, quia Sabbati ſolet Paraſceve. f) Hucinde in *Bereſchit Rabba* dies hebdoma-

b) In *expoſitione Symboli Apoſtolici pag.* 466.

c) In Diſſertatione *de die & hora ultimi Paſchatis Chriſti* §. *XVIII pag.* 433 *Meletematum Leidenſium.*

d) In *Antiquitatibus ſacris veterum Ebræorum deliueatis Parte IV Capite III* §. *XI pag.* 409.

e) *Parte I Hierozoici Libro II Capite L pag.* 567.

f) Urgent, diem crucifixionis Chriſti dici παρασκευὴν τῦ Πάσχα *Ioannis XIX*, 14, præparationem Paſchatis, ſive diem antecedentem Paſcha: ſed παρασκευὴ tantum reſpectu Sabbati dicitur; quapropter *Marcus XV*, 42, explicat vocem illam per προσάββατον, eaque appellatur παρασκευὴ Paſchatis, quod in diem primum feſti Paſchatis incideret, uti eadem παρασκευὴ τῶν Ἰȣδαίων *Ioannis XIX*, 42, dicitur, (quod Iudæorum traditiones huic diei ob incidens Sabbatum aliam formam darent, permittendo, ea coquere in hoc יום טוב, quæ ſequenti die, Sabbatho ſcilicet, erant comedenda, cum alias in יום טוב edenda illo die, non ſequenti, coquere liceret,) & παρασκευὴ, nulla voce addita, vel παρασκευὴ Sabbathi *Ioannis XIX*, 31, *Lucæ XXIII*, 54, *Matthæi XXVII*, 62. Quodſi notetur, vocem παρασκευὴ uſurpari veluti nomen proprium diei ſexti

madis ſic numerantur חדבשבתא prima hebdomadis, תרי ſecunda, תלתא tertia, ארבעתא quarta, חמשתא quinta, ערובתא veſpera, שבתא Sabbatum. Quod vocabulum ita obtinuit etiam inter Arabes, qui Sabbatum non obſervabant, ut Veneris dies vocata ſit paraſceve. Ita aſſerit *Giauhari*, g) & fuiſſe vocem hanc veteris Arabiſmi. Nam poſt *Mahumetem* dici cœpit *dies algiuma*, ſeu *congregationis*, quia illa die populus in Moſcheas convocatur. Itaque, cum Veneris dies paraſceve vocabatur tam ab Hebræis, quam ab Arabibus, quidni Paraſceve Paſchæ dicta fuerit illa dies Veneris, quæ fuit Paſcha, quomodo Dominica Paſchæ, vel Dominica Pentecoſtes, dicitur, quæ concurrit cum feſto Paſchæ,

ti, ſive Veneris, quemadmodum ערובתא in Talmude facile intelligitur, cur dicatur vel Πάσχα, cum in Paſcha incidat, vel τῶν Iudæorum. Audivimus adhuc *Adrianum Relandum*. Operæ pretium fuerit, ſubiungere verba *Ioannis Pearſonii: Ebraice* ערובתא, *Græce* παρασκευή, *unum eundemque diem deſignabant, Veneris puta, vel ſextum hebdomadæ, non tamen illum ſolum, ſed & veſperam cujuscunque Feſti magni Sabbato æqualis, ut adeo haberent* ערב השבת *&* ערב יום טוב, *ac quomodo legitur &* παρασκευὴ τοῦ σαββάτου & παρασκευὴ τοῦ πάσχα, *ac, cum magnæ feſtivitates in Sabbatum inciderent, veſpera utrique eadem erat, idem nempe dies Veneris, ac talis erat Paraſceve, in qua crucifixus eſt Salvator.*

g) Vide *Golium pag.* 1551, & *Giggeium Tomo III pag.* 282.

ſtæ, vel Pentecoſtes? Nam, cum alibi Paraſceve pro præparatione ſumitur, non refertur niſi ad Sabbatum. Sic *Marci XV*, *42*, ἐπεὶ ἦν παρασκευὴ, ὅ ἐστι προσάββατον, quia erat paraſceve, id eſt, ante Sabbatum. Et *Lucæ XXIII*, *54*: & dies erat *Paraſceve*, & Sabbatum illuceſcebat. Et in ipſo *Ioanne*, ubi ſupra *verſu 32*: ne manerent in cruce corpora Sabbato, erat enim Paraſceve. In quibus locis nota, *non dici Paraſceven Sabbati*, ſed ſimpliciter *Paraſceven*, quia ſacri Scriptores aliam Paraſceven, ſeu præparationem, non norunt, quam Sabbati. Sabbato nempe (vide *Exodi XXXV*, *3*,) nec ignem accendere, nec parare cibum, licuerit, neceſſaria fuit Paraſceve, id eſt, horas aliquot ante Sabbati veſperam inſumere in iis inſtruendis, & adornandis, quæ ad feſtum erant neceſſaria. Quo pertinent hæc legis *Exodi XV*, *5*: *Die ſexto præparent, quod intulerunt.* Et rurſus *verſu 23*: *Requies Sabbati erit eſt Domino: quod vobis pinſendum eſt, pinſite, &, quod coquendum, coquite*, &c. Ne ſcilicet harum rerum cura Sabbati quietem interturbet. At aliis feſtis præter Sabbatum lex non fuit ita præciſa: iis enim ſervilia opera ita prohibita fuere, ut tamen licuerit parare cibos. Quod de Paſchalibus feſtis diſerte legas *Exodi XII*, *16*, ubi de azymorum die primo & ultimo dicitur: nullum opus fiet in iis, at, quod unicuique comedendum eſt, illud ſolum parabitur vobis. Itaque de illorum παρασκευῇ nihil in lege præſcribitur: ſed dies, quo Chriſtus crucifixus eſt, cum alibi

alibi προσάββατον & παρασκευὴ dicatur; nempe Sabbati, a *Ioanne* appellatur παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, quia hoc habuit peculiare, quod in Paſchatis feſtum incidit, unde hoc illi proprium, quod a Paſcha denominatur, ut veris, vel autumni, æquinoctium vocamus, quod in ver, vel autumnum, incidit. Hactenus hæc; finimus verbis *Ioannis Petavii*; poſteaquam enim obſervaverat ex *Ioannis* XIX, 32, paraſceven Paſchæ, hoc eſt, magnam illam feſtivitatem Paſchalem, tunc incidiſſe in Sabbatum, hæc ſubdit: Cum igitur Sabbatum Judæorum conſtanter affixum ſuis ſeptimo hebdomadis diei, ſequitur, paraſceven, vel veſperam eiusdem, eſſe feriam ſextam hebdomadæ, quæ ab innumeris beneficiis, eo die per paſſionem Chriſti in nos collatis, *der gute Freytag* vocari ſolet.

II. Sunt, qui, *diverſas* de ultimo Chriſti Paſchate *ſententias componi* poſſe, exiſtiment, ſi ſtatuatur, Chriſtum *eodem* quidem *die* cum Judæis, at *non eodem diei tempore*, Paſcha comediſſe; Chriſtum die incipiente, Judæos die vergente ad finem. Hujus ſe mentis eſſe, præter *Joannem Hoornbekium*, h) teſtatur *Ferrandus*. i) At vero in eo fallitur *Ferrandus*, quod, Paraſce-

h) In Diſſertatione *de Cœna Vet. Sectione II* §. *II* hanc ſuam ſententiam profitetur, & ſe id aliis, Deo dante, prolixius probaturum eſſe, pollicetur; an & ubi id præſtiterit, iuxta cum *Hermanno Witſio* ignoramus.

i) In libro Gallico, quem inſignivit titulo *Animadverſionum in Religionem Chriſtianam Tomo I Sect. VI.*

fuève, ſi Paſchatis ipſius Paſchatis diei priorem partem eſſe, exiſtimet. Semper enim Paraſceve feſti alicujus ad eum refertur diem, qui feſtum antecedit, ſive integer dies, ſive pars aliqua diei, iſthoc nomine appelletur. Voci Græcæ Paraſceves reſpondet Ebræa ערב, *veſpera*, quæ quando ad Sabbatum refertur, integrum ſæpe *Veneris diem* notat, k) ſin ſtrictius ſumatur, ut partem diei ſignificet, ſemper pro parte ultima præcedentis diei venit: quod & locus, *Ferrando* ex *Ioſepho* laudatus, evidentiſſime docet. Quid multis opus verbis? Audiamus hic, necesse est, *Ioſephum Scaligerum*: l) quod enim παρασκευὴ a nona hora iniret, idque tantum proprie diceretur παρασκευὴ, non autem tota dies Veneris, præter ea, quæ diximus, extat locus illuſtris in edicto *Auguſti* Cæſaris apud *Joſephum*, m) in quo inter cetera

k) In *Bereſchit Rabba Cap. XI*, ubi dies Hebdomadis ex Ebræorum mente enumerantur, dies Veneris, ſive ſexta, ערבותא appellatur. Eadem mente dixit, *Marcus XV*, 24: παρασκευὴ, ὅ ἐςι προσάββατον, & *Lucas Capite XXIII*, 54: ἡμέρα ἦν παρασκευὴ, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε.

l) *De Emendatione temporum Libro VII pag.* 270.

m) *Antiquitatum Libro VI Capite X.* Vide de hoc inſigni *Ioſephi* teſtimonio *Ioannem Pearſonium* in *Expoſitione Symboli Apoſtolici pag.* 466, *Ioſephum Scaligerum*, & *Ferrandum*, locis citatis, *Laurentium Ramireſium de Prado* in *Pentecontarcho Capite XXXVIII pag.* 228. In præſenti ſufficiet repetere verba *Scaligeri*: *Totum intervallum*

הערבים

tera privilegia, Judæis ab *Auguſto* cõnceſſa, hoc præterea adiicitur: ἐγγύας τε μὴ ὁμολογεῖν αὐτοὺς ἐν τοῖς σάββασιν, ἢ τῇ πρὸ ταύτης παρασκευῇ ἀπὸ ὥρας ἐνάτης. Ecce tempus proprie competens παρασκευῇ ἀπὸ ὥρας ἐνάτης. Alioqui καταχρηστικῶς, vel ἰδιωτικῶς, tota etiam dies Veneris dicitur παρασκευὴ ſaltem ab hora ſexta, ut apud *Joannem XIX, 14*: ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, καὶ ὥρα ὡσεὶ ἕκτη. Itaque ea dicitur παρασκευὴ, antequam venerit.

III. Hæc autem παρασκευὴ Ebræorum reſpondebat *Cœnæ puræ gentilium.* Gloſſarium vetus: Cœna pura, προσάββατον. Gloſſarium Latino-Arabicum: *Paraſceve Cœna pura, id eſt, præparatio, quæ fit proſabbato.* Unde *Patrum* nonnulli per hanc vocem interpretati ſunt veſperas Sabbatorum. *Tertullianus adverſus Marcionem Libro V Capite IV*: Dies obſervatis & menſes,

הערבים *vocatur proprie a Scholaſticis* ערוב, *hoc eſt,* ἑσπερισμὸς *utique in* προσαββάτοις καὶ προεορτίοις, *feria ſexta & diebus ſolemnia proxime antecedentibus. Ebraici & Græci nominis ratio eſt, quod eo tempore coquebantur & apparabantur edulia, quæ poſt ſolem occaſum neque coqui, neque parari, fas eſſet, utpote cum* ineunte hora prima *incipiat Sabbathum, quod tempus ipſi* באת השבת *vocant, hoc eſt,* παρείσοδον σαββάτου, *circa* horam duodecimam *deſinentem. Quare in eo intervallo* παρασκευῆς, ſive ἑσπερισμοῦ, *coquebantur cibaria illius diei, & meridiei ſequentis,* &c.

ſeo, & tempora, & annos, & Sabbata; ne opinor, & *cœnas puras*, & jejunia, & dies magnos. *Auguſtinus* Tractatu 76 in *Ioannem*: Accelerari vult intelligi ſepulturam, ne advesperaſceret, quando jam paraſceven, quam *Cœnam puram* Judæi Latine apud nos uſitatius vocant, facere tale quid non licebat. Ac veteres Interpretes Patrum Græcorum *Cœnam puram* Latine dixerunt pro Græca παρασκευή. Et interpres *Chryſoſtomi* Sermone in Natalem *Ioannis* Baptiſtæ: Qua enim die conceptus eſt Dominus, eadem die & paſſus eſt; eadem ipſa dies *Cœna pura* fuit, & luna quarta decima occurrit. Ita quoque vetus Interpres. *Irenæi Libro V Cap. 23*: Paraſceve, quæ dicitur cœna pura, id eſt, ſexta feria, quam & Dominus oſtendit paſſus in ea. Denique *Auguſtinus* Tractatu 117 in *Ioannem*: Paraſceve Latine præparatio eſt, ſed iſto verbo Græco libentius utuntur Iudæi in hujuſmodi obſervationibus, etiam qui magis Latine, quam Græce, loquuntur: ut adeo idem Pater teſtetur, Iudæos, ſua ætate Latine loquentes, aliquando uſos voce Paraſceve, aliquando Cœna pura, ad ſignificandas veſperas ſuas feriaſve præcedaneas. Alias propria ſua lingua diem eum vocant ערוב, vel ערובתא, quo ipſo communiter intelligebant ſextam hebdomadis feriam, diem præcedentem Sabbatum. Hactenus hæc de *Paraſceve*, ſive *Cœna pura Ebræorum*; conferantur *Joſephus Scaliger* ſemel n) iterumque, o) *Joannes Pearſonius*, p)

n) In notis in *Feſtum*.
o) *De emendatione temporum Libro VI pag.* 270.

p) *Laurentius Ramireſius de Prado*, q) & *Thomas Goodwinus*. r) Atque, hæc cum ita ſe habeant, fallitur utique *Joannes Cloppenburgius*, s) quando *Tertulliani* verba, paulo ſuperius in medium allata, fruſtra emendare conatur. Dicemus obiter, cenſere nos, inquit, dierum & *cœnarum Purim* meminiſſe *Tertullianum adverſus Marcionem Libro V Capite IV*, cum *Cœnas puras* commemorat: neutiquam tamen exſtimamus, id velle *Tertullianum*, quod nos diximus, fuiſſe in diebus *Mardochæi* inſtitutas *Cœnas puras*, ſeu *mera convivia*, ſed cenſemus, ex *mendo*, quod in *Græcis Bibliis* eſt in libro *Eſtheris IX*, 26, 28, ubi vox Græca Φρουραὶ legitur pro Ebræa פורים, vel amanuenſibus, vel ipſi Scriptori Afro, natum eſſe novum mendum, ut obrepſerit *Cœnas Puras* pro *Cœnas Purim*.

IV. Diximus, παρασκευὴν Ebræorum ex mente Patrum reſpondiſſe *Cœnæ puræ gentilium*. Affirmat id ipſum, præter *Joannem Pearſonium*, t) *Thomas Goodwinus*, cujus verba additis obſer-

p) In *Expoſitione Symboli Apoſtolici pag.* 466.
q) In *Pentecontarchi* loco citato.
r) In *Moſe & Aarone Libro* III *Capite* III §. V *pag.* 515.
s) In *Schola Sacrificiorum pag.* 48 *ſeq.*
t) *Ut cœna pura*, inquit, *inter gentiles erat illud tempus, quo ſe ſolennitatibus & feſtis ſuis præparabant; ita Iudæi eadem voce utebantur ad ſanctificationem ſuam ſignificandam, quemadmodum & Græce παρασκευὴ ad innuendam præparationem rerum omnium,*

ſervationibus noſtris reperire liceat. Patres antiqui iſtam præparationem appellant cœnam puram. Modus loquendi tractus eſt a *gentilibus*, qui religione ſua tenebantur in ſacrificiis, quæ ſacrabant diis deabusque ſuis, *ſollicita* ſe *ſanctimonia* præparare. Quo præparationis tempore fruebantur quadam *cœna*, quæ tum *delectu ciborum*, quos gentiles aliis ſanctiores cenſuerant, tum *ſacris ritibus* & *cerimoniis* in ea uſurpatorum, inſignis fuit: ſicut ipſi ſe, durante hac præparatione, dicerent *eſſe in caſto* t) & ſuam præparationem *cœnam puram*. In ritibus ergo paganorum cœna pura appellatur cœna, illis apponi ſolita, qui in caſto erant, quod Græci dicunt

nium, quarum uſus eſſet diebus feſtis, ſuctum die præcedente.

t) Apud *Nonium Varro Libro I. rerum humanarum*: Noſtro ritu ſunt facienda civibus, quam Græco caſtu. Ubi *ritus* & *caſtus* ſunt ϲυνώνυμα. Idem *Varro*: *Et religiones & caſtus id poſſunt, ut ex periculo eripiant nos.* Sic dicebant *in caſto eſſe* pro ἁγνεύειν, ut apud *Feſtum*: *Minuuntur populo luctus, cum in caſto Cereris conſtitit.* Ubi *in caſto Cereris eſſe* ſignificat ἁγνεύειν Δήμητρι, *Cereri operari*. *Caſtum* porro appellabant *abſtinentiam* a certo ciborum genere. Sic *Tertullianus de Ieiun. Cap. II, & S. Hieronymus Libro II contra Iovin.* vocem *Caſtus* interpretantur, uti videre licet apud *Ioannem Lomeierum* in *Epimenide, ſive Syntagmate de Veterum Gentilium luſtrationibus Capite XXXII pag.* 393.

cunt ἁγνεύειν, vel προαγνεύειν. u) Hactenus [illegible]. Quamvis autem hæc vocabula, cœna pura, προσάββατον aliquando pro eodem ſumantur, in re tamen ingens diſcrimen fuit. Nam in ritibus Paganorum cœna pura appellatur cœna, illis apponi ſolita, qui in caſto erant, ſive caſtimonia

u) *Ælianus Variæ Hiſtoriæ Libro II Capite XXXI* ἁγνεύειν ὁσίως & θύειν καθαρῶς coniungit *Dionyſius Halicarnaſſenſis Libro II*, *Numam*, ait, legibus conſtituiſſe ἁγνείας τε καὶ θρησκείας καὶ καθαρμούς. Illæ autem ἁγνεῖαι *variis & religioſis* peragebantur *ritibus*: unde apud *Ælianum* dicto loco dicitur ἁγνεύειν ὁσίως, hoc eſt, rite, ex præſcripto religionum. Sic paſſim ὅσιον, quod fas eſt. *Ælianus Variæ Hiſtoriæ Lib. XII Capite LXIV*, τὰ ὅσια εἰς τὸν νεκρὸν eſt ultimum debitæ pietatis officium in mortuum. *Lucianus* de morte Peregrini ἔνθα μηδὲ θάπτειν ὅσιον τοὺς ἄλλους, nefas eſt ſcilicet per religiones. Illæ autem ἁγνεῖαι variis & religioſis peragebantur ritibus, maxime tamen conſiſtebant illæ ἁγνεῖαι in *abſtinentia a venere*. Videantur Auctores de ἁγνείαις veterum Paganorum, quos laudavimus in Commentario noſtro *in Juliani Imperatoris ad Arſacium, Galatiæ Pontificem Epiſtolam pag. 80 ſeq.* Reliquum nunc eſt, ut ſubiungamus verba *Samuelis Bocharti in Epiſtola ad Tapinum pag. 896 Tomi II Operum*: חסיד Hebræorum, חסי *Hoſi* Syrorum, inde per aphæreſin τοῦ ח Græce ὅσιος, ſanctus. A חג, *hag*, feſtum, ἅγιον, niſi ſit ab הגה, meditari, orare, unde מהגים, *meditatores*, *magi*. *Caſtus* a voce Ebraica קשט, veritas.

pia ſe ad ſacra præparabant, quod Græci dicunt *ἁγνεύειν* & *προαγνεύειν*. Erant autem pro diverſitate ſacrorum ritus diverſi, & multiplex ciborum obſervatio. Sic enim *Arrianus* in *Epictetum*, eum, qui ſuſcepturus erat myſteria, acceſſiſſe *προηγνευκότα*, id eſt, poſtquam obſervaſſet leges caſtimoniæ, proprias illis myſteriis, quibus initiari volebat; pars autem illius caſtimoniæ, ſive, ut veteres loquebantur, *caſtus*, erat poſita *in ciborum delectu:* in *Ebræorum* vero ritibus nihil ejusmodi fuit. Habuerunt ſane etiam apud hos paraſcevæ magnarum feſtivitatum ſuas obſervationes, ſed, delectum aliquem fuiſſe ciborum præter Legem Moſaicam, quæ omnes ex æquo adſtringebat, neque ex Scriptura, neque ex Ebræorum ſcriptis, diſcimus; ſed nec *jejunia* populi Judaici mutationes ciborum erant, verum omnimoda abſtinentia a cibo & potu. Imo nec illud quidem probatu facile, Judæos in ſuis Paraſcevis jejunaſſe; contrarium potius conſtat. x) Ceterum non negamus *Ebræis* ſuas fuiſſe *ἁγνείας*. Pertinent huc utique verba illa *Actorum Apoſtolicorum* XXI, 23 *ſeq.* ἁγνίσθητι σὺν αὐτοῖς. Verbum *ἁγνίζεσθαι* de iis proprie uſurpatur, qui vel propter crimen aliquod commiſſum expiantur, vel iis rebus, quibus immundities contrahitur, polluti luſtrantur. y) Neutro vero ſenſu *Paulus* dici poteſt *ἁγνι-*

x) Conferatur *Iſaacus Caſaubonus Exercitatione XVI ad Annales Eccleſiaſticos Baronii* § XIV.

y) *Pagani*, iram Deorum, ſperabant, averti poſſe

θεῖς. Nam neque criminis expiatione digni, vel leviſſima in eum cadere poterat ſuſpicio, neque in ſtatu verſatus fuerat immunditiei, quæ alioquin in tam longo, eoque navali, itinere ex cadaveris, aut alius rei immundæ, contactu accidere ei facile potuiſſet. Sed, non accidiſſe, ex eo liquet, quod poſtero ſtatim die *templum* ingreſſus eſt, & *atrium* quidem huius *interius*, ubi Sacerdotes degebant, cum quibus transfigendum

quibusdan *victimis*: his dicebatur *placari* numen, reus ipſe, aut homo, aut populus, *purgari*, ſive antiquo verbo *februari*, peccatum ipſum piari, atque luſtrari. Quare eadem ſacrificia dicebantur ἱλαςικὰ, ἁγνιςικὰ, καθαρτικὰ, Latine *placamina*, *februa*, *piamina*. Vox ἱλάσκεσθαι, placare, ad victimas ab *Homero* aliisque ſæpiſſime aptatur. Ἁγνίζειν τὴν πόλιν καθαρμοῖς, *purificare civitatem expiationibus*, eſt apud *Plutarchum* in Romulo. Hoc ἁγνίζειν *purificare*, ἁγίζειν *ſanctificare*, quoque & ἁγιάζειν dicitur. Purgare porro & purificare ex Græco ἁγνίζειν translatum inde ſumitur, quod reatus immunditia quædam videtur. Purificandi vox eſt apud *Suetonium* & *Plinium*. Purgare moenia luſtro dixit *Lucanus*, ſed receptius eſt luſtrare. Sic exercitum ſuovetaurilibus luſtrare eſt apud *Livium*. *Ovidius* per expurgare expoſuit *Lib. XIII Metamorph.*:

ego luſtror ab illis,
Expurgante nefas novies mihi carmine dicto.

Servius apud *Virgilium*: *Luſtramurque Iovi*, *III Æneid.* exponit: *purgamur*, *piamur*. Hactenus *Hugo Grotius* in *Defenſione Fidei Catholicæ de Satisfactione Christi Capite IX* §. *XIV pag.* 124.

dum erat id, de quo tunc agebatur, negotium. Hinc enim pollutos omnes arcebat religio. Itaque longe aliud quid, quam criminis cuiusdam expiationem, aut luſtrationem, ab immunditie, a *Paulo* flagitaſſe oportet Apoſtolorum ſynedrium. Nec occurrit quidquam aptius iudicio *Theodori Bezæ*, z) *Ioannis Michaelis Dilherri*, aa) & *Ioannis Gothofredi Lakemacheri*, bb) quam id, quod interpretes V. T. Græci, quorum loquendi rationes paſſim ſequuntur exprimuntque Novi Inſtrumenti Scriptores, quod, inquam, illi ἀφαγνίσασθαι, ἁγνείαν vocant & ἁγνίζεσθαι, *Numerorum VI*, 2, 3. Uſurparunt autem illi, id quod contra *Iacobum Perizonium* cc) obſervandum erat,

 ver-

z) Eius hujus verba: Ἁγνίσθητι *Eraſmus* reddit purifica te, *Caſtellio* luſtrare. Uterque male: nam purificatione egebant impuri. Hic vero non agitur de impuris, ſed de iis, qui *Nazaræatus voto* erant obſtricti, & ſanctiſſimi habebantur. Itaque τὸ ἁγνίζεσθαι non accipitur pro καθαρίζεσθαι, ut illi putarunt, ſed contra pro חור, *chur*, & ἁγνισμὸς pro נזר, *nezer*, ut apparet ex Græca interpretatione *Capitis VI Numerorum*, & *Amoſi II*, 11, 12, quod peculiariter de iis uſurpatur, qui ſeſe ex voto ad tempus, quod ipſi ſponte ſibi præſcribebant, a communi uſu vivendi ſeparabant, propterea Naziræi dicti.

aa) *Tomo I Diſſertationum Academicarum pag.* 305.

bb) *Obſervationum Philologicarum Parte VI, Obſervatione V, de Paulo Naziræo facto, ſumtusque in Naziræos alios faciente*, §. *II*, *pag.* 368.

cc) In notis ad *Æliani Variam Hiſtoriam Lib. II Capite*

verbum de ea *abſtinentia*, quæ, *vi voti* ſuſcepti, *homini* ſervanda erat *Naziræo*: cui neque vinum, neque ſiceram, neque quidquam ad hoc pertinens, guſtare, dd) neque comam radere, neque ad cadaver cognati, etiam proximi, fas erat accedere. Etenim verba: Si quis vir, aut mulier, Naziræatus voto ſe ſecrevit, ita ut abſtinentiam ſibi imperet in honorem Dei, a vino & ſicera abſtineto, reddiderunt: ἀνὴρ ἢ γυνὴ, ὃς ἂν μεγάλως εὔξηται εὐχὴν ΑΦΑΓΝΙΣΑΣΘΑΙ ΑΓΝΕΙΑΝ κυρίῳ, ἀπὸ οἴνου καὶ σικέρας ΑΓΝΙΣΘΗΣΕΤΑΙ. Atque hic ille ἁγιασμὸς, inquit *Lakemacherus*, quem *Paulo* commendant Apoſtoli: nempe, *ut Naziraatus voto ipſe quoque ſe obſtringat*, cupiunt, atque ita manifeſtum faciat omnibus, quam ſtudioſus ſit *Legis Moſaicæ cultor*, qui non ea tantum officia, quæ Iſraelitæ cuivis lex diſerte iniunxiſſet, ſed illa quoque, præſtet, quæ cuiusvis permiſſa eſſent arbitrio, & de animo ſuſcipientis religioſiori ſatis teſtarentur. *Ac tale ſane Naziræatus erat votum, ad quod lege expreſſa adſtringebatur nemo, cum eſſet voluntatis liberæ.* Ita quidem *Lakemacherus*. Pauli Naziræi ἁγιασμὸν nobis ante oculos

pite XXXI pag. 128 vocem ἁγνίσθητι generatim intelligit de omni ſolenni & religioſa præparatione ad rem divinam.

dd) Abſtinebant vino, aceto, & omni potu inebriante, nec uvas recentes, nec paſſas, nec corticem uvarum, comedebant. Confer *Joannem Lightfootum* in *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Lucæ I, 15.*

[illegible]perit: at vero, iudicio *Ioannis Henrici Hottingeri*, ee) vox ἁγνίζεσθαι nihil ultra indicat, quam Apoſtolum cum quatuor viris, qui votum habebant, *ſanctificatum fuiſſe atque ſumtus feciſſe*, ἐπιξυρήσωνται τὴν κεφαλήν, & intraſſe templum ad pertractandum τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγιασμοῦ, ἕως οὗ προσηνέχθη ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν ἡ προσφορά. *Nihil hic de voto Naziræatus Paulini*: circumſtantiæ longe aliud ſuadent. Quæ ergo Apoſtoli perſona? eius, qui iuxta ſtatuta Ebræorum *vovere poterat ſolutionem ſumtuum* vel totalem, vel partialem, in tonſura Naziræi præſtandorum. *Talis quidem ſanctificabatur, non tamen Naziræus erat*. Hoc autem facile e vetuſtioribus atque recentioribus Ebræorum monumentis patet, ff) Hac explicatione admiſſa

 omnia

ee) In Notis ad *Thomam Goodwinum pag.* 196.

ff) *Miſchna tractatu* נזיר *C. II*, 5, (ſi quis dixerit) הריני נזיר ecce ergo Naziræus atque (inſuper) ועלי לגלח נזיר) ſuſcipio, ἵνα ξυρήσηται τὴν κεφαλὴν Ναζωραῖος, ut comam radat Naziræus. Ubi *Gloſſa Bartenoriana*: Suſcipit in ſe Naziræatum: præterea *ſuſcipit oblationem ſacrificiorum pro alio aliquo Naziræo*. Ita Paragrapho mox ſequente: *Ecce promitto raſuram dimidii Naſiræi*, hoc eſt, dimidiam ſumtuum partem in tonſura expendam. Ita inferius *Cap. IV*, 7, conſtitutio alia vult filium tonderi poſſe pro Naziræatu patris ſui על נזירות אביו. Hinc ſua *Maimonides* in tractatu נזירות *Cap. VIII* deſumſit, quæ ad illuſtrationem verborum *Lucæ* a *Samuele Petito Variarum Lectionum*

omnia ſe recte habent. *Paulus, ſumtus vel omnes, vel quosdam, pro tonſura aliorum ſolvens, ſimul ſanctificabatur:* eius erat noſſe *tempus*, quo Naziraeatus quatuor illorum ad finem perducitur. Hac ratione, ſe non omnem cultus Levitici curam abieciſſe, probabat, quod fratres ad evitandam malam ſuſpicionem ſuadebant.

III.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII DE PARABOLANIS VETERIS ECCLESIÆ CHRISTIANÆ, QUORUM IN CODICE THEODOSII ET IUSTINIANI CONTRACTA INIICITUR MENTIO, COMMENTATIO. *)

TRACTATIONIS SUMMA.

§. I. Definitio traditur de parabolanis, & quaeſtiones adiicuntur. II. Originatio appellationis eruitur ex verbis παραβάλλειν *&* παρα-

num *Capite ultimo* ſcite ſatis repetuntur atque applicantur; uti videre licet apud *Hermannum Witſium* in: *Praelectionibus de Vita & rebus geſtis S. Pauli Sectione X* §. *III* p. 149.

*) Edita fuit ab Auctore haec Commentatio iam in modum Programmatis A. 1748. Brunſuici, 4. At ea nunc prodit multo auctior, limatior, & uberius expolita.

[illegible]. III. Nec non e voce παράβολος *confirmatur. IV. De loco Phil. II, 30, diſſeritur. V. Adduntur teſtimonia, quibus fit de parabolanis mentio. VI. Illuſtratur ſenſus illarum Conſtitutionum Theodoſii ex Hiſtoria eccleſiaſtica eius ætatis. VII. Officium parabolanorum exponitur. VIII. Ipſi fuerunt Clerici, non Medici, nec Alexianis ſimiles, ob aliquot argumenta. IX. Subiicitur Ill. Ritteri & Cl. Ioannis Chriſtiani Wernsdorfii ſententia, eaque præfertur.*

I.

Ii, qui olim munus, ægris curandis, crebroque, præcipue contagioſis, conveniendis accommodatum, adminiſtrabant, ac nomine cœtus Chriſtiani obibant, appellari conſueverant *Parabolani*. In quæſtionem varia hic veniunt. Quæri enim poteſt, undenam id nominis propullulaverit. Quæri poteſt, qualis illorum fuerit origo; quænam muniorum partes; quænam iura; quænam duratio; quænam indoles; quousque illi in cœtibus Chriſtianis viguerint; an in ſola orientali eccleſia; an præterea in occidentali. Id omne quæri & inveſtigari dignum eſt, ne quid argumento, eiusque tractationi, videatur deeſſe. Delibare in præſens libet tantum potiora.

II. De originatione, de initiis & ſtirpe appellationis, præmittenda ſunt pauca, ante-

quam arcem cauſæ invadamus, & nos ipſius introſpiciamus momenta. *Parabolani* ſic dicti fuerunt ex Græco verbo παραβάλλεσθαι, cui inhæret is etiam ſignificatus, quo denotamus hominum virtutem, vel audaciam, qui *vitam morti, confidentes atque impavidi, exponunt*, ac vitæ delicias præter aliorum mentem & opinionem proiiciunt. Proprie dicuntur ii rem rei παραβάλλειν, qui *rem unam alteri reddunt propinquam*, vel ſitu, vel cogitationis & orationis conatu. Ita *Marcus* & *Quintus*, *Cicerones* fratres, prope ſeſe invicem lecticas ſuas ferri a) iubebant, φορεῖα παραβάλλοντες ἀλλήλοις, ut ſecretiores animi angores & conſiliorum difficultatem mutuo communicare poſſent. In verbo medio παραβάλλεσθαι eſt poteſtas audendi, *ſeſe permittendi, ſeſe tradendi & exponendi.* Eos, qui ſeſe plurimum Lacedæmoniis, fortunæ, ac ſpei multiplici, expoſuerant, *Thucydides* b) dixit παραβεβλημένους Λακεδαιμονίοις, τύχῃ καὶ ἐλπίσι. Qui igitur ſeſe eventui cuicunque, morti, periculis, difficultatibus, prompte & intrepide offerunt, a Græcis dicuntur παραβάλλεσθαι, puta τύχῃ, θανάτῳ, κινδύνοις. *Lyſimachus* inducitur a *Ioſepho* c) originibus Iudæorum obtrectaſſe conatus. Ver-

a) *Plutarchus* in Vita Ciceronis *pag.* 228, ed. Helmſt.

b) *Hiſt. V*, 113, *pag.* 177 ſeq. edit. *Duckeri* 1731, fol. Amſtel.

c) *Contra Apionem Lib. I*, §. 34, *pag.* 466, *Tom. II* *Havercamp.* ed.

Verbis *Lyſimachi* referens, *Moſen* Iudæis conſilium ſuppeditaſſe, ut ipſi intrepidi unum tramitem inſiſterent. Μωυσῆς ἵνα συμβουλεύσειεν αὐτοῖς, παραβαλλομένους μίαν ὁδὸν ἰέναι. Idem *Ioſephus* de *Herode* Magno hunc in modum diſſerit d): Ηρώδης παραβαλλόμενος, ὡς ἂν τίσαιτο τοὺς αἰτίους τοῦ φόνου, ταχέως τῶν καθ' ἑαυτὸν ἐκράτει, *Herodes, intrepide ſe periculo obiiciens, quaſi necis auctores ulciſci vellet, ſibi oppoſitos celeriter ſuperabat.* Idem *Ioſephus* de ſemet ipſo, tanquam de perſona tertia, memoriæ e) prodidit: πιστεύων τῷ κηδεμόνι θεῷ τὴν σωτηρίαν παραβάλλεται, *ipſe ſalutem ſuam providenti Deo committit, ac periculum adit.* *Heſychii* ſunt hæc: παραβαλλόμενος, ὁ παρακινδυνεύων, ὅ ἐςι παραβόλως μαχόμενος, *ſe in periculum coniiciens, periculum adiens, quod facit is, qui inſolito impetu pugnat.* *Iulii Pollucis* adiungemus præterea teſtimonium de verbi eiusdem poteſtate. *Pollux* f) attingit amantes periculorum, ac intrepide periculis obluctantes, vel ſeſe proiicientes, hunc in modum: Θρασὺς, τολμηρὸς, παντολμος, παρακινδυνευτικὸς, ἐθελοκίνδυνος - - ἀπονενοημένος, παραβεβλημένος, *confidens, audax, per omnia audax, periculis familiaris, periculorum appetens ſubeundorum, - - parum providus, ad pericula ſubeunda proiectus.* Et nonnullis interiectis: θρασύνεσθαι, τολμᾶν, παραβάλλεσθαι, *confidenti eſſe animo, audacem eſſe,*

d) *De Bello Iud.* I, 17, §. 6, *pag.* 86, *T.* II.
e) *De Bello Iud.* III, 18, §. 7, *pag.* 248.
f) *Onomaſt.* III, 28, *pag.* 164, ed. Francof. 1608, 4.

ſe, periculis ſe immergens, ſe diſcrimini dederit, ſibi parum providere. *Maximus Tyrius* g) eum παραβαλλόμενον ἐν θαλάττῃ dixit, *qui in mari ſe periculis obiectat*, ac conditionem ſuam periclitatur. *Suidas* conciſe: Παραβάλλεσθαι, πρὸς κίνδυνον ῥίπτειν ἑαυτὸν, *ſe exponere* (eventui cuique), *eſt ſe in periculum proiicere.* Et hinc παραβολὴ proprie denotat *proiectionem ſui in periculo.* Nam apud *Heſychium* ἐκ παραβολῆς idem eſt ac ἐκ παρακινδυνεύματος, *ex periculo confidenter inito ac præſentiſſimo.* Sunt, qui huc illud *Ebr. XI, 19*, ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο, trahunt. Hoſce tamen refellit B. *Ioannes Chriſtophorus Wolfius* in *Curis*, atque, an ſerio ſatis, ignoro, Cel. *Romanus Tellerus* h). Mortis certe, *Iſaaco* unigenæ intentatæ, & mortis, quam Ieſus, unigena Patris ſupremi, ſubiit, ratio fuit invicem ſat ſimilis, & collatione mutua ſic inſignis, ut vix quidquam poſſit eſſe ſimilius.

III. Ex ea originatione illi, qui vitæ ſuæ erant prodigi, ac cum beſtiis pugnabant, ſeu *beſtiarii*, vocabantur παράβολοι. Cum aliquando *Theodoſius II*, Imperator Græcus, Conſtantinopoli in amphitheatro venationis ſpectaculum præberet, populus vociferari cœpit, δεινῷ θηρίῳ ἕνα τῶν εὐφυῶν παραβόλων μάχεσθαι, *cum fera beſtia unum excelſioris animi e beſtiariis pugnare oportet.* Quibus ille hunc in modum reſpondit: *Ignoratis ſa-*

g) *Diſſ. II pag.* 23 edit. *Heinſ.*
h) In *Decade Diſſ. ſacrarum Diſſ. VIII* §. 4 *pag.* 131.

ſane, non cum humanitate & clementia ſpectaculis intereſſe ſolitos. Hæc memoriæ prodidit i) *Socrates.* De hoc vocis παράβολος ſignificatu plura expoſuerunt *Scaliger* in *Notis ad Manilii Librum IV*, & poſt illum *Salmaſius* ad *Capitolinum pag. 258.* Ex *parabolis* his appellationem traxerunt *parabolarii* & *parabolani*, in Romana civitate plerumque ſat male audientes ob eam, quæ voci credebatur inhærere, indolem audaciæ, modum excedentis. Inde Medici, contagioſos adire, & eis adeſſe, ſoliti, dicti fuerunt k) *parabolani. Parabolon* eſſe idem ac *periculoſum*, meminit *Plinius* l). Primos Chriſtianos, mortis quippe propter Chriſti doctrinam & diſciplinam contemtores, Romani, ab ea averſi, vocarunt *parabolos*, *parabolarios*, & *parabolanos* m), immo *deſperatos* n) & *biothanatos* o), quemadmodum ſignificavit *Ioſephus Binghamus* p), qui tamen in eo ſe fefellit, quod *beſtiarios* & *confectores* Romanorum eosdem fuiſſe, exiſtimavit. *Henricus* enim *Valeſius* ad locum *Socratis* laudatum iam docuit,

i) *Hiſt. eccl. VII*, 22, *pag.* 369, edit. Cantabrig. 1720, fol. *Nicephorus Calliſtus* XIV, 3, *pag.* 442.
k) L. C. *Rhodiginus Ant. Lect*, XXIX, 11.
l) *Epiſt.* IX, 27, 4. Conf. Cel. *Geſneri Theſaurus Lat. T. III pag.* 684.
m) *Acta Paſſionis SS. Martyrum Abdonis & Sennes.*
n) *Lactantius Inſt. div. V*, 9.
o) *Baronius Annal. eccleſ. A.* 138 *n.* 5.
p) *Orig. eccleſ. I, 2, §. 9, Vol. I, pag.* 24, edit. *Griſchov.*

docuit, confectores fuiſſe dictos; qui beſtias eminus conficiebant; beſtiarios vero, qui cum eis congrediebantur proximo pugnandi genere. Confer *Henricum Valeſium* ad *Euſebii Hiſtoriam ecleſiaſticam IV*, 15, *pag.* 170. Vetus Gloſſarium: *Deſperatus*, παράβολος. Item, παράβολον, παράδοξον. *Ioſephus* eos, qui difficultatibus caſibusque, aleæ incertæ plenis, animos corpusque opponunt, ac ſeſe ad pericula ſuſtinenda obdurarunt, iterum iterumque appellavit *parabolos*, παραβόλους. Fidem fecero dictis, ſimul ac hiſtoriographi Iudaici loca in medium protulero nonnulla. Ipſe de Arabibus hæc q) reliquit literis conſignata: *Multitudine ſuperiores erant Iudæis, verum alacritate impares*, καίτοι διὰ τὴν ἀπόγνωσιν τῆς νίκης ἦσαν καὶ αὐτοὶ παράβολοι, *quamvis hi, eo quod victoriam deſperabant, eſſent ipſi ad ultima experienda obſtinati.* *Ioſephus* idem vatis Endoreæ prædictionem, *Saulo* impertitam, vocat r) μαντείαν παράβολον, *vaticinium, cum mortis periculo coniunctum.* Ipſa enim, cuius artem olim damnaverat & proſcripſerat Rex *Saulus*, diſcrimen vaticinando adire videbatur præſentiſſimum. Periculoſiſſimum illud fortitudinis documentum, quo *David* ſexcentos Philiſtæos neci deſtinaverat ad *Sauli* nutum, appellavit idem s) ἔργον παράβολον καὶ ἄπιστον, *opus ſummæ confidentiæ*

q) *De Bello Iud. I*, 19, §. 5, *pag.* 102, *T. II*, ed. *Havercamp.*
r) *Ant. Iud. VI*, 14, §. 3, *pag.* 355, *T. I.*
s) *Ant. Iud. VI*, 10, §. 2, *pag.* 337.

dentia maximique periculi, & fidem excedens. Idem commemorat, Doritas iuvenes quoſdam, qui audaciam ſanctitati antetulerant, & ita a natura erant facti, ut eſſent adverſus pericula pervicaces, & confidentia ad caſus quoſcunque obfirmati, παραβόλως θρασεῖς t), ſtatuam *Caeſaris* in ſynagoga poſuiſſe. *Antipatrum* vocat idem u) παραβολώτατον ἀγωνιστὴν, *pleniſſimum animi impavidi in periculis adeundis bellatorem.* Non eſt, quod plura cumulemus teſtimonia, e Græcis ſcriptoribus decerpta. Verendum enim eſt, ne ſoli lucem addituri videamur. *Accurſius* x) itaque nugatus eſt, contendens, Medicos olim per contemtum dictos fuiſſe *parabolanos*, eo quod ipſi ſint loquaces, dicaculi, atque multis parabolis fabulisque exponendis ac ſerendis apti. Ignoravit vir bonus genuinam vocis Græcæ poteſtatem. Haud accuratius rem acu tetigit, in tenebris micans, *Alciatus*, vocem illam ex παρὰ & βῶλος eſſe deductam, glebæque adſcriptos deſignare, exiſtimans. Deliramenta hæc procul eſſe iuſſit *Iacobus Gothofredus* y).

IV. Sunt, qui ſibi perſuadent, *Paulum Phil. II, 30*, ad parabolos, qui cum beſtiis periculiſque ſummis pugnabant, reſpexiſſe, ac cum hiſce

t) *Ant. Iud.* XIX, 6, §. 3, *pag.* 946, *T. I.*
u) *De Bello Iud.* I, 19, §. 5, *pag.* 74, *T. II.*
x) *Ad Iuſtiniani Codicem Lib.* I, *tit.* 3, *leg.* 17.
y) *In Commentario ad Codicis Theodoſiani Lib.* XVI, *tit.* 2, *l.* 42, *pag.* 92, *T. VI, P. I,* Lipſ. 1743. f. ed. *Ritteri.*

hiſce in contentionem adduxiſſe *Epaphroditum.* In *Scaligeranis pag. 297 ſeq.* edit. 1695, hæc leguntur: *Parabolani au Code Theodoſien & Iuſtinien, qui ſe hazardent, où il y a du danger, à viſiter les peſtiferez. Vide Manilium Scalig. où il y a un paſſage de S. Paul expoſé. Boulanger s'en eſt bien ſervi & d'autres ſans me nommer. Vide Ioſephi Scaligeri epiſtolam ad Caſaubonum in Opuſculis Ioſephi Scaligeri. On ne ſcavoit ce que c'eſtoit du mot Grec, que je reſtituerai le premier en ſaint Paul.* Qui ſic ſentiunt, in loco illo *Paulino* non legendum putant παραβαλευσάμενος, ſed potius verbum illi ſubſtituunt παραβολευσάμενος. In his nomina ſua profeſſi ſunt *Iacobus Gothofredus* in eo, quem laudavimus, loco, atque laudibus noſtris ſuperior, Vir Illuſtris, *Ioannes Daniel* z) *Ritterus.* Hic rationes ſuas ita putavit: „Et ſane videtur Apoſtolus in loco ad *Phil. II v.* „*ult.* τὸ παραβάλλεσθαι, *in periculum ſe conjice-* „*re,* reſpexiſſe, quamvis in vulgatis editionibus „legatur παραβαλευσάμενος, non παραβολευσά- „μενος, τῇ ψυχῇ. Nam vox παραβαλευσάμενος „nuſpiam occurrit, niſi apud *Heſychium,* (& ex „eo apud *Phavorinum,* & alios Lexicographos,) „qui eam ex novo fœdere excerpſit, ſcripſitque „in ſine dubio παραβολευσάμενος, cum collocata „reperiatur vox inter παραβολὴ & παραβόλιον, „ubi non patitur libri ordo collocari παραβαλευ- „σάμενος, quamvis ita præferant edita exempla- „ria. *Grotius* itaque, & alii viri doctiſſimi, qui

„in

z) In *Præfat. ad T. VI P. I Codicis Theodoſiani.*

„in illuſtrando Novo Fœdere ſumma cum dili„gentia verſati ſunt, videbuntur nonnullis rectiſ„ſime in loco *Pauli* allegato reſtituiſſe παραβο„λευσάμενος.„ *Gothofedus* urget id præterea, quod vetuſtus quidam Novi Foederis interpres Latinus, iſque *Puteanorum* fratrum, ac optimæ notæ, habeat *parabolatus eſt de anima ſua*, ubi apud *Paulum* vulgo legimus παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ. Adde, quod proxime præcedit diciturque de *Epaphrodito* illud, a parabolariis haud alienum, ἤγγισε μέχρι θανάτου, *tantum non mortuus fuit, appropinquavit pene morti, adiit mortem quam proxime*. *Heſychius* traditur ex hoc loco hauſiſſe verbum παραβολευσάμενος, ac hoc ipſum expoſuiſſe per εἰς θάνατον ἐκδούς, *morti ſeſemet exponens.* Græci alias utuntur a) hac loquendi formula, κινδύνοις προβάλλειν ἑαυτόν. Verbum παραβολευσάμενος legitur *Phil. II, 30*, in manuſcriptis nonnullis Codicibus Græcis, præcipue Alexandrino, & Claromontano, ſeu Germanenſi a Pratis. Congruunt illis ac conſonant interpretationes quædam, Latina vulgata & Æthiopica, cum Ambroſiaſtro, & quodam Scholiaſte, ſi fides b) *Ioanni* eſt *Millio*. Syrus interpres habet כסר על נפשה, *minimi fecit ſeſe, nauſeavit vitam ſuam, proiecit expoſuitque vitam ſuam.* At tandem omnia redeunt ad antiquam lectionem variantem. Ex hac locupletator *Heſychii* [illegible] Chri-

a) *Chryſoſtomus Homil. III in 2 ad Timoth.*

b) Ad N. T. Græcum pag. 459 ed. *Lud. Küſteri.*

Chriſtianus verbum in Lexicon illius Græcum tranſtulit. Senſus manet ſemper apud *Paulum* idem, utram delegeris lectionem. Lectionem Græcam, quæ vulgo in editis præſto eſt, tuentur *F. C. Wolfius* c), *Io. Conr. Schwarzius* d), *Iacobus Elsnerus* e), alii, licet ipſi uſum verbi παραβολεύεσθαι ex exteris Græcis exhibere haud valuerint. At poteſt, inquis, verbum παραβολεύεσθαι apud exteros legi, oſtendi. Nemo tamen huc uſque oſtendit. Habent hic Græce eruditi clivum, in quo ſudare, & diligentiam ſuam exercere, poſſint. Plura MSta lectioni favent vulgatæ. Favet ei analogia. Favet ei efficax verbi f) notio. Attamen nihilo ſecius partes *Gothofredi* & eorum, qui cum ipſo facere non erubeſcunt, amplectuntur nonnulli, quoniam *Diodorus Siculus Lib. III pag.* 169 clare habet, ἔκριναν παραβαλέσθαι ταῖς ψυχαῖς, *vitæ diſcrimen adire decreverunt*. Certum eſt, ad parabolanos reſpici *Ebr. XII,* 4, *Apoc. XII,* 11, 2 *Cor. I,* 8. An vero *Scaligeri* & *Gothofredi* ſententia ſit in *Phil. II,* 30, ſequenda, alia eſt quæſtio. Nam complura MSta et plures verſiones non congruunt ad verbum παραβολεύεσθαι, & huius verbi notio iam expreſſa fuit per periculi ad mortem uſque ſuſcepti mentionem, *Paulus* ejs vocabulis uſus eſt,

c) In *Curis philologicis & criticis* ad Phil. II, 30, pag. 241 ſeq. Hamb. 1734, 4.

d) In *Commentariis criticis & philologicis linguæ Græcæ N. F. p.* 1028 Lipſ. 1736, 4.

e) In *Obſ. ſacr. in libros N. T. pag.* 248.

f) *A. Blackwall* in *Claſſicis ſacris* P. II *pag.* 285 *ſeq.*

eſt, quæ maxime inter Græcos, eosque variæ conditionis, erant trita, ut ipſe ab infima plebe etiam intelligeretur. Quam ob rationem verbum παραβολεύεσθαι non eſt faſtidiendum, licet id in nullo ſcriptore alio Græco legatur. Exſtant in N. T. aliæ ſimilis commatis voces, quas non reiicimus, licet eæ alibi haud ſint obviæ. Retinendum itaque videtur eſſe verbum παραβολεύεσθαι, licet id alibi haud legatur. Locus *Diodori* nobis non repugnat, cauſæ nihil afferens momenti.

V. Ut natura & indoles *Parabolanorum* curatius perſpiciatur, veterum pronunciata, quibus de ipſis inlicitur mentio, ſunt expendenda. Suppetunt illa pronunciata ex eccleſia Græca Seculi a nato Ieſu quinti, ex eccleſia Epheſia atque ex eccleſia Alexandrina Ægypti. Primum teſtimonium eſt ex *actione* Concilii Chalcedonenſis decerpendum. Secundum & tertium, tempore omnino prius, in legibus ac Codice *Theodoſii* iunioris, qui rerum Orientis potitus fuit, legitur, idque in Codice *Iuſtiniani* repetitum apparet. Primum Græce ſcriptum eſt teſtimonium, ac propterea ceteris duobus præmittendum. Licet enim Codex *Theodoſianus* Græco olim ſermone conſcriptus fuerit; Græca tamen maximam partem interciderunt. Contentos nos eſſe oportet collectione Latine ſcripta, quam iuſſu *Alarici*, Viſigothorum Regis, *Anianus* vir ſpectabilis, ex *Theodoſii* Codice atque iuris ſententiis diverſisque legibus adornavit, ac *Alaricus* A. 506 ſub titulo

Codicis Alariciani g) promulgari iuſſit. Ordiendum nobis eſt ab extremo. *Baſilius*, Seleucienſis, qui damnationi in *Flavianum* expromtæ ſubſcripſerat, cum ad recantationem adigeretur, cauſam ſuam ita tuebatur, ut, ab armatis ſeſe una cum *Barſuma*, eiuſque Monachis, & *parabolanis* ad ſubſcriptionem compulſum eſſe, contenderet, perhibens, rem ſic fuiſſe geſtam: ἐπεἰσῆλθον εἰς τὴν ἐκκλησίαν στρατιῶται μετὰ ὅπλων, καὶ εἰσῄεσαν οἱ μονάζοντες μετὰ Βαρσουμᾶ, καὶ Παραβολανεῖς καὶ πλῆθος ἄλλο πολὺ h), *introrſus currebant in templum milites cum armis, inſtabant monachi cum Barſuma, & Parabolani, & multitudo alia multa*. *Binius* in ſua Conciliorum editione ad hunc locum *parabolanos* expoſuit per *eos, qui circa balnea verſantur.* Græci enim balnea vocant βαλανέας. Et plerumque in Actis Concilii Chalcedonenſis legitur vox παραβαλανεῖς loco παραβολανεῖς. Progrediendum nunc eſt ad duas *Theodoſii* Iunioris Conſtitutiones, quarum prior anno 416, poſterior anno 418, publicata fuit, quemadmodum ex ſubiectis Conſulum

g) *Iacobus Gothofredus* in *Prolegomenis ad Codicem Theodoſianum c.* 5, *Antonius Schultingius* in *Præf. ad Iuriſprud. Anti-Iuſtinianeam*, *I. G. Heineccius* in *Hiſtoria Iuris civilis Romani ac Germanici L. I, c.* 5, §. 381, *pag.* 493, *L. II, c.* 4, §. 15, *pag.* 18 ſeq. ed. *Ritteri*, Lugd. Batav. 1748, 8.

h) *Act. I Conc. Chalced. pag.* 213 *ſeq. T. II Concil.* ed. *Harduini.*

ſuum nominibus eſt in propatulo. Prior i) ſic habet: *Impp. Honorius & Theodoſius A. A. Monaxio* k) Pf. P. *Quia inter cetera Alexandrinæ legationis* kk) *inutilia hoc etiam decretis ſcriptum eſt, ut reverendiſſimus Epiſcopus de Alexandrina civitate aliquos non exire* l), (*quod quidem terrore eorum, qui* PARABOLANI *nuncupantur, legationi inſertum eſt,*) *placet noſtræ clementiæ, ut nihil commune Clerici cum publicis actibus, vel ad curiam pertinentibus, habeant. Præterea eos, qui* PARABOLANI *vocantur, non plus quam quingentos eſſe præcipimus, ita ut, non* m) *divites, & qui hunc locum redimant, a corporatis* n) *pro rata Alexandrini populi præbeantur, eorum nominibus viro ſpectabili* PF. *Auguſtali videlicet intimatis, & per eum ad Veſtram Magnitudinem re-*

i) *Cod. Theodoſ. L.* XVI, *tit.* 2, *l.* 42, *pag.* 91, *Tom. VI, P. I,* ed. *Ritteri* Lipſ. 1743, fol.

k) Eius meminit Auctor *Chronici Alexandrini A.* 409 *pag.* 716 edit. *Raderi,* ac plura exhibet *Gothofredus* in *Proſopographia Codicis Theodoſiani pag.* 68 *ſeq. T. VI, P. II, Ritteri.* In *Cod. Iuſtinianeo* male legitur *Maximus.*

kk) De hac legatione fit mentio *Lib. XI Cod. Theod. lege XVI de Leg. & decr.* Hæc lex æque data fuit A. 416, 5 Oct.

l) Lege *aliquo non exiret.*

m) Opulentis & divitibus haud licuit tunc eſſe Clericis, *l.* 6 *de Epiſcopis* C. *Theod.*

n) *Corporati* dicuntur, qui erant cum populo ſodales corporis curialium, vel his ſubiecti, vel cum his in ſenatu iudicia facientes. Conf. *Gothofredum* ad *l. unic. de Alexandr. pleb. primatibus.*

ſerentes: quibus neque ad publicum quodlibet ſpectaculum, neque ad curiæ locum, neque ad iudicium, accedendi licentiam permittimus, niſi forte ſinguli ob cauſas proprias & neceſſitates iudicem adierint, aliquem lite pulſantes, vel ab alio ipſi pulſati; vel in communi totius corporis cauſa Syndico ordinato, ſub ea definitione, ut, ſi quis eorum hæc violaverit, & brevibus o) *Parabolani eximatur, & competenti ſupplicio ſubiugetur* p), *nec unquam eandem ſollicitudinem revertatur. Loco autem mortuorum viro ſpectabili* P F. *Auguſtali* q) *ſubrogandi dedimus poteſtatem ſub ea conditione, quæ ſuperius deſignatur. Dat. III Kal. Octobr. Conſtantinopoli. Theod.* A. VII *& Palladio* COSS. Legitur eadem lex in *Codice Iuſtiniani L. I, tit. 3, l. 17*, at capite truncata. Conſtitutio iſthæc ad *Monaxium*, præfectum prætorio,

o) *Brevia*, vel *Breves*, ſunt tabellæ, ſeu matriculæ, quibus nomina ſodalium ſimiliſque ſortis inſcripta ſunt, vel inſcribuntur. *Breve parabolani* eſt index, cui nomina parabolanorum inſcribebantur.

p) Epiſcopis obnoxii erant Clerici reliqui & diſciplinæ eccleſiaſticæ & orthodoxiæ munerisque ſacri reſpectu. Hi apud illos ob rationem hanc triplicem accuſandi erant, *l. 39 de Epiſcopis* C. *Theod. l.* 23 ibi, *l.* 1 *de religione, l. 3 de Epiſcop. iud. Valentiniani Novella* 12 *de Epiſc. Iud.* De criminibus & cauſis pecuniariis Clericorum cognitio & decretum ſpectavit ad tribunal Imperatoris provinciale, *l.* 57 *de appellationibus, l.* 9. *de his, qui ad eccleſiam, l.* 33 *de Epiſcopis,* C. *Theod.*

q) Præſes Imperatorius Ægypti vocatus fuit *præfectus auguſtalis*, ſeu *Auguſtalis* ſimpliciter.

rio, æque ac poſterior, fuit miſſa. Poſterior priori in momentis aliquot nonnihil derogat, & ita fuit informata: *Parabolani, qui ad curanda debilium ægra corpora deputantur, quingentos eſſe, ante præcepimus. Sed, quia, hos minus ſufficere, in præſenti cognovimus, pro quingentis ſexcentos conſtitui præcipimus: ita ut pro arbitrio viri reverendiſſimi antiſtitis Alexandrinæ urbis de his, qui ante fuerant, & qui pro conſuetudine curandi gerunt experientiam, ſexcenti Parabolani ad huiuſmodi ſollicitudinem eligantur, exceptis videlicet Honoratis* r) *& Curialibus* s): *ita ut hi ſexcenti viri reverendiſſimi Sacerdotis præceptis ac diſpoſitionibus obſecundent, & ſub eius cura conſiſtant: reliquis, quæ dudum* t) *latæ legis forma complectitur ſuper hiſdem Parabolanis, vel de ſpectaculis* u), *vel de iudiciis* x), *ceteriſque, ſicut iam*

r) Qui dignitatibus civilibus, vel militaribus, perfuncti erant quibuscunque, dicebantur *Honorati, l. unic. de honorat. vet. L. XIV, tit. 12, Cod. Theod.* Confer *Novellam Theodoſii* 48, *pag.* 101 *ſeq. Tom. VI, P II.*

s) His munus erat publicum in ſenatu ac curia, quod inde vocari conſueverat *curiale.* Potiſſimi eorum vocati *Decemprimi.* Clericis haud licuit eſſe ſimul curialibus. *Theodoretus IV*, 8, *Conſtantini lex* 3, *Conſtantii ad A.* 354 *lex* II *tit.* 2 *L. XVI, Valentis ad A.* 370 *lex* 19 *l. c. Valentiniani ad A.* 371 *lex* 21 *l. c. Tit. de Epiſc. Cler. Cod. Theodoſ.*

t) Priori conſtitutione ante menſes 17

u) Clericis haud intereſſe licuit ſpectaculis publicis; at nec Parabolanis ob hanc legem.

x) Habere iam licuit Clericis inde ex A. 407 advo-

ſtatutum eſt, cuſtodiendis. Dat. III. Non. Febr. Conſtantinop. Honorio XII & Theodoſio VIII A. A. COSS. „Collegit poſthæc Auctor Græcus e lege civili conſtitutiones eccleſiaſticas, atque hanc *Theodoſii* Iunioris legem, in compendium redactam, ſic y) exhibuit: Παραβολανοὶ γίνονται κατὰ δοκιμασίαν τοῦ Ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας, μὴ ὄντες ἀξιωματικοὶ καὶ βουλευταί, ὀφείλοντες ἐπιμελεῖσθαι τῶν λελωβημένων καὶ ταῖς κελεύσεσι τοῦ Πάπα πειθαρχεῖν, *Parabolani ex Epiſcopi Alexandrini arbitrio & exploratione fiunt, qui non ſunt Honorati & Senatores: debent ipſi curam gerere confectorum morbis ac illius Papæ* z) *juſſis obſequi.* Conſtitutio altera *Theodoſii* legitur æque in *Codice Iuſtiniani l.* 18 *tit.* 3 *L. I.*

VI. Ut conſtitutioni utrique nonnihil lucis ex hiſtoria illius ætatis eccleſiaſtica affundamus, res ipſa videtur flagitare. Præerat tunc temporis

catos, defenſores, & ſyndicos ſuos. Concilium Carthaginenſe eos ab Imperatore *Honorio* A. 407 poſtulavit. *Cod. Afric. Can.* 97, *pag.* 919 *ſeq. T. I Concil.* edit. *Harduin.* Imperator annuit *l.* 38 *de Epiſcopis tit.* 2 *L. XVI.* Concilium Salisburgenſe apud *Caniſium pag.* 613 ſuffragatur.

y) *Voelli & Iuſtelli Collect. Conſtitut. eccleſiaſt. L. I tit.* 3 *c.* 18 *pag.* 1255 *Tom. II.*

z) Papæ tunc dicti Epiſcopi omnes. *Binghami Orig. Eccleſ. I I,* 2, §. 7, *Pamelius* ad *Cypriani Ep.* 3 *n.* 3, *Sirmondus* ad *Ennodii Ep.* 29 *T. I Var. col.* 1467, *Benedictus* XIV *de Synodo diœceſana I,* 2, §. 4, *pag.* 14, Romæ, 1748, 4.

ris ab anno 412 uſque ad annum 444 a) Archiepiſcopatui Alexandrino *Cyrillus*, fervidioris ingenii ac frontis ingenuæ homo. Ipſe Iudæos, Chriſtianis moleſtos, ac ad necem noſtris amentandam callide incumbentes, multitudine ſtipatus adiutrice, Alexandria eiecit, *Oreſte* præfecto a Iudæis ob numos, inde redeuntes, haud admodum alieno. Exarſit itaque *Oreſtis* b) in *Cyrillum* animus, ad iram præceps. Monachi, qui ſedes circa Nitriam habebant, quingenti circiter, Alexandriæ, velut agmine facto, ſeſe infuderunt, cauſam *Cyrilli* propugnaturi. Parum abfuit, quin ipſi *Oreſtem* vita privarint. Monachis hiſce Clericos nonnullos & Parabolanos ſeſe immiſcuiſſe, vel exinde perſpicitur, quod in hos poena & coercitio ob tumultuationem a *Theodoſio* paulo poſt decreta fuit. Tumultuationes hæ in quartum *Cyrilli* Archiepiſcopi annum Martiumque menſem inciderunt, calamitatibus haud unis funeſtæ. Succubuit furori tumultuantium vita *Hypatiæ*, quæ Ægyptum eruditionis ſuæ laudibus colluſtraverat. Genuerat eam c)

 Theon,

a) *I. A. Fabricius* in *Bibl. Gr. V*, 26, *Vol. VIII*, *pag.* 553 *ſeq.* Cl. *Wernſdorfius Diſſ.* II *de Hypatia, Philoſopha Alexandrina, ſpeciatim de eiusdem*, §. 8, *pag.* 61 *ſeq.*

b) *Socrates H. E. VII*, 15, *pag.* 361.

c) *Io. Alb. Fabricius Bibl. Gr. Vol VII pag.* 219 *ſeq. Io. Andr. Schmidii Diatribe de Hipparcho, duobus Theonibus, & Hypatia*, Ienæ, 1691, 4, Cl. *Io. Chriſtiani Wernſdorfii Diſſ.* I, II, *de Hypatia, Philoſopha* *Ale-*

Theon, Philoſophus iſte & Mathematicus Alexandriæ, quem ſcripta, quorum pars exſtat, ad noſtram usque ætatem nobilitant. Duxerat eandem in uxorem *Iſidorus*, Philoſophus Philoſophum, Mathematicam Mathematicus. Id unum gloriæ horum hominum, philoſophiæ deditorum, oberat, quod ipſi a doctrina Ieſu manſerant averſi, ac auditorum cœtui numeroſiſſimo dogmata ſua inſtillabant. Ne itaque in poſterum a Parabolanis conſimile periculum proficiſceretur, *Theodoſius*, remediis ſeptem uſus, providit. Cavit ipſe inprimis, ne illi & numero, & opibus, præſtarent, ne a *Cyrilli* nutu penderent ipſi, ne *Cyrillus* eos deligeret, vel confirmaret. *Oreſtes* Imperatori anſam ſuppeditavit, ut A. 416 ita ſtatueretur. At ſubito converſa fuit fortuna. Anno enim 418 *Cyrilli* iam in aula Conſtantinopolitana potiores, quam *Oreſtis*, erant partes. Hoc enim anno Imperator poteſtatem eligendorum ac ſubrogandorum Parabolanorum *Cyrillo* Archiepiſcopo tribuit, viro & ad dominandum, & ad docendum, accommodatiſſimo, ſiquidem perſonæ & cauſæ eccleſiaſticæ, exceptis criminum d) & æris alieni cauſis, iam

Alexandrina, Vitemb. 1747, 4. Priori præſedit Ill. *Ioannes Daniel Ritterus*; poſteriori Vir Cl. *Wernſdorfius*.

d) *Honorii l.* 1 *de Relig.* & *l.* 3 *de Epiſcop. Iud. Cod. Theod.* Poſteriorem legem truncavit *Gratianus Can.* 5 *Cauſ.* 11 *Quæſt.* 1 *pag.* 528 *ſeq.* ed. *Boehmeri*.

iam pridem Epiſcopis erant propriæ. Confer Librum *Codicis Theodoſiani XVI, tit. 2 de Epiſcopis, l. 12, 23, 41.* Nec tamen inficiandum eſt, Epiſcopos per modum arbitrorum in cauſis civilibus eorum, qui ſponte ſua ad ipſos cauſas deferebant dirimendas, diiudicandis atque expediendis permultum valuiſſe, licet ipſis haud liceret iure hic uti, vel Laicis, ut ſe arbitros deligerent, neceſſitatem imponere. Delegare liceat lectores ad *l. 7 & 8 Cod. Iuſt. de Epiſc. aud.* & ad *Novellam Valentiniani 12 de Epiſc. iud. in princ.*

VII. Officium Parabolanorum in eo conſtitit, ut ægrotorum curam gererent. Ipſorum erat ἐπιμελεῖσθαι τῶν λελωβημένων. Ipſi quidem *ad curanda debilium ægra corpora* fuerunt *deputati*. At inde per ſeſe citra alia argumenta non efficitur, ipſos numero Medicorum fuiſſe. *Corpora* enim *curare* perhibentur e) milites, cum cœnant & quieſcunt. Intererat oppidanorum, ut in maximis civitatibus, quo peregrini ac mercatores præcipue confluebant, homines ſumtibus publicis alerentur, qui quaquaverſus requirerent ægrotantes atque expiſcarentur, vel requiſiti ad eos ventitarent, vel, re ſic ferente, in conſpectu eorum hærerent, continuo eis conſilium opemque laturi, nunc medicinam parantes, vel arceſſituri medicum, nunc potiones eis impertituri medicatas, nunc de cibis ac fomentis proſpecturi. Intererat rei Chriſtianæ, ut hi ægro-

e) *Curtius III, 8, 22.*

ægrotantium miniſtri eſſent pietatis amantes, atque Clericis diligenter, qualis eſſet decumbentium & infirmorum conditio, renunciarent. Horum enim erat providere, ut ne quid deeſſet detentis vario morborum genere Chriſtianis, ſaluti ſempiternæ admovendis. Alexandriæ & Epheſi maxime florebant id temporis commercia. Mira ibi hominum multitudine domus vicique affluebant. Peſtis ac alia contagia emporiis hiſce ſæpius minabantur clades, ſtrageſque edebant. Aes itaque illis triplex circa pectus erat, qui vitam & officia ſua periculoſiſſimo cum ægrotis commercio expoſitum ibant. Non eſt improbabile, in emporiis hoc parabolanorum genus iam in uſu fuiſſe, priuſquam illa ad doctrinam Ieſu fuerunt adducta. Laudat ipſe *Iulianus*, Chriſtianorum hoſtis, benignitatem Chriſtianorum, in ægrotis viſendis ac curandis, nec non in defunctis ſepeliendis f), verſatam. Nullum itaque eſt dubium, Chriſtianos in id incubuiſſe per emporia, ut parabolani infirmis adiungerentur. Hæc ægrotorum, qui Hieroſolymam peregrinationes ex Europa ſuſceperant, cura peperit originem Ordinis equitum Ioannitieorum. Hæc cura progenuit in Occidente g) *fratres Alexianos*, qui, a S. *Alexio*, Medico, cognominati, ægrotis præcipue pauperibus iam Seculo XII opem ſolatiumque afferre conſueverunt.

VIII.

f) *Ep.* 49 *pag.* 203 *T. II Opp. Fragmentum pag.* 557 *ſeq. T. I Opp.*

g) *Ge. Burch. Lauterbachii Hiſtoria monaſtica Occidentis T. I pag.* 77.

VIII. Parabolanos, exiſtimant *Iacobus Gothofredus* h), *Ioſephus Binghamus* i), *Cæſar Baronius*, fuiſſe de Clericorum ordine inferiori, variis, ut ſic ſentiant, rationibus adducti. k). Debuerunt ſcilicet Parabolani a nutu Epiſcopi pendere; ab eo conſtitui, ab actibus publicis, ſeu ſpectaculis, procul eſſe, divitiis carere; ex curialibus haud aſſumi, a iudiciis forenſibus manere ſeiuncti. In Medicos ordinarios hæc haud congruunt, ſiquidem hi ab Epiſcoporum iuſſis haud pendebant, nec divitiis iubebantur renunciare. Comprehenditur lex de Parabolanis titulo *de Epiſcopis & Clericis*. Quis, Medicos a ſpectaculis unquam arcendos eſſe, edixit? Quis ipſos putabit ſpecimina ſcientiæ artisque ſuæ approbaſſe Epiſcopis, antequam medicinam facere aggrederentur? Ita putant rationes viri, qui Parabolanos e numero Medicorum proſcribere moliuntur. Nec tamen parabolani in ſingulis exſtiterunt urbibus, nec ultra aliquot ſecula viguiſſe ſunt exiſtimandi. Infra decimum certe Seculum nulla de eis amplius, quantum ego quidem novi, mentio iniicitur. *Alexiani* ab eis in eo differunt, quod illi non ſolum ægrotis ſerviunt, ſed pauperes etiam mortuos componunt, humoque mandant, immo efferunt ſepelien-

h) Ad *Legem XLII Tit. II de Epiſcopis & Clericis L. XVI Cod. Theodoſ.*

i) *Origin. Eccleſ. Vol. II, L. III*, c. 9.

k) *Annal. eccleſ. ad A.* 415.

liendos. Hæc ſepeliendi cura *Copiatis* in eccleſia Græca fuit demandata.

IX. Scripſeram hæc, cum in manus incidit *Diſſertatio Academica I de Hypatia, Philoſopha Alexandrina*, Præſide Ill. *Ioanne Daniele Rittero*, auctore M. *Ioanne Chriſtiano Wernſdorfio*, Viteberga A. 1747 examini eruditorum ſubmiſſa. Attulit Vir uterque eruditionis laudibus excellens argumenta, quibus ſignificatur, Parabolanos non fuiſſe Clericos ordinis inferioris, ſed potius eos magnam partem fuiſſe eiusmodi homines, qui medicinæ peritiam ſibi pepererint, eamque ad faciendam appulerint animum. En rationes. In lege *Theodoſii* ipſa ſegregantur a Clericis Parabolani. Dicitur enim ibi: *Placet noſtra Clementia, ut nihil commune Clerici cum publicis actibus habeant.* Adiungitur tamen paulo poſt: *Præterea eos, qui Parabolani vocantur.* Alia igitur Clericis præcipiuntur, vel vetantur, alia Parabolanis. Clerici ſeparatim vetantur publicis actibus intereſſe. A Clericis progreditur lex ad Parabolanos. His ſeparatim momenta haud una ſeparatim præſcribuntur. Tumultui igitur Alexandrino non Clerici quidam modo, ſed Parabolani quoque, fuerunt implicati. Niſi lex, de Parabolanis exponens, haberet ea, quæ ad Epiſcopum & Clericos Alexandriæ ſpectant, ſub titulo alio potuiſſet commode collocari. Si Parabolani fuiſſent Clerici, ipſi haud fuiſſent poteſtati antiſtitis eccleſiaſtici ad tempus ſubtracti, & Auguſtali Præfecto ſubiecti. Num Præfectus

Clericos eligere & conſtituere potuit? Num iis imperare? Conſtitutiones eccleſiaſticæ & mores eius ætatis admodum ei ſententiæ repugnant. Ante hanc legem *Theodoſii* e Curialibus eligi Parabolani conſueverant. Mos ille vetatur ea lege. E Curialibus iam per leges *Conſtantini & Valentis* neminem Clericorum deligere ulli licuit. Vide *legem 3 & 19 tit. de Ep. & Cler.* Ad Liturgiam & cultum Dei publicum nil attulit cura Parabolanorum. Ergo hi non fuerunt Clerici, ſed ſpecies Medicorum, quibus ea fuerunt vetita, quæ curam ægrotorum poterant impedire.

IV.

IO. JACOBI REISKE AD HERODOTUM, CONIECTURÆ.

PRÆFATIO.

Veteres Auctores Græcos, quos pro ſapientiſſimis hominibus reputavit & coluit omnis ætas, librariorum nugis & abnormibus vitiis paſſim contaminatos & onuſtos, inter manus noſtras verſari, non ceteros tantum, qui rarius editi, & quaſi neglecti a viris literatis fuerunt, ſed & illos ipſos, quos multi multo cum ſtudio & contentione quaſi tractaverunt, id eſt, quod multiplice uſu mihi conſtitit, & ſæpe ſtomachum movit, effecitque, ut ei malo mederi

pro virili mea ſtuderem ante annos aliquot, cum optimæ notæ Græcos quoſdam Auctores legendi otium & cura mihi eſſet. Nunc enim rebus aliis intentus & implicitus, ab hoc genere literarum, non mea ſponte quidem, at ſum tamen tantum non alienus. Quæ igitur eo tempore in ipſa lectione in adverſaria coniiciebam, ea, eſt animus, ſi vita ſuffecerit, eiuſque rei copia, per partes publicare. Nullum enim puto præſtari poſſe optimis hominibus maius beneficium, quam ſi efficiatur, ut, qui adhuc inepte inhumaneque loqui viſi fuerant, ſapientia & gravibus viris digna dicere doceantur; eamque a nobis mercedem illis deberi doctrinarum, quas lectoribus nobiliſſimas & utiliſſimas impertiunt, exiſtimo. Auſpicium huius laboris mihi faciet *Herodotus*, proſaicorum, quales potiſſimum exercebo, antiquiſſimus, quem editor, ſatis quidem iam vetuſtus, at hunc in diem tamen recentiſſimus, *Iacobus Gronovius*, accurate recenſuiſſe, & ab omnibus vitiis ope divini ſui Medicæi Codicis repurgaſſe, viſus ſibi quamvis fuerit, aliiſque voluerit videri, neque velimus diffiteri, Virum illum bene paſſim huic Hiſtoricorum patri feciſſe; certum tamen viciſſim eſt, eundem, divini ſui Codicis amore occæcatum, *Herodoto* maculas non paucas adſperſiſſe, veterum editionum probas, & quæ ſervari debuerant, lectiones deterioribus, quas Codex ipſi ſuus ſuggerebat, mutando; aliaſque multas præterea mendas, quæ facile in oculos incurrant, aut incruſtaſſe leviter,

ter, aut prorſus non attigiſſe. Libellum hunc fidem, ſpero, facturum huic iudicio de *Gronoviana Herodoti* editione, quam ſi trepidatio, ſtudiumque *Berglerum* occupandi, non deproperaſſet, adeoque modo laudato viro, Græce doctiſſimo, prodere ſuas curas licuiſſet, probabile eſt, eum multarum emendationum otium mihi facturum fuiſſe. Interea, dum novus conſurgat *Herodoti* editor, (quod ut brevi fiat, optamus, ſperamuſque; nam *Gronovianus* codex rarius in tabernis comparere incipit,) mihi ſumo ſuperiorum editorum defectus ſupplendos, &, quæ iſtorum ſeu diligentiam, ſeu fortunam, effugerunt, indicanda, bene tamen gnarus, neque ſic omnia exhauſturum me eſſe, ſed ſatis & ſuper poſt me quoque Criticis, quod agant, fore. Quod mirum nemini accidet, reputanti ſecum, in hiſtorico ſcriptore multo plura, quàm in ullo alio, memorabilia & obſervatu digna occurrere; ad eum illuſtrandum doctrina multo ampliore opus eſſe; ideoque multo facilius a ſtupidis & rerum omnium ignaris librariis in linguæ genium, in ſanam rationem, & Auctoris mentem, in hiſtoriam denique, peccari potuiſſe; quibus omnibus deprehendendis & corrigendis unus homo ſolus non ſuffecerit. Mihi quidem ſatis fuit, ſepoſito, aliiſque demandato, poſtremo curarum genere, quod hiſtoricos errores indagat & refingit, eas tantum lectiones, quas cum indole Græcæ linguæ, cum ſano ratiocinio, & Auctoris mente, pugnare ani-

madvertero, demonſtrare, atque pro captu meo reformare. Idque ſimpliciter ſtrictimque faciam, & abſque ambagibus. Quale genus, prævideo quidem, multos fore, quorum palato, ut macrum & parum ſuave, non arrideat; ut qui malint ſelecta quædam loca, pro more huius ſeculi, prolixo ſermone agitata, & immani teſtimoniorum ſimiliumque dictionum farragine onerata, habere; quales nempe diſſertationes ipſi deambulantes, aut calidam ſorbillantes, aut Nicotianæ fumum ſugentes, abſque operoſa ipſorum Auctorum locorumque, de quibus agitur, inſpectione, legere & æſtimare ſolent atque cupiunt. Mihi vero, ut ſemper alias vera ſolideque utilia pro ſpecioſis & pictis placuerunt, ita hoc quoque in genere ſatius eſt prodeſſe, quam delectare. Operæ pretium feciſſe mihi videbor, ſi *Herodoti* aliorumque Græcorum doctis lectoribus atque editoribus proxime futuris ulterius cogitandi, & in verum inquirendi, anſam dedero, eosque ibi locorum lente feſtinare iuſſero, ubi forte cum maioribus noſtris pedem præcipitaſſent. Similes dictiones ex Auctoribus congerendi ſtudium laude ſua uſuque, bene novi, non carere. Sed & quoſdam novi eo in genere ſic fuiſſe verſatos, ut, poſt acquiſitam diligentiæ quandam opinionem, parum tamen Auctores ſuos aut intellexiſſe, aut iuviſſe, & denique, dum aut aliena comportant, aut in vulgus nota & nemini dubia operoſe adſtruunt, fruſtra laboraſſe viderentur.

Cum

Cum complures ſint, iique non exiguæ molis, Auctores Græci, quos continuo filo a capite ad calcem pertractare decrevi, paucisque pagellis eam operam comprehendere mecum conſtituerim, neque nunc otium ſuppetat, olim in adverſariis deſcripta recognoſcendi, cum aliis Auctoribus comparandi, dignoque doctrinæ apparatu inſtruendi; veniam & errorum, quos ipſe forte deleviſſem, ſi potuiſſem mea per otium retractare, & huius, ſi fas eſt dicere, maciei & ſtrigoſitatis, apud æquos invenero, qui præterea ſecum reputent, ita cum multis emendationibus comparatum eſſe, ut argumento probari nullo poſſint, ſed a ſola loci cuiusque inſpectione vim lucemque accipiant. Sic tandem cenſeo, coniecturas, ſi probæ ſint, id eſt, ſi ſint ſimplices, & Auctoris menti linguæque genio congruæ, luce ſua radiare, & a quovis Græce docto protinus percipi; at, diverſi quæ ſint generis, omnem in illis ornandis comendisque molitionem irritam eſſe.

Liber I.

Edit. Gronov.

Pag. lin.

2 | 6 | Aut ſervari debuerat vetuſta lectio librorum, (quod paſſim & frequenter iterabimus monitum, non tamen ubique, quam-

Pag.	lin.	
		vis opus eſſet, ne tædio ſimus,) aut, ſi quid mutari debebat, erat ἀπιγμένοι ſcribendum, id eſt, ἀφιγμένοι ἦσαν.
	pen	Aut ſervari debuerat antiqua lectio, aut ἀπὸ τούτου δ' ὦν.
3	15	τὸν δὲ οἶδα αὐτὸς ἀκούσας, ut *pag. 8, 5, 109, 13.*
4	27	σκοπεύειν rectum eſt, & notat *obſervare, cuſtodire*, φυλάσσειν. *Heſych.* Σκοπεύει, ἰχνεύει, ἐπιτηρεῖ.
5	31	ἀλλ' ὡς ὥρα, *ut videbat.*
	39	ἐπέδεξε τοι, *monſtravit tibi.*
6	26	ἔτος δή.
7	20	ἐπέδρης una voce.
	27	Aut ſervari debuerat vulgata lectio, (deinceps compendii gratia ſ. d. v. l. ſcribam,) aut certe, ſi ſequamur veſtigia Medicæi Codicis, legendum ἔν τε ἐν Λιμ — καὶ ἓν ἐν Μαιάνδρου πεδίῳ.
8	28	poſt Ἀλυάττῃ excidit, καὶ ὅδε σφι διαλλάττηται.
9	17	ὡς ἂν ταφῇς &c.) Verba difficilia intellectu. Poteratne alias non ſepeliri in terra, niſi ſe ipſum interfeciſſet? Non licebat ergo percuſſoribus, eum in terra ſepelire, quem in navi necaverant? Aut in mare præcipitatus ſpem non habebat obtinendi ſepulturam in terra? Laborat profecto ſententia.
	36	ὡς δὲ ὥρα, *cum autem videret.*
10	1	δεύτερος) *ſecundus*, reſpectu ſcilicet donario-

Pag.	lin.	
		nariorum, Delphos miſſorum. Nam alias erat quartus ſuæ gentis princeps.
10	36	Ante ἐοικότα ἐλπίζων videtur excidiſſe, ἵνα ῥαδίως ὑπαγάγῃ αὐτοὺς. Conf. *lin.* 40.
	37	εὔχεσθε delendum, & *lin.* 39 reducenda vetus lectio ἀρᾶσθαι. Aut, ſalvis ceteris, ſaltem ὁρμεώμενοι pro ἀρώμενοι.
11	4	δὴ, pro δὲ.
	39	φιλ — γῆν πολλήν.
12	3	προσετρέψατο: *in iis quæ ad Tellum pertinebant, ſibi conſentire Crœſum coegerat Solon*
	40	Coniiciebam aliquando ἀνταξίους Verum docuit me *p.* 44 *pen.* & 413,34 ἀξίους idem & *Herodoteum*, ideoque nihil mutandum eſſe.
13	29	L. ἄπηρος *non mutilus.* Cuius contrarium ἔμπηρος, *mutilus, vitiatus*, quo utitur infra *Cap.* 167. & 169. *pag.* 85, & dein poſt ἄπηρος delendum δὲ, aut potius ſcrib. ὅδε.
	44	ὦ βασιλεῦ.
14	13	αἰχμῇ σιδηρέῃ in nominativo.
	23	f. συμφορῇ κεχρημένος, ut *pag.* 16, 21.
	44	γίνεται) f. φαίνεται. Conf. 15, 2.
15	14	συνεξέλειν ſcribendum, retracto accentu. Eſt ab antiquo verbo ἔλω, *pello*, (& forte *pello* ipſum inde factum,) unde ἐλάω, ἐλαύνω. Falluntur, qui hoc & præcedens ἐξέλωμεν (*lin.* 6) ab ἐξαιρεῖν, aut ἐξελεῖν, derivant. Conf. docti Interpr. &c. ad *Heſych.* v. Ἐξέλας & ἐξέλης, et infra

Pag.	lin.	
		infra *II*, 30, *pag.* 99, 42, ubi quoque ἐξέλεντας leg.
	24	νῦν ὢν τέοισι, *talem ergo me* (in tali rerum ſtatu) *qualibus oculis oportet in forum ire, & inde redire?*
	37	παραλαμβανόμενα ſuſpectum. Num παραβαλλόμενα? *periculoſa*, ἐν οἷς παραβάλλεταί τις καὶ παραβόλως ἀναςρέφεται.
16	9	Aut ἄχαρι τι ὢν ἴδι (*aliquid ingratum*, nefandum, αἰσχρὸν, ἐπίῤῥητον,) aut ſaltem ἀχαριτίην *caſum aliquem ingratum, injucundum, turpem, triſtem*, aut ἀχαριςίην, *animum ingratum*, beneficiorum acceptorum immemorem.
	23	ὅτ' εἰ τὸ βέλεσθαι πάρα. πολλαχῆ γε ἀνίχ·ν —
17	1	·υονκέ ει πολ —
	47	ἕκαςος ῥητῇ ἡμέρῃ.
18	21	Dubitabam aliquando de hoc loco, & coniiciebam aut προσεῖχέ τε, ſcil. τὸ νῦν, aut προσέκειτο. Sed retinet me locus *pag.* 23, 10. Non inutile eſt, etiam pravas coniecturas indicare & damnare, ne ſcilicet deinceps ſint, quibus eadem in mentem veniant, iique ſibi videantur non quod pueri in faba reperiſſe.
	42	Forte ὅ, τι τίμιον ἔχοι, aut ſaltem ὅ, τι ἐθέλοι.
19	11	ἀλλὰ delendum. Eſt enim aliud nihil, quam vitioſa ſcriptio ſequentis vocis ἅμα
21	12	Verba ab οἴκεσοι uſque ad Σκυλάκην in-

cluſi-

Pag.	lin.	
		cluſive coercenda ſunt parentheſi, & dein *l.* 15 ſcrib. καὶ Πελασγῶν τῶν ἐκ — repetendumque tacite a communi εἰ χρεών ἐστι λέγειν τεκμαιρόμενον τοῖς τῶν Πελασγῶν —
21	35	πρὸς ὧν δὴ ἐμοί γε δοκέει, *a quibus nempe mihi quidem videtur.*
22	3	γενέσθαι δέ οἱ. Sæpius obſervantur δὴ & δὲ permutari; facile patet, quare.
	38	ἔπει τε, *ex quo. Ex quo iam a longo tempore Græcum genus a barbarico ſecretum fuit, ut quod eſſet habilius* — Prorſus pervertit *Gronovius* mentem *Herodoti* nauci lectione ſua invecta.
	pen	ſ. προσάψαντες.
23	9	S. d. v. l. πειθόμενοι.
	27	ſ. γνώμῃ, aut manente γνώμην ſ. leg. ἐνήκαντος, *ſubmittente*, vel ἀνείκαντος, *ferente.*
25	30	καταφρονήσαντες Ἀργείων, καὶ νομίσαντες, κρέσσονες εἶναι.
26	47	μηδὲν (pro μὴ μὲν).
29	17	παῖδάς σφι.
	23	ſ. ὀργὴν ἀκρὸς eſt idem, quod ἀκρόχολος. Notat ἀκρὸς in his *conſtantem.* Conf. *329, 2,* & *331, 26.*
32	14	Aut ſerv. vulg. aut ἐφίππων leg.
	19	ῥηγνῦσι.
	36	S. v. ἀμύνηται. Nam, quod *Gronovius* induxit, aut plane nihili eſt, aut, ſi quid eſt, (poteſt autem idem, atque ἀναμύνηται, eſſe; ſi modo verbum Græcum id ſit,

Pag.	lin.	
		& per linguæ Græcæ indolem formari queat,) huic loco non congruit.
32	42	Coniiciebam aliquando ἐπείσθη, aut ἔοικε. Sed vid. *pag. 26, 41.*
34	27	*δικασάντων* valde ſuſpectum. Num διχωμωσάντων, *ſtatuentibus*. Sed neque hoc ſufficit. An δηλωσάντων, vel δὴ χρησάντων, *indicantibus*, aut *vaticinantibus*. Verum maxime placet διδαξάντων, *decentibus*.
35	33	ἆτος (pro αὐτὸς).
	8	ἄλλον γνώσας, *alium quendam*, non Crœſum, *eſſe putans*. Prius habeo ex vulgata lectione. *Lin. 33* pariter nihil debuerat innovari.
	46	Non expedio perdifficilem hunc locum. Forte ſic ſcripſerit *Herodotus*: ἀποφλαυρίσοιέ οἱ, ἄλλα τε εἴπας, καὶ δὴ καὶ ταύτῃ πάντα ἀπειθεβηκέναι οἱ, τῇ περ &c.
36	18	καὶ τὸν μὲν, aut τὸν μὲν ὦν —
	ult.	διαφορέει.
37	4	τὸ (pro τὰ).
	25	ἀνηρημένυ, *cum tibi propoſueris*.
	34	ἐπαγελόγισε.
38	15	τρισὶ pro τοῖσι.
	26	ὁ δὲ ἐδὲ τῦτο.
	45	Aut ſ. d. v. l., aut, ſi ſtatuimus, προνηΐη nomen ſubſtant. pr. decl. fœm. gen. eſſe, ſcribenda iſta cum iota ſubſcripto ἐν δὲ προνηΐης τῆς ἐν Δελφοῖσι. Deinde pro ταῦτα μὲν leg. τῶν τὰ μέν.

ἐπεὶ

Pag.	lin.	
39	11	ἐπεί τε τελευτῶντος τοῦ πατρὸς.
40	8	S. d. v. l. πεσών.
	21	προτάσσειν.
	24	γὰρ delendum.
	35	ἐπιδέξεται.
42	32	*πτύειν ἀντίον καὶ ἀπομύττεσθαι; exſpuere coram, & nares ſibi emungere.* Arabes, ut mores pleroſque, quos *Herodotus* & *Xenophon* in Perſis memorant, retinuerunt, ita etiam hunc adhucdum obſervant, perhibente *D'Arvieux* apud *La Roque* in elegantiſſimo libello *Voyage dans la Paleſtine*, quo mores Arabum vere beneque deſcripſit. *Les Arabes*, ait *pag. 140., croient que, quand on crache, c'eſt par mépris. Il ne le font iamais devant leurs Superieurs; ils ne ſe mouchent point, non plus que les Turcs, & leurs mouchoirs ne ſervent, qu'à eſſuier les mains ou le viſage* etc. Poſſem hoc modo permulta loca *Herodoti* e moribus, Poetis, & Philologis, Arabum illuſtrare, illa nempe, in quibus de ritibus orientalium agit, qui pro maxima parte adhucdum vigent. Verum id huius loci non eſt. Poteſt quoque pro *ἀπομύττεσθαι* ſupponi aliud verbum *κραυγάζειν*, vel *λοιδορεῖσθαι*.
44	18	ἐνέσκηψε ὁ θεὸς.
	25	Φέρον ἔπρησαν.

Pag. lin.

45 30 In τὴν ἐπὶ θανάτῳ ſubintelligitur κόσμησιν. Verum videtur ſibi *Herodotus* contradicere *pag.* 46, 35.

pen Valde coactum erit ἐπιτηδειοτάτας interpretari per *huic præſenti conſilio exequendo maxime idoneas*. Ego vero aliquando ἐπιδευεστάτας, *indigentiſſimas rerum omnium, pauperrimas*, coniiciebam, aut, quod magis placet, ἐπιδηεστάτας, *maxime ſylvoſas*: *ſylvis denſiſſimis horrentes*, ab ἴδη, *ſylva*. Conf. *pag.* 46, 9.

47 20 τὸν γὰρ ἔφερε.

38 ἐν ὁδῷ ſuſpectum. Non enim apparet cauſa, quare noſter, pueros *in via*, ſeu in publico, luſiſſe, memoret magis, quam οἴκοι, *domi*.

48 7 Diſtinguendum & leg. ſic: (— καὶ ἦν τοῦτό οἱ) τοὔνομα, ἀλλὰ —

32 ἐλευθερωτέρη, *homine ingenuo* (quam ſervo) *dignior*.

49 2 λιτάς τε καὶ ὁμολογίας, συγγνώμην —

4 ἤδη νῦν ἐλάσω.

29 Omnino probum eſt ἐπεῖχε, neque debuerat nauci illud ἐπίσχες, quod *Stephanus*, Grammatices Græcæ multo, quam *Gronovius*, doctior, eliminaverat, revocari. Et quare non etiam alibi invexit *Herodoti* ſoſpitator? Sunt certe loca, paſſim, ubi vulgatos in hoc verbo non deſerit.

32 ἐπαλιλλόγητο, *poſt reciprocatos ſermones.*

περι-

Pag. lin.

51 8 *περιέσσα, deveniens*, ab ἔω, pro quo vulgo dicitur εἶμι, *eo, vado.*

32 & *36*, item *pag. 89, 34*, legitur ἐπίστασθαι rariſſimo ſenſu pro πεπεῖσθαι, *putare, perſuaſum ſibi habere.*

52 14 μηχανησάμενος hic idem eſt, quod πορισάμενος. *poſtquam hic ſibi aliunde comparaſſet.* Eodem ſenſu legitur *pag. 40, 25*, μηχανήσασθαι πλοῖα, quod non eſt *naves ſtruere*, ſed *conducere*, aut *emere*, aut confieri ſibi curare, aut alio quocunque modo comparare.

15 ἀποτείμας. Conf. de hoc loco Clariſſ. *Abreſchii Animadv. ad Æſchyl p. 184.*

26 Poſt Καμβύσεω videtur aliquid excidiſſe. Putem ἢ μᾶλλον θεῶν τεῦ.

34 σύ νυν.

53 1 Forte νῦν ὦν, ἔφη λέγων —

8 Φήτρῃ pro Φρήτρῃ videtur vitium typographicum eſſe.

33 Neſcio, an ullus alius ſcriptor Græcus πείθεσθαί τινος pro τινὶ dixerit. At πυθέσθαι quidem dicunt cum genitivo.

54 20 Nodus vindice dignus, & tamen ab omnibus præteritus. Procul dubio aliquid excidit. Indicat εἴρετο, *interrogabat*, cui reſpondet ſequens ἀντείρετο, *invicem illum, qui prius interrogaverat, interrogabat.* Atqui poſteriore quidem loco adeſt interrogationis argumentum, in priore autem nullum eſt. Ut bre-

vis

Pag.	lin.	
		vis ſim, videtur *Herodotus* ſcripſiſſe: *Interrogabat Harpagus Aſtyagem, adjurans per illas dapes, quas ipſi olim devorandas propoſuerat,* (proprii nempe ſui filii carnes) ἐθολωσε, εἰ πιςευει ὅτι οἱ εἴη ἡ ἐκείνου — *crederetne ipſius captivitatem ſibi regnum valere*, æque gratam eſſe, æque magnum gaudium creare, quam ſi regnum ipſum accepiſſet.
55	24	τῷ δὲ, *cui vero ſigillatim.*
	ult.	f. καὶ οὐκ ἀηδέσι.
57	30	οἱ πολλοί.
58	13	δή (pro δέ).
60	13	μέν γε.
	44	καὶ ἔπειτα ταῦτα.
61	14	οὐκί.
63	20	S. d. v. l. & *lin. ult.* ἐόντα.
64	39	νενοοσευμ —
	46	οὕτω τεοῖσι, *tuis.*
65	20	οὐλαῖς.
67	3	τε (pro δέ).
	26	Et particula τε. & res ipſa, monſtrat locum hunc corruptum eſſe & lacunoſum. Deeſt, quid Carthaginienſes cum ſuis captivis fecerint. Nam, quid Tyrrheni in ſuos ſtatuerint, tantummodo narrat, eos nempe multo plures eorum accepiſſe ſuam in ſortem, quam Carthaginienſes acceperint, & lapidibus obruiſſe apud Agyllam.
68	16	ταῦτα.

οὕτω

Pag. lin.

68 37 ἄτω eſt dualis, *hi duo.*

69 2 Diſtinguendum μακρῷ. μάλιςα καὶ —

11 Aut περικειμένας, ut ad ἀσπίδας redeat, aut περικειμένοις, nempe τελαμῶσι. Deinde quoque diſtinguendum μετὰ δὲ, τὰς Κάρας χρόνῳ ὕςερον, *deinde vero, Dores & Iones expulerunt* τὰς *Caras tempore poſt.*

70 2 Diſtinguendum & legendum ſic: — ἦρχε, οἳ δὲ ἐκαλέοντο, τόπερ τότε ἠνείκαντο, τὤνομα. *Donec Sarpedon regnabat, appellabantur hi eo, quod tunc gerebant, nomine, & quo etiamnum a Lyciis citantur, nempe Termilæ appellabantur.* Conf. *VII, 92.*

11 D. ſ. v. l.

34 Poſt ποιῆσαι turbatum eſt. Ego, quo melius perſpici mens *Herodoti* queat, & de mea conjectura judicium fieri, locum, ut conſtituo, integrum apponam. Lectori facile erit, mea cum editis comparare. *Iſtud igitur exiguum iſthmi, ait Herodotus, circiter quinque ſtadiorum fodiebant Cnidii, interea dum Harpagus Ioniam ſubigebat,* βουλόμενοι νῆσον τὴν χώρην ποιῆσαι· τῇ γὰρ ἡ Κνιδίη ἐς τὴν ἤπειρον τελευτᾷ, ταύτῃ ὁ ἰσθμός ἐςι, τὸν ὤρυσσον. ἐτὸς δὲ πᾶσά σφι ἐγένετο, καίτοι πολλῇ χειρὶ ἐργαζομένων τῶν Κνιδίων, *volentes regionem iſtam in inſulam mutare. Nam, qua regio Cnidia cum continente terra cohæret, ibi eſt iſthmus ille, quem fodiebant.* Eſt idem, ac ſi dixiſſet:

Illum

Pag. 70 lin. 34 Illum enim anguſtum terræ continentis tractum perfodere inſtituebant, qui impedit, quo minus regio Cnidia inſula ſit.) *Verum omnis labor illis fruſtra erat, quamvis multa manu* (multis cum operis) *laborarent Cnidii. Operæ enim, terram fodientes, & runcinis dedolantes, videbantur ſibi frequentius, & violentius, quam par erat, & fieri ſolet, & ſic, ut, ſubeſſe adverſi alicuius numinis iram, haud obſcure intelligeretur, a ſubſilientibus, in oculos maxime, fragminibus glebarum & ſaxorum vulnerari.* In πᾶσα ſubintelligi puto μηχανὴ, aut ἐργασία, quod facile poteſt ab attento lectore e ſequenti ἐργαζομένων erui. Facile fuerat, aut πάντα ſcribere, aut χεὶρ; & ſane blanditur poſtremum hoc vehementer. Opus tamen neutro eſſe puto. Poteſt quoque (ſi quis ita velit) χεὶρ in πᾶσα ſubintelligi, ex illo canone, Auctores ſæpe in antecedentibus omittere vocem neceſſariam, quam demum in ſequentibus ponunt. Hunc canonem exemplis longe plurimis adſtruere poſſem; & congeſſi non pauca ad hunc locum in Adverſariis. (Vid. ad *pag. 103, 7, II, 3, 8.*) Quia tamen mihi quidem præſenti in loco ea quidem vox minus videtur, quam potius μηχανὴ, ſubintelligi, reſervabo illa exem-

Pag. lin. exempla alii commodiori, ſi quod aliquando obveniat, tempori.

70 42 ἔπεμπον ὦν ἐς Δελφὰς, *mittebant ergo Delphos.*

72 8 Offendit me aliquando ἐλκύσαντες, & coniiciebam ἐλάσαντες, *poſtquam cudiſſent (manibus pedibusve plauſu,)* ut cudunt e. c. coriarii ſuas, quas appellant, placentas e cortice quercino & fraxino, item qui ceſpites ſulphureos, Turfos dictos, cædunt, & liquidos adhuc complanant inſultando. Verum, cum deinceps pervenirem ad *Lib. II Cap. 36,* (*pag. 141, 22,*) intellexi, temerandam noſtri loci ſcripturam non eſſe. Fateor tamen, me adhucdum ignorare, quid ſit ἕλκειν, aut ἐρύειν, πλίνθας, *ducere, trahere, lateres.* Non ſane lateres ita in longum ducuntur digitis, ut lana linumve in fuſo, aut ſyrupus cochleari e pyxide depromtus.

11 Locum hunc non intelligo. Tantum obſervo, mihi videri interpretes non percepiſſe, quid eſſent ταρσοὶ καλάμων. Sunt aut *crates arundinibus contextæ,* aut *ſolutæ quidem arundines, una tamen alteri parallele appoſitæ.* Ταρσὸν appellant Græci omne radiatum, ſive jam radii ſibi paralleli decurrant, (ut e. c. remi navium, quæ remis aguntur, aut digiti manuum, quando arcte comprimuntur

in

in rectum extenſi:) ſive etiam eccentrice divergant, dummodo ubique in æquali ratione, ut digiti manuum, quando diſtenduntur; pennæ in ala avis explicita; radii in rota curuli, vel molari; radii in circulo e centro ad peripheriam tendentes. Falluntur ergo, qui ταρσὺς καλάμων pro illa tomentoſa, lanuginoſa, brunna, epiphyſi, quæ e verticibus juncorum excreſcit, accipiunt. Quid autem ſint δόμοι πλίνθου, non ſatis aſſequor. Videntur *ordines laterum* eſſe; *Lagen*, ut vernaculo ſermone dicimus. Attamen non reſpondet hoc narrationi *Tavernierii*, cujus verba *Gronovius* in notis allegat. Neque apparet, quem in finem crates, vel ſtrata, arundinum intercalata tot vel tot ordinibus ſaxorum fuerint. (Tavernierius *ſeptem* ait, Herodotus *triginta*, ordinibus.) Ideone id fecerunt, ut firmius hæreret lapidum ſtrues aſphalto, quod a calore facile liqueſcit, neque tam indureſcit ut calx, facilius arundinibus, quam lateribus, adhæreſcente, iisque ſe implicante atque immiſcente. Ea ſi ratio fuit, longe probabilius eſt, ſingulis ſex, vel ſeptem, ordinibus, vel ſtratis, laterum tales crates, aut ſtrata arundinum intercalata, fuiſſe, quam ſingulis triginta ordinibus.

72 20 (c) Cogitari poſſet de *Nabr Iſa*, ſeu *rivo Iſa*,

Pag. lin.

Iſa, in hiſtoria Arabica percelebri. Sed canalis ille Muhammedaniſmo recentior eſt. Patet ex deſcriptione *Herodoti*, urbem & rivum *Hit* intelligi. Pro quo veteres forte Iς, *His*, dixerint. Sæpe in dialectis linguarum pæne omnium *s* & *t* permutantur. Forte quoque veteres *Tacriſſa* dixerunt, ſimili modo, quod nunc *Tacrit*, vel *Tagrit*, audit. Ea urbs *Xenophonti* in Anabaſi Λάρισσα male appellatur. Τάκρισσα, vel Τάγρισσα, debet eſſe, meo quidem judicio. Id, quamvis eodem redeat, eſt tamen tantillo propius a literis, quam, quod nuper alicubi proponebam, τάκριττα. De Hit pleni itineratores *Teixeira*, *della Valle*, *Rauchwolff*, & alii.

92 31 Notabile, ſinum Perſicum, vel Baſſorenſem, ab *Herodoto* hic Erythræum appellari. Vulgo ſolet hoc nomine illud mare, vel fretum, venire, quod Ægyptum & Arabiam occidentalem dirimit. Cauſa hæc eſt. Arabes, quamvis hodie ſeſe ipſi *Nigros* appellent, & *Mori* a noſtris appellentur, olim tamen *Rubri* malebant audire, a vultus brunno colore. Hinc in diverſis linguis diverſa gerebant nomina, unum tamen idemque notantia, ſcilicet *Rubros*. Hebræis erant *Idumæi*, אדם, Græcis *Phœnices*, tanquam *punicei*. Sibi ipſi nomen

Pag. lin. *Hometridarum* Arabes indiderant, quod ὑποπύῤῥυς notat, & eſt diminutivum a *rubro*. Hinc non tantum litus Arabiæ occidentale, ſed etiam orientale, accolebant Homeiridæ, homines rubri; & hinc factum, ut tam ſinus Mochanus, quam Baſrenſis, mare rubrum fuerit appellatus. Conf. *pag.* 409, 7.

73 5 μέχρι καὶ ὀκτὼ

22 τρόπον κως λέγ — In vulgata tautologizat *Herodotus.*

74 40 περιόδους τῆς λίμνης μακρὰς, *ut ipſa exſpectaret, haberet, nanciſceretur, longos paludis*, vel lacus, *circuitus.*

45 ταῦτα μὲν ἑκὰς Βαβυλῶνος. *Hæc quidem opera procul a Babylone ſibi ſuæque urbi futura munimenta circumponebat, & hoſtibus objiciebat.*

75 28 ὑπὲρ τῶν &c, debebat reddi *ſuper porta urbis hominum commeatu frequentatiſſima.* Πύλαι in plurali numero nihil plus, quam πύλη, notat. Dicitur autem πύλαι, quia portæ urbium duabus valvis conſtare ſolent; interdum habet etiam unus introitus duas portas, ſibi oppoſitas, & parum diſtantes, adeoque quatuor valvas: portam interiorem urbi propiorem, & exteriorem. Conf. *pag.* 219, 33 *ſeq.*

76 14 Δαρανέων legendum. De regione *Dara* & *Daras*, in Hiſtoriis Byzantinis percelebrata, locus erit, propitio Deo, ad *Con-*

ſtan

Pag. lin. *ſtantini Porphyrogenneti Ceremoniale Aulæ Conſtantinopolitanæ* dicendi.

78 17 S. d. v. l. Non enim patet, quid ſibi velit *oi.* Debuerat *Gronovius* adamatorum ſibi venerum ſuarum Medicæarum pulchritudinem & vim exponere, & in conſpicuo collocare, non lacerare, viros præclaros, qui, ſi eas unquam noviſſent, turpes judicaſſent,

31 K. καὶ τὰ πάνυ ἀληθῶς εἰρημένα καρπῶν ἐχόμενα, *ea, quæ ad fructus ſpectant, etiam quam veriſſime dicta, incredibilia videri.* Conf. *pag.* 169, 22, & 168, 23. & 507, 2.

33 ποιεῦνται.

36 τοὺς καὶ συνέων — & punctum delendum poſt θεραπεύουσι.

38 τούτων.

79 6 φοινικήϊς, *vino e palmis*, vel *dactylis, confecto.* Paullo enim ante dixerat, vinum ibi non creſcere, ſed e palmis confieri ab indigenis. Conf. *pag.* 167, 15.

24 Sic diſtinguo & lego: πλοῖα αὐτοῖσι ἐστὶ τοιαῦτα, ἐσθῆς δὲ τοιήδε. Χρέωνται κιθῶνι ποδηνεκέϊ λινέῳ, καὶ ἐπὶ τοῦτον (vel τούτῳ, parum enim refert.) ἄλλον εἰρινέον κιθῶνα ἐπενδύνουσι (vel ἐπενδύοντες, aut ἐπενδυόμενοι) & cetera, ut vetus vulgata lectio præſtat. *Gronovius* hic mera anacolutha, & miſere hiulcum ſermonem, *Herodoto* imputat.

Pag. lin.

80 1 οὐ μέντοι γε εἴδεος οὐδὲν ἐδέοντο χρηστοῦ,
εἰδ' ἂν —
✱ 9 τὸ δ' αὖ χρ —
29 εἴ τις ἢ καὶ αὐτὸς —
81 20 μόχθον — ἄφες) Non capio, quid hoc
ſibi velit. Si nuntiaſſet *Tomyris Cyro*,
abſtineret ab inutili labore pontis ſtru-
endi; ſe ipſam cum ſuis fluvium tra-
jecturam, & ipſum aggreſſuram, eſſe;
bene haberet oratio. Iam vero traii-
cit membra: iubet Cyrum abſtinere a
labore ſtruendi pontis, & in terram
Maſſagetarum venire. Atqui facere hoc
nequibat, Araxi non inſtrato ponte. Ut
maximi quoque ſcriptores omnes vitiis
ſuis laborant; ita videtur etiam *Hero-
dotus*, dum ſimplicitatem & naturalem
quandam, non artificioſam, non affe-
ctatam, & quaſi negligentem ſui, oratio-
nem affectat, in vitium ſenibus & ple-
beiis familiare paſſim incidere, id eſt, in
ſermonem deſultorium & turbulentum.
Aut ſ.d.v. l. aut leg. τόδε δ' οἱ ὁ δαίμων, *hoc
autem ipſi præſagiebat dæmon.*
82 17 Inſolentior dictio ῥεῖ διὰ καθαροῦ debet
accipi pro ῥεῖ καθαρὸν, aut ῥεῖ μετὰ
καθαρότητος. *Effluit purum & paludi-
bus non inquinatum.* Conjiciebam ali-
85 11 quando ῥεῖ διὰ Καυκάσου.
14 Rurſus d. v l. ſ. Nam Græcum (ſi be-
ne memini) non eſt ἀμείβεται οἱ. Non

dati-

Pag.	lin.	
		dativum, ſed accuſativum, regit ἀμείβεσθαι τινα.
86	30	Aut κορέω, aut ἐκόρεσα.
	44	᾿ γα᾿ ὦδε. Vulgata tamen ſæpe recurrit.

Liber II.

Pag.	lin.	
88	ant	S. d. v. l. μηδένα.
89	15	τί non eſt *quippiam*, ſed *quidnam?* quinam homines *quamnam rem Becos appellarent.*
	18	ἅτε καὶ τοιοῦτῳ.
	34	νομίζων ᾿ πάντας.
91	12	μακρότατον κως. ἐγὼ ἐπ —
	18	τρόπον, τὸν καὶ
92	28	Diſtingu. Χωσθῆναι ἂν. Κοῦ (*ubi? qui? quomodo?*) γέ δὴ — οὐκ ἂν χωσθείη κόλπος —
	38	Comma locandum poſt πρὸς δέ. Constructio hæc eſt: πρὸς δὲ, *prætereaque*, ἰδὼν (id a communi repetendum) *videns* ego τὴν Αἴγυπτον προσεικέλην οὔτε τῇ Ἀραβίῃ χώρῃ, *neque Arabicæ terræ ſimilem eſſe, cui conterminat.*
	40	᾿ μὴν. Forte vitium typographicum eſt μὲν.
93	12	Dictiones ἡ χώρη κατὰ λόγον ἐπιδιδοῖ εἰς ὕψος & ἀποδιδοῖ τὸ ὅμοιον, εἰς αὔξησιν, eſt mera tavtologia, non *Herodoto* tamen, ſed librariis, imputanda. Videtur *Herodotus* ſcripſiſſe ἢν οὕτω ἡ χώρη αὕτη κατὰ λόγον ἐπιδιδοῖ ἐς ὕψος, καὶ τὸ

Pag. lin. ἔμοιον ὁ ποταμὸς οὐκ ἀποδιδοῖ ἐς αὔξησιν. *Si regio hæc ſemper æquali proportione altior & altior fiat, fluvius autem non item debitum & proportionate æquale incrementum ipſi præſtet.* Αὔξησις eſt fluvii, cujus undæ altius creſcunt. Ejusdem eſt ἀποδιδόναι, *debitum*, quod terra flagitat, *incrementum* & inundationem *præſtare*, & *paria paribus reddere*, terræ ἐπίδοσιν, *elevationem altiorem*. ſua αὐξήσει, *accretione. adſcenſione*, ἀποδιδόναι, *compenſare*, coæquare.

95 14 τὸ ἐγὼ ὁμόψηφον τῇσι —

15 περ. Αἴγυπτον) f. παρὰ Λιβύων.

38 Rectum erat πελάτας.

41 Aut ὁ del. aut deeſt verbum πληθύνει, aut ἐπανέρχεται, vel ſimile.

96 26 F. τὰ ὦν τεκμήρια, πολλὰ (ἀνδρί γε — ἐόντι) ὡς — Conf. *pag. 105, 24.*

97 13 ψυχρῶν) f. χλιαρῶν. Quomodo enim in calentiſſimis regionibus obtinere dicantur venti frigidi?

38 Comma poſt οὐρανοῦ delendum. Τῇ pertinet ad οὐρανοῦ, *ea parte cœli.*

98 20 Ita diſtinguo & lego hunc locum: οὗτος μὲν δὴ ὁ γραμματιστὴς (εἰ ἄρα ταῦτα γενόμενα ἔλεγε) ἀπέφαινε (ὡς ἐμὲ κατανοέειν) δίνας τινας ταύτῃ — παλιῤῥοίην, δι' ἅ, (vel δι' ἅς,) ἐμβαλόντος &c. *Hac igitur ratione ſcriba (modo narraverit, quæ vere contigerunt, & ſunt), clare indica-*

Pag.	lin.	
		dicavit, (quantum ego quidem video,) ibi eſſe validos vortices, & undarum, in ſeſe ruentium, colliſionem, ob quæ, cum undæ montibus allidantur, nequeat funiculus cum plumbo exploratorius deſcendere.
98	39	ἀπίξεαι.
99	15	Æthiopice non intelligo, ideoque non novi, quatenus hæc lingua cum Arabica conveniat. At in Arabica ſane notat *Aſcham ſiniſtrum, a ſiniſtra ſtantem.*
	36	τῶν δὲ, *horum vero.*
	42	Mallem ἐξέλοντας. Vid. ſupra *pag. 15, 14.*
	ant	ῥεύματος. τοσοῦτοι —
100	3	μὲν prodit lacunam. Forte ſic reliquit *Herodotus.* Ἄλλα τὰ μὲν ἤκουσα Αἰγυπτίων, ταῦτα ἦν. τάδε δὲ ἠκόρουσα ἀνδρῶν Κυρ — *Tantum ab Ægyptiis quidem audivi, hæc autem a quibusdam Cyrenais.*
	21	ἧ (*ubi*) τελευτᾷ τὰ τῆς Λιβ —
	25	ἐπὶ rectum erat, neque debuerat mutari. Comma poſt ἀνθρώπων præterea delend.
	39	ἄνδρας μικροὺς) videntur Arabibus celebratum genus *Naſnas* eſſe, de quibus multa fabulantur.
101	8	ὁ Νεῖλος, μέσην —
	21	περὶ δὴ τοῦ ῥεύματος.
	31	S. d. v. πλέω.
103	7	ἴδηται) nempe ὁ ἐπὶ τοῦτο τεταγμένος ἱρεὺς, quod a communi repetendum e ſequentibus.

Pag lin.

103 11 εἰ κατορᾷ τι τῶν — *num conſpiciat ſignum aliquod.*

104 43 ὅσοι δέ. Redit hoc δὲ ad præcedens μὲν *lin. 37.*

105 1 Aut προσχέθη in *Aor. 2*, aut προεσχέθημ in præter. paſſ. Requiritur enim tempus præteritum *coram ſe tenuiſſe*, (ob ſequens ἐπιδέξαι, *monſtraſſe*,) non præſens *coram ſe tenere.*

6 Φωνὴν — νομίζοντες) Mallem Φωνῇ. Amant enim, Græci νομίζειν, eo quidem ſenſu, non tam cum accuſativo jungere, quam cum dativo, & ſubintelligendum in talibus omittunt χρᾶσθαι. *Sanciunt lingua*, vel *ſermone*, nempe *uti.* Ita quoque νομίζουσι θεοῖς, *ſtatuunt*, & in ſtatutis uſuque & cultu habent, tales, vel tales, *deos*, νομίσμασι, νόμοις, θυσίαις, ἐπιτηδεύμασι, &c. in quibus omnibus χρᾶσθαι ſubintelligitur. Conf. *108, 40.* Proſtant tamen exempla in contrarium. vid. *p. 323, 40.*

10 τὰς δὴ κριὰς. —

105 15 τύπτονται — τὸν κριὸν) Offendebam aliquando ad hanc dictionem, & putabam, legendum eſſe κόπτονται. Sed, cum pervenirem ad locum *Cap. 61, pag. 111, 44*, ibique notata à *Gronovio* legerem, (quamvis ea multis verbis parum dicant,) intellexi tamen, præſertim è loco, quem ibi citat, *Cap. 132* huius *Libri*, *pag. 139, 7*, (nam ceteri omnes controverſi ſunt, aut nihil probant,) veteres Græcos

pari

Pag. lin. pari modo atque κόπτεσθαί τινα dixerunt, ſeſe *ob aliquem, alicuius lugendi cauſa, plangere atque lacerare*, ita quoque dixiſſe τύπτεσθαί τινα, *ſeſe ob alicujus luctum verberare, flagellare.* Analogia ſane eſt eadem. Ergo non male quidem fecit *Gronovius*, quod *pag.* 111, 44, τόνδε e ſuo Codice recepit pro vulgato τῶδε, ſed & vulgaris lectio idem dicit. Utrumque notat, *cuius in honorem & luctum ſeſe verberant.*

105 34 ἐχρέωντο, πρὶν καὶ ἦσαν —

35 F. ὡς πέπυσμαι τε.

42 F. τῶν καὶ Ἡρακλέα ἕνα νομίζουσι. Θέλων δὲ —

106 2 μέγα φῶς.

107 22 τῦ αὐτῦ χρόνῦ τῇ αὐτῇ —) verba valde obſcura, quæ non percipio. Quid? ſi legamus: τῦ μὲν ἄλλυ χρόνυ ἕ, τῇ δὲ σελήνῃ τῇ πανσελήνῳ.

35 Cogitabam aliquando ὑπ' ἀθηνείης βίυ. Ut Græci frequenter vocem εὐθήνεια, bonus rerum omnium ſtatus, proſperitas, vigor, ita procul dubio habuerunt quoque vocem ἀθήνεια oppoſitam illi, infelicitas, miſeria, quando annona, mercimonia, valetudo, jacent. Venit a θήνειν antiquo, *florere*, ut θήλειν. Nunc tamen damno eam conjecturam. *p.* 119, 47. νεύοντα. Eſt quoque χοίρων probum.

44

108 33 τῶν δὲ diviſim, *quorum vero* —

Pag.	lin.	
108	42	F. poſt Αἰγυπτίων deeſt μαθόντες, aut παραλαβόντες.
109	10	τά) f. ὅς.
	32	& 43 ſ. d.v. l.
110	27	δοκέει.
	31	ἀμφιπολέσασιν.
	32	Mallem cum vulgaribus libris ἔνθα. Solet quidem interdum δ' in concurſu vocalium interſeri, euphoniæ gratia, nihil omnino ſignificans; verum hic efficeret anbiguitatem in ſenſu. Ἔνθα & ἐνθάδε non idem notant.
112	4	Sal quid ad lampades faciat, & ad lucendum, non video. Forte στέατος, *acetabula*, (vel *cymbia*) *plena partim adipe, partim oleo.*
	16	Neceſſarium eſt δὲ ob præcedens μὲν
113	9	ἐοῦσα μὲν Αἰγ —
115	1	Neſcio, quid ſint ἀρτήματα λιθινὰ χυτά. Videtur in ultima voce vitium latere; f. ἀργυρᾶ, *inaures e gemmis, ex argento, & auro.*
	41	ἐστὶ δὲ τῷ ἐν —
116	*pen*	Comma non ante, ſed poſt, μάλιστα locandum. Pertinet enim ad ἀνθρώπων πάντων, *hominum omnium maxime*, magis, quam ulli alii homines, *exercendo memoriam ſunt ſapientiſſimi.*
117	21	τῆσι εὐδαίμοσι.
	30	Videtur *Herodotus* ſic ſcripſiſſe: ἐπικτέωνται. τοῖσι ἄλλα τε ἀπηγήσιος ἄξια ἔνεστι,

καὶ

Pag.	lin.	
		καὶ δὴ καὶ — Vulgarium librorum lectio (comparative) melior eſt *Grónoviana*, quæ manum *Herodoti* prorſus offuſcavit.
118	41	ἀπεζωσμέναι, *diſcinctæ*, *abſque cingulo*; & ſic quoque ſtatim poſt ἀπεζωσμένοι.
119	7	μισθὸν.
120	8	Miror, qui conſpici mortuus queat, quem crocodilus rapuit. Non ſane ſolet illud animal ſponte omittere, quæ corripuit ſemel; neque abigi a præda, quam ſemel dentibus arripuit & necavit, ſed, verſum quamvis in fugam, cadaver tamen ſecum rapit. Et, ſi vel maxime pateretur ſe a cadavere ſemeſo in terra interventu hominum abigi: quod fieri poteſt; non tamen concipio, quomodo extrahi queat ex undis cadaver, ab eo raptum. Atqui *Herodotus* ait ἐξενεχθῆ. Videtur hic canon ille hermenevticus adhibendus eſſe, qui docet, ſæpe a veteribus unum prædicatum duabus diverſis rebus adiungi, quarum illud uni tantum, aut priori, aut poſteriori, quadrat. Ἐξενεχθῆ quadrat tantum in homines, ab ipſis undis ſuffocatos; εὑρεθῆ quadraret in homines, quos crocodilus in terra ſemeſos reliquit.
121	14	Verba ἐστὶ δὲ ἡ ῥίζα — ἐδωδίμη parentheſios ſigno includenda ſunt. Sequens enim ἐὸν στρογγύλον nequit ad *radicem loti* redi-

re.

Pag.	lin.	
		re, ſed redit ad *illud* τὸ ἐκ τȣ̃ μέσȣ &c. *quod eſt in medio loco, papaveri, aut pomo, ſimile.*
121	28	Hæſitavi aliquando ad hunc locum, ignorans, quid eſſet κλίβανος διαφανὴς & Latini interpretis *furnus luculentus*, donec incidi in locum Noſtri *IV*, 73, *pag.* 245, *lin.* 17, ubi integra dictione λίθȣς ἐκ πυρὸς διαφανέας, ubi Latinus iterum ſubobſcure *lapides ex igne pellucidos.* Sunt *lapides igniti*, *igne candentes*; & ſic quoque in hoc præſente, quem tractamus, loco eſt *furnus pellucidus*, *teſta ex igne tota candens.*
123	28	F. ἐςὶ δὲ ȣ̓ τῇδε ἔτο:, *ordinaria autem navigatio illuc non fert.*
	46	καὶ, quod *Gronovius* invexit, demonſtrat lacunam. Neque repudiandum eſt. Sequentia monſtrant, quid ſcripſerit, certe ſcribere voluerit, *Herodotus*. Non commemorabo interpretes, rixantes, quid hic notet ἀπογεφυρῶσαι. Cum umbra pugnant. *Herodotus* (ut mihi quidem certe perſuadeo) ſcripſit ἀπό τε θυρῶσαι τὸν ποταμὸν καὶ κτίσαι τὴν Μέμφιν. *Et, oggeſta mole, velut foribus oppoſitis, ab introitu ſui antiqui alvei fluvium excluſiſſe, & Memphin condidiſſe.* Sæpe Τ & Γ, item Θ & Φ, permutari in Codd. MSS. res nota eſt. Ἀποθυρȣ̃ν autem (quod *Herodotus* hic loci pro more ſuo ele-

Pag. lin. elegantet diviſit) eſt ἀποκλείειν. Iam luculentam habebit auctoritatem verbum ἀποθυρῶν, quod in Lexicis, præter *Heſychium*, Auctorem nullum habet. In ipſo autem *Heſychio*, qui gloſſam exhibet ἀποθυρώμενος, ἀποκεκλεισμένος, ab interpretibus præteritur.

123 47 πάντα] Non video quid hoc ſibi velit prædicatum. Forte πάλαι, aut τὸ πάλαι, πρὸ τοῦ. Si retineatur πάντα, eſt manifeſta contradictio. Nam paullo poſt memorat ἀγκῶνα, *brachium*, rivum aliquem lateralem Nili. Atqui, ſi canalem habuit Nilus lateralem, non omnis (πᾶς) præteriit τὸ ὄρος τὸ ψάμμινον. Forte tamen rectum eſt πάντα, & vitium non in eo, ſed in προχώσαντα, eſt, legendumque προχώσαντα, *effoſſum a ſe canalem prius aggeſta ab utroque latere humo firmavit & communivit, antequam Nilum in eum canalem derivaret*. Verum obſtat rurſus ſequens vox ἀπεργμένας, quæ clare indicat, προσχώσαντα rectum eſſe, & notare *aggeſta humo opplere*. Quicquid ſit, habet hic locus, ex quibus ego equidem me non expedio. Viderint me acutiores, quomodo tricas has ſolvant.

124 4 ἀπεργμένος ῥέει.] Hoc cum ſana ratione pugnat. Qui enim fluat, id eſt, aquam vehat & tranſmittat, canalis, terra oppletus?

Pag. | lin. | tus? Leniſſima huic loco medicina erit ἄπ. οὐ ῥεῖ, *non fluit*, legit.

124 10 Τοῦτον (regem Menam) μὲν ὦν ἐν αὐτῷ.

19 Diſtinguendum & leg. ſic: ξυνέματα, ἐν τοσαύτῃσι γενεῇσι ἀνθρώπων. τῶν ὀκτωκαιδεκα— *recenſebant 330 regum nomina, qui per totidem hominum ætates regnaverint. Quorum regum octodecim quidem fuerint* —

29 καμνεῦν] Ita non ſcripſiſſe *Herodotum*, bene novi; non item, quid ſcripſerit. Forte κλινῶνα, *ædificium pro ibi collocandis lectis, & pro ibi cubando*, vel *dormiendo.*

38 λαμπρότητας.

125 8 Poſt τῶν excidit aliquid, f. τῶν ἐκεῖ, aut ἐκείνῃ, aut κεῖθεν, aut τῇδε, aut ἐπιχωρίων.

11 Aut μαχομένοισι legendum, aut περὶ delendum. Non enim (ſi bene memini) γλίχεσθαι περὶ τινὸς dicitur. Conf. *Dio Chryſoſt. pag.* 661, *D*, 3,

23 Aut πρόσω, aut προσωτέρω.

126 12 Male intruſit *Gronovius* καὶ, quod vulgatæ ignorant. Verum in poſterum parcior in his talibus notandis ero, cum & alia dicenda ſatis multa habeam, & peritus Græcæ linguæ lector quiſque lectiones veteres & novam *Gronovianam* facile diiudicare ipſe poſſit. Nolo committere, ut meorum & *Herodoti* lectorum ingenio diffidere videar.

ὤμοι-

Pag.	lin.	
126	32	ὤμοισι] putem ὅπλοισι, niſi potius ὤμοισι pro βραχίοσι poſuerit.
127	22	Offendit me aliquando dictio πλατυτέροις ὕδατα, & coniiciebam παχυτέροισι, *denſioribus*, (ut Interpres dedit,) id eſt, *craſſis, faculentis, aquis*. Habet tamen illud quoque *Aretaus Cappad. I, 14, Chron.*
128	47	ὅτι οἱ ξεῖνος —
	48	ὅσα γὰρ ἄλλα αὐτῆς (id effici debet ex vulgata ἄλλης, cuius vel veſtigia *Gronovius* delevit,) Ἀφροδίτης &c. Retineo quoque οὐδαμᾷ.
129	13	Credo, vitium typographicum eſſe ἀπιστέαται, pro ἐπιστέαται, id eſt, ἐπίστανται.
130	5	Incuria typothetarum migravit παρὰ in locum non ſuum. E notis *Gronovii* (qui locum hunc bene, quod raro ipſi contigit, reſtituit & expoſuit,) intelligitur, illam præpoſitionem poſt ἐργάσαο locandam eſſe.
	7	οἴχεαι λεχέων ἐκκλέψας, *ex intimis domus penetralibus, e viri cubiculo, effurans.*
	21	F. δηλοῖ καὶ τὰ ἐποίησε ἐν Ἰλιάδι (καὶ γὰρ οὐδαμῇ ἀνεπόδισεν ἑωυτὸν) &c. *Et ea, quæ in Iliade finxit, (nuſquam enim retractavit,) ſignificant errores Alexandri — & ea, quæ in Odyſſea* — quæ deinceps allegantur.
131	25	μὴ δὲ diviſis vocibus legendum, aut μὶν leg. *ſe ipſos*. Conf. *pag. 157, 44.*
132	13	ἔτεα ἢ δύο proba eſt lectio, quam *Gronovius*, cum non perciperet, corrupit.

τέ-

Pag.	lin.	
132	15	τούτων δὴ τοιούτων.
	19	οὐ μὴν οὐδέ.
133	11	τὰ μέτρα ſuſpectum. Non enim eſt probabile, lapidem illum exemtilem fuiſſe diverſum a ceteris quoad magnitudinem; neque ſufficiebat ad illum agnoſcendum, ipſius menſuram noſſe; debebant quoque locum eius ſcire. Malim ergo τὰ τεκμήρια legere, *indicia.*
134	26	ἐπιδοῦναι αὐτοῖσι ἄλλους καὶ ἄλλους τῶν ἀσκῶν.
	38	τὴν δὲ ὦν θυγατέρα
136	13	τελέων] F. πακτέων, aut potius πασέων.
	23	λίθους ἐς τὴν ἔδειμαν, *decem annos inſumſiſſe in via, per quam trahebant lapides ad illam usque pyramidem, quam debebant condere.*
	25	τῆς] Neſcio, ad quid hoc *cuius* redeat. Ad pyramidem redire non poſſe, liquet. Paullo poſt enarrat menſuram pyramidis; &, quam hic tradit menſuram, ea pro pyramide admodum minuta eſt, & aliquo modo prorſus non congrua. Non enim pyramides ſtadiis menſurantur. Videtur itaque ad ὁδὸν, *viam*, quam illos per montes, per ſaxa, ſibi aperuiſſe, neceſſe eſt.
	29	ταύτης.
137	5	τὰ ἀνώτατα] Hoc cum præcedentibus, & cum ipſa ſana ratione, pugnat. Loco huic medelam non invenio.

δὲ

Pag.	lin.	
137	42	δι' ὑποδομημένε δὲ αὐλῶνος ἐσιὼν νῆτον περιῤῥέει, *per curvum & anguſtum conductum*, vel *meatum*, *fabrefactum vero intrans* (nempe Nilus) *circumfluit inſulam, in qua &c.* Videtur αὐλὼν & διώρυξ idem eſſe. Propterea dicit *Herodotus* δι' αὐλῶνος οἰκοδομημένε, *per canalem fabre factum* id eſt *opere cæmentario factum.* Alias erant αἱ διώρυγες tantum foſſæ, e quibus terra egeſta. Et διώρυξ quoque forte latior fuit, quam αὐλών.
	44	Nominativi ὑποδέμας & ſequens ὑποβὰς non habent verbum, a quo regantur. Unde patet, locum & corruptum & lacunoſum quoque eſſe. Non ergo mirum, ſi ſanus inde ſenſus extundi nequit. Ego quidem eum non expedio.
138	16	ἐπὶ (pro ἐκ).
138	29	καταπεκριμένων. Editum videtur vitium typographicum eſſe.
140	16	ὡς εἶναι κατὰ Ῥοδῶπιν.
	17	οὐκ ὡς diviſis vocibus.
	24	τοῦτο δ' ἀναθεῖναι
	46	ἐγγεγλυμ —
147	4	Non capio vim vocis ἀπάσης.
	9	πατρῴω τάφω) Atqui Ægyptii non habebant πατρῴους τάφους, ſed defunctos ſuos, balſamis conditos, & ciſtis incluſos quæ hominum ſpeciem referrent, reponebant in cubiculis ſuis, ut ſem-

per eos in oculis haberent. Conf. tamen *pag.* 154, 23.

140 20 F. τὴν ἀπαλλαγὴν *Tandem vero diſceſſum Æthiopis hoc modo contigiſſe.*

143 1 παραχρησάμενον τὸ τῶν μαχίμων (ſubintell. πλῆθος.)

9 Si retinetur ἀπειλημμένον, debet ἐς ἀπορίην accipi pro ἐν ἀπορίῃ. Alias delendum erit unum μ, & derivandum verbum ab ἀπειλεῖσθαι *devolutum in conſilii inopiam.*

20 Diſtinguo & lego — ἀνθρώπους. ἐνταῦθα ἀπικομένους. *Illuc cum veniſſet*, Setho ſcilicet. Vel potius ἀπικομένοις τοῖσι ἐναντίοισι ἐπιχυθέντας. *Illuc delatis hoſtibus ſuperfuſos* &c. Perperam repetitum fuit αὐτοῖσι e fine præcedentis vocis.

25 γυμνῶν ἀόπλων) Si ita ſcripſit *Herodotus*, aggregari hoc debet tautologiis veterum, quorum exiguum aliquod ſpecimen in Animadverſionibus ad Petronium dedi. Malo tamen cum vulgaribus libris ὅπλων legere, quamvis γυμνὸς per ſe tantumdem atque γυμνὸς ὅπλων valeat.

46 ἀναπῆλαι, *reſiliiſſe*, ſolem e ſedibus ſuis, velut pila in murum illiſa ἀναπάλλεται, *reſultat.*

144 6 ἀναδήσαντι τὴν πατρίην ἐς ἑκκαιδέκατον θεὸν) Notat hæc dictio paullo rarior, ſed elegans, *religare ſuum paternum genus*

Pag.	lin.	
		nus a deo decimo ſexto, (ita ad verbum) idem atque *decimum ſextum ſuæ gentis avum dicere fuiſſe Deum.*
144	18	F. ἐπὶ πολὺ (vel πλέον) *multo plures, quàm Hiſtiaus, enumerabant generationes.*
	25	εἰ (vel οἱ δὲ) δὴ ὧν, τῶν αἱ εἰκόνες ἦσαν, ἐκγόνους *Hi ergo eorum, quorum illæ imagines erant, nepotes* (ſeu *poſteros*) *ſe omnes eſſe declarabant hac ratione, nihil autem quidquam ſe ad Deos ratione generis pertinere.*
145	17	F. καὶ τούτους καὶ ἄλλους *& hos* (*Bacchum, Herculem, Panem.*) *& alios* (*Caſtorem, Pollucem, Æſculapium,* &c.)
146	41	F. ἴσα, *pariter atque.*
147	8	ἐστὶ ταύτῃ (ſcil. χώρα).
	pen	F. ἐφόρεον, οἵ τε βασιλέες, *& omnes* (vulgus omnis) *& reges quoque gerebant calanticas,* ad formam galeæ factas, qualem eſt conſpicere in illa elegante tabula, quam *Gronovius Herodoto* ſuo dignam judicavit. Pro qua ſi tabulam geographicam dediſſet ad *Galei* exemplum, melius profecto lectorum uſibus conſuluiſſet.
148	45	Aut una voce ſcribendum δυωδεκαπηχέες, aut πήχεες idem atque παχέες erit, eo modo, quo τρηχὺς pro τραχὺς & ſimilia dicuntur.
149	10	καὶ Βουβάστιος.

Pag.	lin.	
149	13	κατaίνιστε.
150	20	Punctum poſt Δήμητρος collocandum, & tum τὴν δὴ νῆσον leg. Nulla alia de cauſſa citat *Herodotus. Æſchylum*, quam *quod Dianam Cereris filiam fecit*. Sequentia ad eum non ſpectant.
156	14	κατέφησαν. Conf. *pag. 243, 17.*
	26	καὶ aut εἴκοσι & abeſſe & adeſſe æqualiter poteſt. Ciccum non refert. Si adeſt abundat in ſenſu; & ea ratione ante numeros ſæpe amat adhibere *Ælianus* in *Hiſt. Vnimal.* & alii.
157	17	Præter illud invectum recens, βεβιῶνται ineptum eſſe, noto, μὴ δὲ diviſis vocibus ſcribi debere. Forte ſcripſerit *Herodotus* ὅθεν οἱ βιῶνται, *unde ipſi vivatur*, id eſt *vitæ præſidia ſint*.
158	44	μή μιν *ſe non ſponte ſua illuc veniſſe* conf. *pag. 131, 25.*
	4	πλανώμενοι οἵδε, οἱ Δέλφοι.
	21	Credo, vitium typographicum eſſe ἀπολωλέναι pro ἀπολ —

VI.

IO. CHRISTOPHORI STRODTMANNI,

VELAVIA-PORUSSI,

SYLLOGE NOVA, EAQUE PRIMA, DIFFERENTIARVM GRÆCARVM.

I. Di

I.

Diverſa ſunt *ἀναφαλάντωμα* & *φαλάκρωμα*. Ἀναφάλαντος & ἀναφαλάντωμα ſignificant *calvicium in ſuperciliis*, φαλακρὸς & φαλάκρωμα autem *in ipſo* a) *capite*. Ita enim Ariſtoteles *Hiſtor. animal. Lib. III Cap. XI*: ἡ μὲν οὖν κατὰ κορυφὴν λειότης φαλακρότης καλεῖται, ἡ δὲ κατὰ τὰς ὀφρύας, ἀναφαλαντίασις. *Lævitas, ſeu calvities, verticis vocatur* φαλακρότης, *ſuperciliorum autem* ἀναφαλαντίασις. Videatur Cel. *Reimari Diſſert. II. de differentiis vocum Hebr.*, ubi *pag. 3 docet, LXX interpretes* τὸ קָרֵחַ φαλακρὸν, τὸ גִּבֵּחַ ἀναφάλαντον vertere.

II. Inter ἀρτιγενεῖς & ἀρτιγεννήτους Græci ita diſtinguunt, ut ἀρτιγενεῖς ſint *pubeſcentes*, ἀρτιγέννητοι *recens nati*. Ita voce ἀρτιγέννητος utitur *Lucianus* in *Alexandro*. Ipſe, φέρων, inquit, ἅμα καὶ τὸν ἀρτιγέννητον Ἀσκλήπιον. Idem in *Deorum dialogis*: αὐτήν τε, καὶ τὸ βρέφος αὐτῆς ἀρτιγέννητον, pro quo alibi νεόγονον & ἀρτίτοκον dixit, de furto *Mercurii* adhuc infantis agens, qui, quum id ætatis eſſet, fertur etiam teſtudinem, id eſt, chelyn fabricatus in cunis. *Appianus* in *Libyca hiſtoria*: διέπλευσεν ἐς Σικελίαν ἔχων ἀμφ' ἑαυτὸν ἀρτιγενεῖς ἐπιλέκτους τριακοσίους. *Navigavit in Siciliam, habens ſecum trecentos puberes electos iuvenes*. Ubi ἀρτιγεννήτους dicere non potuiſſet. Confer *Grævium* ad *Luciani Soloec. pag. 42 ſeq.*

a) Phalacræ ſunt glabri montes, qui plantas gignunt nullas. *Hadrianus Relandus Palæſt. I, 12. p.* 68 *I. G. H.*

III. Differunt δικαίωμα & δικαιοπράγημα. *Ariſtot. Ethic. Nicom. l. V. c. 10.* ὁμοίως δὲ δικαίωμα καλεῖται δὲ καὶ τὸ κοινὸν, μᾶλλον δικαιοπράγημα. Δικαίωμα δὲ τὸ ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος. *Simili modo ſe habet* δικαίωμα, *iuſtitia exercita facto. Id vero facti genus, ſi in amplitudine tota ſpectetur, potius vocatur* δικαιοπράγημα, *iuſta actio.* *) *At nomine* δικαιώματος *vocatur correctio facti iniuſti.„* Ita locum recte convertit *Guſſetius* in *Lexico Hebr. p. 882* & paullo poſt ſic illuſtrat amplius, quod τὸ δίκαιον ſit καθόλου univerſalis notio virtutis, qua iuſtum eſt iuſtum: in exercitio autem & in unoquoque actu deſignando adhibeatur tum nomen δικαιοπράγημα, ſi illud exercitium ſpectetur, ut ſit in tribuendo cuique iure ſuo poſitum, etiam ubi accipienti commodum eſt: tum vero δικαίωμα, quando peculiariter agitur de accipiente pœnis iuſtis afficiendo, ad ſatisfactionem *b*) pro delicto." Hinc idem *Guſſetius Rom. V, 18* δικαίωμα vertit per *ſatisfactionem iuridicialem.* Hæc vocis δικαιώματος notio ſi teneatur, apparebit, quomodo voces δικαίωμα, δικαι-

*) Alias vocatur δικαιοπραγία. *Julius Pollux IV,* 1, *pag.* 174. *VIII,* 11. *pag.* 378 *Francof* 1608, 4.

b) Iura vel legibus, vel conſuetudinis exercitio, introducta, vocantur δικαιώματα apud *Dionem L. XXXVII, pag.* 59, & *L XXXVIII pag.* 72, tum a parte ſuperioris, tum reſpectu eius, qui iura, illa ſervare debet ſub ſpe præmii, vel ob metum pœnæ. Qui illo iure excidit, in eum, legi obnoxium, cadit κατάκριμα *Rom. V,* 16, 18; Ita evaneſcit omnis, ni fallimur, difficultas. I.C.H.

δικαιοσύνη, & δικαίωσις *Rom. V. 16—18.* a ſe invicem different. Δικαίωμα eſt *ſatisfactio* Chriſti, ſeu obedientia, tam activa, quam paſſiva, quæ poſterior per vocem ὑπακοὴ inprimis indicatur; δικαιοσύνη eſt *meritum Chriſti, morte eius partum, quod ſi de nobis applicatur*, conf. *Rom. III. 22*; δικαίωσις denique eſt *actus ipſe iuſtificationis*, quæ ex ſatisfactione Chriſti, fide adprehenſa, conſequitur. Vid *Wolfius Cur. Philol. T. II pag. 100.* Aliter de hac differentia diſſerit *Iacobus Laurentius* in *Explicatione difficilium in epiſtolis Paulinis p. 198.* „Tribus diſtinctis „vocabulis, ſcribit, utitur *Paulus* in materia no„ſtræ cum Deo iuſtificationis. Unum eſt δικαι„οσύνη *Rom. I, 17, III, 21*, & interpretatur proprie „idem, quod *iuſtitia.* Alterum δικαίωσις *Rom V,* „*18*, & interpretatur proprie idem, quod *iuſtifi*„*catio*; tertium eſt δικαίωμα *Rom. V, 16*, & in„terpretatur proprie idem, quod *ius* & *poteſtas*, „*quam quis habet vel in aliquem, vel aliquid fa*„*ciendi*, ut *Rom. I, 32.* ubi dicitur, hoc eſſe *ius* „*Dei*, τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, eos, qui talia faciunt, „dignos eſſe morte. Sed & δικαιώματα vocantur „generatim omnia *præcepta legis*, ac *mandata Dei*, „ut *Luc. I, 6*, & *II, 26.* Hæc ipſa vero tria vo„cabula in materia noſtræ iuſtificationis manife„ſte ab Apoſtolo confunduntur; &, quemadmo„dum δικαιοσύνη ſumitur pro δικαιώσει *Gal. II, 21*, „& *III, 21* ita quoque ſimiliter δικαίωμα pro δικαι„ώσει. *Rom. V, 16.*„ Hæc *Laurentius.*

IV. Εὐγενὴς & γενναῖοις ſecundum *Ariſtotelem* diſtincta ſunt; ita enim *Rhetor. II. c. 15.* ἐςὶ δὲ,

εὐγενὲς μὲν, κατὰ τὴν τοῦ γένους ἀρετήν. Γενναῖον δὲ, κατὰ τὸ μὴ ἐξίςαϑαι ἐκ τῆς φύσεως. Monet tamen Cel. *Geſnerus Chreſtomathiæ Græcæ pag. m.* 177, γεννᾶιον *generoſum* nonnunquam, neque tamen ſemper, ita accipi. Secundum *Ariſtotelis* diſtinctionem εὐγενὴς *quis dicitur propter virtutem familiæ.* γεννᾶιος *autem is eſt, qui a natura non degenerat, ſeu aberrat.*

V. Εὐωχία & κῶμος non ſunt eadem. *Clemens Alexandrinus Lib. II. Pædag. c. 4 pag.* 163 ed. *Colon.* 1688. *fol.* —Ἀπέςω δὲ ἡμῖν τῆς λογικῆς εὐωχίας ὁ κῶμος — ὁ μὲν γὰρ ἐςι μεθυςικὸς αὐλὸς, ἄλυς ἐρωτικῆς σχεδίας, τῆς ἀδημονίας ὁ κῶμος. *A convivio rationali abſit comiſſatio.* —— *Eſt enim hac comiſſatio, tibia c) inebrians: navis tumultuarie conſtructa impotentia.* Κῶμος igitur in malam partem accipitur. De verbo εὐωχεῖσθαι e contrario *Xenophon Memorab. Socrat. lib. III c.* 14. ita: ἔλεγε δὲ καὶ ὡς τὸ εὐωχεῖσθαι ἐν τῇ Ἀθηναίων γλώττῃ ἐσθίειν καλοῖτο. Τὸ δὲ εὐ προσκεῖσθαι, ἔφη, ἐπὶ τὸ ταῦτα ἐσθίειν, ἅτινα μήτε τὴν ψυχὴν, μήτε τὸ σῶμα λυπείη, μήτε δυσεύρετα εἴη. ὥςε καὶ τὸ εὐωχεῖσθαι τοῖς κοσμίως διαιτωμένοις ἀνετίθει. *Aiebat etiam, verbum* εὐωχεῖσθαι *Athenienſium lingua edendi ſignificatum habere. Additam vero eſſe vocem*

* Eandem vocis poſterioris notionem, quæ virtutem, naturæ ſuperadditam diligentia notat, ſequitur etiam *Iulius Pollux III,* 25. *pag.* 160.

c) Locum *Clemens* deſumſit, ex veteri autore, plenius legendum in *etymologico magno Frid. Sylburgii pag.* 850 *I. C. Her.*

vocem εὖ, *ut ea comedantur, quæcunque nec animam, nec corpus, lædant, nec inventu ſint difficilia. Itaque etiam verbum hoc* εὐωχεῖσθαι *moderate victu d) utentibus tribuebat.* At 2, *Pet. II,* 13, συνευωχούμενοι, malo tamen ſenſu adhibetur, ad quem locum *Raphelius* in *Annott. Xenophont.* hæc monet: *Apparet, in verbo* εὐωχεῖσθαι *lapſam conſuetudinem adeo receſſiſſe ab illa origine, quam Socrates tradit, ut, quod proprie convenit in eos, qui bene & frugaliter veſcuntur, id ad epulones voluptarios traduxerit.* Ceterum, κῶμον malo ſenſu *e*) accipi, vel exinde patet, quod μέθαι & κῶμοι ſæpiſſime coniungantur. Sic *Dio Caſſius Lib. LXV pag. m.* 734. ἐγένετο ὁ χρόνος ὁ τῆς ἀρχῆς Βιτελλίου σύμπας οὐδὲν ἄλλο, ἢ μέθαι τε, καὶ κῶμοι. *Fuit tempus omne principatus Vitellii nihil aliud, quam ebrietas & commiſſationes.* Teſtatur idem locus *Xenophontis Cyrop. Lib. VII.* Ὁ δὲ Κῦρος, ἐπειδὴ ἑορτὴν τοιαύτην ἐν Βαβυλῶνι ἤκουσεν εἶναι, ἐν ᾗ πάντες Βαβυλώνιοι ὅλην τὴν νύκτα πίνουσι, καὶ κωμάζουσι. *Cyrus vero quum audiſſet, eſſe Babylone feſtum quoddam tale, quo Babylonii omnes totam noctem biberent & commiſſarentur.* Κῶμον bonum olim habuiſſe ſignificatum contendunt *H. a Seelen Annott. in N. T. ex Plutarcho pag.* 15, & *Spanhemius*

ad

d) Conſentit Etymologicum magnum *pag.* 401, ac *Julius Pollux* in *Onomaſt. I,* 1. *n.* 30 *pag.* 10.

e) *Heſychius* : κῶμοι, ἀσελγῆ ᾄσματα, πορνικὰ, συμπόσια, ᾠδαί. Saltatio impudica ſic dicebatur, teſte *Julio Polluce IV,* 14, *pag.* 197, immo comeſſatio improba. 2 *Macc. VI,* 4. *J. C. Her.*

ad Ariſtoph. Plutum v. 1041. Conf. *C. G. Schwarzii Diſſert. de commiſſationibus veterum pag.* 7. 8.

VI. Ζυγομαχεῖν & ἐρίζειν differunt. Ζυγομαχεῖν apud optimos quosque Auctores eſt *cum hoſtibus contendere*, ſed ἐρίζειν *cum familiaribus.* Diſcimus hoc ex *Luciani Solæc.* Probat idem *Thomas:* Ὀυ δεῖ λέγειν περὶ τῦ Φίλυ, ὡς πρὸς τὸν δεῖνα περὶ τῦδε τινοις ἐζυγομάχυ, ἀλλ᾽ ἠμφισβήτυ, ἤριζον, ἐΦιλονείκυν. Τὸ γὰρ ἐζυγομάχυν ἐπὶ ἔχθρυ λαμβάνεται, ὡσαύτως καὶ τὸ ἐδικαζόμην. Ὁιον ἐδικαζόμην τῷ δεῖνι περὶ τῦδε. *Heſychus* in diverſa eſt ſententia, qui ait, hoc verbum ſignificare τὸ τοῖς ὀικείοις διαφέρεσθαι, *cum familiaribus contendere;* quo ſenſu accipi debent *Plutarchi* loca, a *Budæo* in Commentariis collecta. Proverbium tamen, quod affert *Ariſtoteles Rhetor. III,* Φιλάμων ζυγομαχῶν τῷ κορικῷ, pro *Thomæ* ſententia facit, nec non *Demoſtenes*, apud quem ζυγομαχεῖν *cum hoſte contendere* eſt. *Grævius* ad *Luciani Solæc. pag.* 84 *ſeq.* Addam locum ex *Æliani Var. hiſt. Lib. II Cap. XXI*, qui, ἐρίζειν notare, *cum familiaribus contendere*, comprobat. *Pauſanias*, amator Poetæ *Agathonis*, hæc ait: τὅτυ γῦν τῦ ἡδέος πολλάκις ἀυτῷ μεταδίδωμι, ἐρίζων πρὸς ἀυτὸν πλεονάκις. *Huius ergo voluptatis perſæpe eum participem facio, frequenter cum eo contendens.* Ab ἐρίζειν tamen aliquantum differt διαφέρειν, quod pariter amicorum eſt, ſed animo tantum *diſſidentium.* Fuit talis διαφορὰ Ἀριςοτέλυς πρὸς Πλάτωνα ſecundum *Ælianum V. H. Lib. III, Cap.* 19. λέγεται τὴν διαφορὰν Ἀριςοτέλυς

τῆλες πρὸς Πλάτωνα τὴν πρώτην ἐκ τέτων γονέϑαι. *Primum diſſidium Ariſtotelis adverſus Platonem ex his ferunt initium cepiſſe.* Prorſus ad hunc modum Galli: *un different avec aucun* vid. *Kuhnii notas ad Æl. in indice.* Διαφορὰ eodem ſenſu occurrit apud *Alciphronem Epiſt. Lib. I, 33:* ἐκ ἄν πότ' ᾠήϑην ἐκ τοσαύτης συνηϑείας ἔσεσϑαί μοι τινὰ πρὸς Εὐξίππην διαφοράν. *Haud unquam putaſſem, fore, ut poſt tantam familiaritatem naſceretur mihi aliquod cum Euxippa diſſidium.*

VII. Θύειν & ἐναγίζειν diſtinguenda ſunt. Heroes, ut inferiores divinitate ſunt habiti, ita quoque inferiores honores ſortiti. Maioribus Diis dicebatur ϑύειν, heroibus ἐναγίζειν. *Herodotus* in *Euterpe, ſeu Lib. II Cap. 44:* δοκέεσι δέ μοι ἄτοι ὀρϑότατα ἑλλήνων ποιέειν, οἳ διξὰ Ἡρακλεῖα ἱδρυσάμενοι ἐκτηνται. Καὶ τῷ μὲν ὡς ἀϑανάτῳ Ὀλυμπίῳ δὲ ἐπωνυμίην, θύεσι. τῷ δ' ἑτέρῳ ὡς ἥρωϊ ἐναγίζεσι. *Eoque mihi videntur rectiſſime facere Græci, qui bifaria Herculi templa ædificanda colendaque cenſuerunt: uni quidem ut immortali, cognomine Olympio, immolantes; alteri vero ut heroi, parentantes.* Cui non abſimile, quod a *Phæſto* refert factum *Pauſanias* in *Corinthiacis Lib. II, Cap. 10.* Hic, quum animadverteret, *Sicyonios Herculi* ὡς ἥρῳϊ ἐναγίζοντας, *tanquam heroi parentantes*, nihil ſimile faciendum cenſuit, ſed ὡς θεῷ ϑύειν, *tanquam Deo ſacrificare.* Unde hic mos poſtea apud eos inolevit, ut agnos iugulantes, eorumque femora ſuper altari adolentes, τὰ μὲν ἐσϑίωσιν, ὡς ἀπὸ ἱερείε, τὰ δὲ ὡς ἥρωϊ

τῶν

τῶ. κρέων ἐναγίζει illas partes carnis edunt, tanquam a ſacrificio, has vero tanquam heroi efferunt. Ubi diverſus in ſacrificando ritus aperte connotatur. Idem Auctor *Lib. II. Cap. XI.* Τῷ δὲ Ἀλεξάτορι καὶ Εὐαμερίωνι, τῷ μὲν, ὡς ἥρωι μετὰ ἥλιον δύναντα ἐναγίζουσι. Εὐαμερίωνι δὲ ὡς θεῷ θύουσιν. *Alexatori vero & Evamerioni, illi poſt ſolis occaſum parentant; Evamerioni vero ceu Deo ſacrificant.* Obſervavit hanc differentiam *Feithius Antiq. Homer. p. m. 88 ſeqq.* At enim vero, θύειν non conſtanter ad Deos maiores, & ἐναγίζειν ad heroas ac defunctos, referri, diſcimus ex *Thucydidis Lib. V pag. 352. Maximus Tyrius* præter hunc (diſſ. 38), & veteres apud *Euripidem* Critici (*ad Hecub. v. 529, 535,*) atque alii denique θυσίαν & θύειν de heroum defunctorumque cultu adhibuerunt. *f*) Et certe, quod *Suida* (v. Εντομίδας) τοῖς νεκροῖς θύειν, idem explanatoribus *Apollonii* (ad *Argonaut. I, 587.*) dicitur τοῖς νεκροῖς ἐναγίζειν. Vid. *M. Gottlob Erdm. Zeibichii Obſervationes ex numis antiquis ſacras, diſſert. I,* ſub præſidio Cel. *Bergeri Witembergæ 1745 habita, p. 15, 16.*

VIII. Θυρεὸς & ἀσπὶς Græcorum idem differunt, quod *ſcutum* & *clypeus* Romanorum. Θυρεὸς *ſcutum oblongum* erat, hincque Ioſephus ſcuta Romanorum etiam *g*) vocat θυρεὰς ἐπιμήκεις, ſeu

f) *Etymologicum magnum pag.* 337 conferri poteſt. I. C. H.

h) *Ant. Iud. VIII, 7, §. 2. pag. 439 ed. Haverkamp.* I. C. H.

ſeu *longa*, & *Plutarchus* in *Æmilio* ποδήρεις, *ad pedes usque demiſſos*, quando quidem totum hominem abſcondebant, paullulum ſi ſe incurvaret, *Polybius* pariter ſcuta Romanorum ſemper θυρεὲς, nunquam ἀσπίδας vocat, nec aliter *Dionyſ. Halicar.* & *Plutarchus*. Ασπίδας contra *Homeru* ἐυκύκλες, i. e. *rotundos*, appellat. Ab *Aldo Manutio* notatur *Lib.* 2 *Ioannes Laſcaris*, quod θυρεὸν *clypeum* vertat. Iudicibus *Thoma Magiſtro* & *Phrynicho* idonei auctores θυρεὸν in ſignificatu ἀσπίδος nunquam adhibuerunt. *Elſnerus* vero *Obſ. T. I pag.* 231 in contrariam ſententiam videri iubet *Polybium Lib. VI Cap.* 21, & *Dionyſ. Hal. Lib. II. Antiq. pag.* 160. Aliorum loca ſimilia affert *Alberti Obſerv. Philol. pag.* 374, & ſimul monet, diſcrimen tamen fuiſſe inter θυρεὸν & ἀσπίδα, ita ut θυρεὸς *ſcutum oblongum*, ἀσπὶς autem, ſeu *clypeus*, formam orbicularem, ſeu rotundam, referret; conferendus tamen *Elſnerus*, qui aliqua ex parte diſſentit, & de diſtinctione clypei & ſcuti legi vult Turnebi *Adverſaria Lib. II, Cap.* 27, atque *Pitiſcum* in *Lexico*. Addi his debet *Ezech. Spanhemius* ad *Iuliani Orat. pag.* 241. *Dio Caſſius* & inferior illa ætas certe θυρεὸν & ἀσπίδα *b*) confundunt; ita enim *Dio Lib. XLIX* τὲς, τὰς πλατείας ἀσπίδας (potius θυρεὲς) ἔχοντας, *eos, qui lata ſcuta habebant*, *memorat*, Item: τὲς ἀσπίσι ταῖς κοιλαῖς ταῖς σωληνοειδέσι χρωμένες, *eos, qui ſcutis cavis, in modum canalium factis,* ute-

b) *Heſychius*: Θυρεὸς, εἶδος ἀσπίδος. *I. C. H.*

utebantur. Conf *Lipſius de Milit. Rom.* pag. 164 ſeq. & *Wolfius* in *Curis Philol. T. III*, pag. 158.

XI. Templa vocantur, ἱερὰ &αὶ. Vid. *Pollux Onom. Lib. I, Cap. I. ſegm. 6*, quorum prius loca ſonat, vel ædificia ſacra; poſterius, ἀπὸ τῦ ναίειν, *ab inhabitando*, ductum, ædes denotat, quas inhabitent Dii. Templa enim ab ipſis incoli Diis, firmiter perſuaſum erat credulis atque ſuperſtitioſis Vid. *Lackemacheri Antiq. Gr.* pag. 155. Græcorum ναὸν *Bruningſenius* derivat ab Hebræorum נָוֶה, *habitaculum*, pag. 250, *Compendii Antiq. Gr. ex profanis ſacr.* Quanquam hæ voces pro iisdem fere habeantur, reperimus tamen, eas tum a profanis, tum a ſacris, ſcriptoribus N. T. cum quibus *Ioſephus* facit, diſtingui. *Cebes* in Tabulæ principio: Ἐντυγχάνομεν περιπατῦντες, ἐν τῷ τῦ Κρόνυ ἱερῷ, ἐν ᾧ πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα ἀναθήματα ἐθεωρῦμεν. Ἀνέκειτο δὲ καὶ πίναξ τις ἔμπροσθεν τῦ νεὼ, ἐν ᾧ ἦν γραφή τις ξενὴ, καὶ μύθυς ἔχυσα ἰδίυς. *In æde Saturni deambulantes, quum alia complura donaria ſpectabamus, tum tabulam quandam ante ſacellum dedicatam, quæ peregrinas quasdam & peculiares fabulas depictas haberet.* Liquidum hic eſt, per ἱερὸν *atrium*, quod ante ſacellum & penetrale erat, denotari; per νεὼν vero, (ſic enim Attice effertur) ipſum *penetrale*, in quo Dei conſtitutum ſimulacrum. Nemo autem frequentius, quam *Lucianus*, vel quisquis libelli elegantiſſimi *de Syria Dea* Auctor eſt, τὸ ἱρὸν & τὸν νηὸν modo diſtinguit, ita, ut illud ſpatium

cium templi exterius, hoc vero ſacellum; indicet: modo ἱερὸν de toto templo uſurpat. Diſtinguit ſtatim in principio: ἐρέω δὲ ὁκόσα καὶ περὶ Ἰῶν τὸ ἱρὸν εἰσαμένων μυθολογέουσι, καὶ τὸν νηὸν ὅκως ἐγένετο. *Ediſſeram vero, tum quæ de fani conditoribus tradunt, tum de ſacello, quomodo fuerit exſtructum.* Paullo poſt: Ἀσσύριοι καὶ ἱρά, καὶ νηὰς ἤγειραν. *Aſſyrii templa & ſacella ſuſcitarunt.* Ἱερὸν pro *templo* toto uſurpat *p. 2.* ἔνι δὲ καὶ ἄλλο ἱρὸν ἐν Φοινίκῃ μέγα, τὸ Σιδώνιοι ἔχουσι, *Eſt autem & aliud templum in Phœnice magnum, quod Sidonii habent.* Eadem hæc eſt perpetua fere apud ſcriptores noui fœderis iuxta, ac apud *Joſephum*, vocabuli ναοῦ poteſtas, ut non univerſum templi ambitum, atriis etiam comprehenſis, vel partem eius quamlibet, ſed *ædem* ſpeciatim deſignet *ſacram*, præter atria, h. e. πρόναον, *ſanctum* atque *adytum*, cum conclavibus illis, quæ proxime hæc cinxerunt. At ἱερὸν multo latius patet; hoc enim ad templum univerſum cum omnibus ſuis ariis conclavibusque ſolet referri; interdum tamen ad ſola etiam atria reſtringitur. Latiori illo ſenſu *Joſephus* adhibuit *de Bell. Jud. Lib. I Cap. 7*: Ὁ Πομπήϊος μετὰ μίαν τῆς ἁλώσεως ἡμέραν καθαρᾶι τε τὸ ἱερὸν τοῖς νεοκόροις ἐκέλευσε. *Pompeius poſtridie, quam captum eſt fanum* (τὸ ἱερὸν quod hominis ethnici ingreſſu impuratum profanatumque credebant Iudæi,) *purgare illud iuſſit æditucs.* Atqui *Pompeius* non exterius modo templum intraverat, ſed eius quoque interiora, ipſum penetrale. Strictius vero ſumitur,

quum

quum Chriſtum verſatum Scriptores divini dicunt ἐν τῷ ἱερῷ, ubi ſemper *atrium* intelligendum eſt, vel feminarum, vel aliud quoddam. Inprimis atrium gentium, templum interius univerſum undique ambiens, τὸ ἱερὸν vocatur. Ioſephus maioris perſpicuitatis cauſa τὸ πρῶτον, vel τὸ ἔξωθεν, *primum*, *exterius*, addere ſolet; ſcriptores N. T. autem ſine adiuncto ſignificatu iſthoc vocabulo ſæpe utuntur. Ita v. c. *Matthaeus* de Chriſto *c. XXI*, 12: *Ingreſſus eſt* εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Θεοῦ, *& eiecit omnes vendentes & ementes* ἐν τῷ ἱερῷ. Ubi clarum eſt, atrium intelligi gentium. In hoc enim ſolo ex doctorum Iudaicorum decreto mercaturam licebat exercere, non item in ſpatiis templi interioribus. *Ioannes* X, 23, ait: *Obambulabat Ieſus* ἐν τῷ ἱερῷ, *in porticu Salomonis*. Hanc autem porticum iuxta murum atrii gentium, qua ſolem orientem hic reſpiciebat, ſtructa fuit. Nec dubium eſt, quotieſcunque Chriſti & Apoſtoli verſati, aut populum docuiſſe, dicuntur ἐν τῷ ἱερῷ, toties atrium indicari gentium, locum quippe concionibus habendis propter amplitudinem cumprimis accommodum, niſi ſpatium ſignificari aliud, ex rebus circumſtantibus poſſit colligi. Ac merebatur utique area iſta τὸ ἱερὸν vocari, quoniam, omnibus promiſcue iſthuc intrare, haudquaquam fas erat. Excludebantur enim זבבת, זרים, נדות, יולדות, *mares feminis, feminae ſanguinis fluxu laborantes, menſtruatae & puerperae.* vid. *Lackemacheri Obſervat. Philol. P. I. Obſ. VI.* §. 3, & *P. V. Obſ. VI* §. 9.

§. 9. Ceterum de hoc diſcrimine τῦ ναῦ & ἱερᾶ conferenda eſt *Basbuyſenii Diſſert. I* Clavi Talmud max. præmiſſa. Τῷ ναῷ reſpondet Hebræorum היכל, τῷ ἱερῷ autem מקדש Vid. *Wolfii Curas Philol. T. I. pag. 302.* Pauca de differentia monet *Ammonius* voc. ἱερόν.

IX. Duarum phraſium καρπὸν φέρειν & καρπὸν ποιεῖν ſignificatum a ſemet non differre, interpretum vulgus ſancte credit, inquit *Scholzius* in Ioannea ex *Theocriti Idylliis p. 17*, ita, ut *Calliergus* quoque, in Scholiis ad *Theocriti* verba *Idyll. I*, 132, τὸ, φέρειν interpretans in verſu:

Νῦν ἴα φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι,
κ. τ. λ.

Statuat, φέροιτε, ἀντὶ τῦ φέρετε, τῦ τ' ἐςὶν, γεννᾶτε, εκτρέφετε, φερετε δὲ ἀκανθαι. Nimirum φέρειν idem eſſe, ac γεννᾷν. Conf. *Polus* & *Eraſm. Schmidius ad Matth. III, 8.* Verum hos ipſos *Theocritus* ipſe refutat, non tam de fertilitate, quam de fructuum præſentia ipſa æterna, faciens verba. Hoc enim ſenſu ille vocem φέρειν accipit, *Idyll. III*, 10, 11, canens:

ἠνὶ δέ τοι δέκα μᾶλα φέρω;
— — — καὶ αὔριον ἄλλα τοι οἰσῶ.

En vero tibi decem mala fero, & cras tibi alia feram.

Eodem quoque modo illud ipſum φέρειν accipiendum in *Idyll. V*, 132, ſupra dicto. *Theocritus* enim non ſpinis iuniperisque demum precatur, ut facultatem ferendi fructus habeant, ſed

ut actu jam fructus ferant. Verba, quæ ſequuntur v. 133, 134, ſunt:

ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι.
πάντα δ' ἔναλλα γένοιτο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι.

Pulcerrimus autem flos narciſſus in iunіperis elatus appareat.
Omnia iam vero immutata fuerint, & pinus pira tulerit.

Eodem ſpectat *Idyll. v. 124 & 125.* Quemadmodum enim, ut flumina non lac gerant, aut vinum, ſed iam generatum ſecum ferant, precatur Auctor; ita *v. 125* ſubiungit:

— — — τὰ δέ τοι σία καρπὸν ἐνείκαι.
— — — *lauera [vero tibi ipſa fructum tulerint.*

Quanquam & hanc vocem ἐνείκαι MS. Codex voce ἐκθρέψαι explicuit; res tamen per ſe nota eſt. Ut vocem καρπὸν taceamus, quæ, cum lauer fructu ſuo carere non poſſit, hic *Theocrito* eum denotat fructum, quo poſſumus frui. Interea, quo huius Φράσεως, καρπὸν φέρειν, uſus apud apud Auctores frequentior, eo rarior eſt phraſis καρπὸν ποιεῖν; ut, quamvis in *Matthæo & Luca* aliquoties; in *Apocalypſi Ioannis* vero ſemel, legatur, tamen, ſi *Euripidem* exceperis, in *Rheſo* Cererem καρποποιὸν appellantem, uſpiam vix inveneris. Ratio in promtu eſt, quod externa quidem fructuum cauſa profanos Auctores plurimum

rimum movit, interna latuit. Hanc igitur cum *Euripides*, *Matthæus*, *Lucas*, & *Ioannes*, reſpiciant, voce καρπὸν ποιεῖν fructus faciendos intelligunt; ceteri καρπὸν φέρειν, fructus iam factos.„ Hactenus *Scholzius*. At enim vero *Ariſtoteles* phraſi καρπὸν ποιεῖν non ſemel uſus eſt. *Lib. I de plant. Cap. IV*: πάλιν τῶν φυτῶν τινὰ μὲν ποιοῦσι καρπὸν, τινὰ δ' ἔ, *rurſus quædam plantarum fructum ferunt, quædam non ferunt.* Idem *Lib. II Cap. IX*: δένδρα δὲ ὅσα γένωνται ἐν ὕδατι ὀξώδει, ποιοῦσι καρπὸν γλυκὺν, *arbores autem, quæ in aqua acida naſcuntur, ferunt fructum dulcem.* Sic ibidem & fructus ſpeciebus iunctum obſervatur, ut *Lib. I Cap. IV*: καὶ τινὰ μὲν ποιοῦσι ἔλαιον, τινὰ δ' ἐχὶ, καὶ τινὰ μὲν ποιοῦσι φύλλα, τινὰ δ' ἔ; *& quemadmodum arbores ferunt oleum, quædam autem non; quædam ferunt folia, quædam autem non ferunt.* Et *Cap. VI*: τινὰ γὰρ κρεῖττον σπέρμα ποιοῦσι, τινὰ χεῖρον, *quædam enim melius, quædam autem peius, ferunt ſemen.* *Cap. VII*: τινῶν μὲν οἱ καρποὶ ποιοῦσι γάλα, *quidam autem fructus lac emittunt, vel ferunt*, Vid. *Georgii Vindicias N. T. ab Ebraiſmis pag. 138.*

X. In contraria aberunt verba κείρασθαι & ξυρῆσαι; prius *tonſuram honeſtam*, alterum *ignominioſam*, notat, quod vel ex *Luciani Pſeudoſophiſta* conſtat. Differentiam pulcre docet *Thomas*: Καρῆναι καὶ ἐκάρην κυρίως οἱ Ἀττικοὶ λέγεσιν ἐπ' ἀνθρώπων τῦτο κατακριθέντων. Τὸ δὲ κείρασθαι ἐκ ἐπ' ἀτιμίᾳ. Λιβάνιος ἐν ἐπιςολῇ τῇ.

Θέμεν καὶ ἀλκρυσιν ὑπὸ σῦ τετιμῆσθαι κουρᾶς. Τὴν μὲν γὰρ πόλι καὶ δημοσίᾳ κείρασθαι νομίζω. Τίτασθαι δὲ καὶ ἐπὶ προβάτων. *Philoſtratus* in *Heroicis*: τὴν κόμην ἣν ἐκείρατο ἐπὶ τῷ πατρόκλῳ. *Lyſias* in *Epitaphio*: Ἄξιον ἦν ἐπὶ τῷδε τῷ τάφῳ τότε κείρασθαι τῇ ἑλλάδι καὶ πενθῆσαι τῶτο ἐνθάδε κειμένως. *Phrynichus* aſſcenditur *Luciano* & *Thoma*. Καρῆναι enim tradit dici de *infami tonſura*, Κείρασθαι autem de *hominibus*, qui libere & ingenue ſe tondendos curant. Et *Moſchopulus*: ἐκάρην ὁ ἀεὶ τάττεται ἐπὶ ἀτίμυ κόρας. Nimirum καρῆναι dicebatur de *infami illa raſura*, qua utebantur in morionum & ſtupidorum & γελοτοποιῶν, qui ad ciendos riſus inducebantur, capitibus radendis: illi enim ad cutem radebantur, cum alii tonderentur; quo alludit *Tertullianus* de Spectaculis: *eos infideles erga faciem ſuam eſſe, quam novaculis mutabant, & inſuper contumeliis alaparum obiiciebant: ita de Domini præcepto ludentes. Docere ſcilicet & diabolum maxillam verberandam patienter offerre. Nam illi moriones raſo capite alapis offerebant malas percutiendas*, *Grævius* ad *Luciani Soloec. pag.* 83 *ſeq.* Κείρασθαι etiam apud *Æl. V. H. Lib. III Cap. XIX* ſenſu honeſto occurrit. Καὶ γὰρ ἐσθῆτι ἐχρῆτο περιέργῳ ὁ Ἀριςοτέλης, καὶ ὑποδέσει. Καὶ κουρὰν δὲ ἐκείρετο. *Nam Ariſtoteles & veſtibus & calceamentis pretioſioribus utebatur, & barbam tondebat*. At enim vero promiſcue utraque verbi forma Auctores Græcos, taxante quamvis *Luciano* in *Soloeciſta* uti, monuit *Lambertus*

Bos

Bos in Notis ad *Thomam pag.* 22. Ceterum ξυρᾶσθαι *radi*, κείρασθαι *tonderi*, ſignificare, *Wolfius* obſervat *Cur. Phil. T. II pag.* 472 ad *1 Cor. XI*, 6, ubi etiam ſcriptores laudat, qui, tonſuram & raſuram variis gentibus ignominiæ plenam olim iudicatam fuiſſe, oſtendunt.

XI. Differentia eſt inter κέραμον & πλίνθον. *Xenophon Memorab. Socratis Lib. III* 147: ὥσπερ λίθοι τε, καὶ πλίνθοι καὶ ξύλα, καὶ κέραμος, ἀτάκτως μὲν ἐῤῥιμμένα οὐδὲν χρήσιμά ἐστιν. Ἐπειδὰν δὲ ταχθῇ κάτω μὲν καὶ ἐπιπολῆς, τὰ μήτε σηπόμενα, μήτε τηκόμενα, οἵ τε λίθοι, καὶ ὁ κέραμος, ἐν μέσῳ δὲ αἵ τε πλίνθοι, καὶ τὰ ξύλα, ὥσπερ ἐν οἰκοδομίᾳ συντίθενται s. *Quemadmodum lapides, & latera, & ligna, & tegulæ, ſi confuſa disiecta ſint, uſum nullum habent: verum, poſteaquam ea, quæ neque putreſcunt, neque liqueſcunt, ut ſunt lapides & tegulæ, in imo ac ſummo collocantur, in medio vero lateres, & ligna. quemadmodum in ædium ſtructura componi ſolent*, &c. Ex ſententia Cel. *Geſneri* in *Chreſtomathia* ita videntur differre, ut κέραμος ignem ſignificaverit, πλίνθος non item, quippe figlinum opus. Speciatim tegulas utraque vox ſignificat. Κεράμους idem eſſe, quod *teſtae* Latinorum, ſeu teſtacei lateres, ut vocantur a *Vitruvio*, vel exinde patet, quod iis nonnunquam domus tegebantur, unde & Græci tectum κέραμον vocant, ut docet *Salmaſius* ad *Solinum*. Hic ſignificatus in Lexicis deſideratur. Confirmari id poteſt tam ex Latinis, quam ex Græcis, ſcriptoribus. *Plau-*

tus in *Mil. Act. II. Sc.* 2: *Quemque in tegulis videritis alienum;* & paullo poſt: *videritis hominem in noſtris tegulis;* denique: *de tegulis modo neſcio quis inſpectavit voſtrarum familiarium per noſtrum impluvium intus apud nos Philocomaſium, atque hoſpitem oſculavit.* Aulus Gellius Noct. Attic. L. X Cap. 15: *Vinctum, ſi aedes eius (Flaminis Dialis) introierit, ſolvi neceſſum eſt, & vincula per impluvium in tegulas ſubduci, atque inde foras in viam demitti.* Cicero Philip. II Cap. 45: *Cum tamen tu, nocte ſocia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere.* Iulius Pollux Onomaſt. Lib. VII Cap. 33: Αὐτὸ δὲ τὸ τέγος, ἐ μόνον οἱ νῦν κέραμον ὀνομάζεσιν, ἀλλὰ &c. Vid. *A. P. L. Carſtens erleuterte Schriftſtellen aus des D. Thomas Shaw Reiſebeſchreibung pag.* 29, ubi plura.

XII. *Clemens Alexandrinus Paedag. Lib. II Cap.* 5 *pag.* 167 duas voces, quae indicibus Lexicis riſum effuſum denotant, κιχλισμὸν & καγχασμὸν, ita diſtinguit, ut κιχλισμὸς ſit *mulierum, praeſertim impudicarum*, καγχασμὸς *virorum*. Ita autem ſcribit: ἡ δὲ ἐκμελὴς τῦ προσώπυ ἔκλυσις, εἰ μὲν ἐπὶ γυναικῶν γίνοιτο κιχλισμὸς προσαγορεύεται, γέλως δέ ἐςι πορνικός. Ἐι δὲ ἐπὶ ἀνδρῶν, καγχασμός. *Immodica faciei diſſolutio in mulieribus quidem* κιχλισμὸς *dicitur, & eſt riſus meretricius: in viris autem* καγχασμὸς, *cachinnus.* De κιχλισμῷ feminarum exempla occurrunt in *Alciphrone Lib. I Ep.* 33, ubi *Thais* de *Euxippa*: ἐθαύμαζον δὲ τῆς Ἐυξίππης. Τὸ μὲν γὰρ πρῶτον

κιχλί-

κιχλίζουσα μετ' ἐκείνης, καὶ μωκωμένη, τὴν δυσμένειαν ἐνεδείκνυτο. *Mirabar autem Euxippen. Primum enim, cum illa riſus ineptos & cavillationes inceptans, animum infenſum declarabat*; & *Lib. III Ep.* 27: σὺ δὲ Φρυγίτη, παιδισκάριον εὐτελὲς, καὶ κιχλίζουσα, καὶ μωκωμένη με διατελεῖς. *At tu puella humilis, es ferox, & cachinnari & illudere me adhuc pergis?*

XIII. Quale apud Latinos diſcrimen eſt inter *oſtium crepat* & *pulſatur*, tale eſt apud Græcos inter κόπτειν & ψοφεῖν. Exiturus fores ferit & percutit, ut illo ſtrepitu admoneantur, qui foris ſunt, cavere ſibi, atque abſiſtere, ne lædantur. Apud *Atticos* enim fores non introrſum trahendo, ſed in viam publicam pellendo, aperiebantur, ut dudum docuerunt *Turnebus*, *Cuiacius*, *Muretus*; exiturus itaque hoc crepitu ſignum cum dat, dicuntur Latinis *fores crepare*, Græcis ψοφεῖν; cum vero introiturus fores percutit, ut aperiantur, dicuntur Latinis *fores pulſari* & *pultari*, Græcis κόπτεσθαι, ut docent *Suidas*, *Thomas*, *Ammonius*, *Phrynichus*, *Moſchopulus*. Differentiam habet *Lucianus* in *Solœc.*, ubi taxat, ſi ψοφεῖν dicatur de introituro, κόπτειν de exituro; *Attice* enim κόπτει τὴν θύραν ὁ εἰσιών, ψοφεῖ ὁ ἐξιών. Idem in *Philopſeude*: ἐπεὶ ἤδη κόπτουσα τὴν θύραν ἐκείνη. Idem in *Fugitivis*: ὥστε ἤδη δεῖ κόπτειν τὴν θύραν. *Ariſtophanes* in *Ranis*: ἄγε δὴ τίνα τρόπον τὴν θύραν κόψω; moxque: οὐ μὴ διατρίψεις, ἀλλὰ γεύσει τῆς θύρας, & in *Nubibus*: γεῦσαι τῆς θύρας. *Lyſias* in *Apologia de Eratoſthenis* adulteri cæde: ἐψόφει

μένη δέ μοι τι αἰεὶ θύρᾳ ὑπὲρ ψόφοιο. *Heliodorus* in I: τότε θύρας ὅτι πλήσσειν ἐψόφησεν. *Phrynichus* ſcribit, male κρᾶσαι τὴν θύραν pro κόπτειν poni. Sed contra hunc facit illud *Xenophontis in Sympoſio*: Φίλιππος δὲ ὁ γελωτοποιὸς κρέσας τὴν θύραν, εἶπε τῷ ὑπακούσαντι. Et Evangeliſta: μὴ ἄρξησθε ἔξω ἑστάναι καὶ κρέειν τὴν θύραν. Vid. *Gravius in Luciani Soloec. pag. 122 ſeq.*

XI. Differunt κρατὴρ & δέπας. In cratere veteres ſolebant plerumque vinum aqua temperare. *Homerus Odyſſ. I, 110*:

> Οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρητῆρσι καὶ ὕδωρ.
>
> *Alii quidem vinum miſcebant in crateribus & aquam.*

E crateribus vinum in pocula, a ſingulis ebibendum, effundebatur. *Homerus Odyſſ IX, 9*:

> — — Μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
> Οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν.
> — — *Vinum autem ex cratere hauriens*
> *Pincerna affert & infundit poculis.*

Athenæus Lib XI pag. 476 ſcribit: κρατὴρ cenſetur multis dictus quaſi κερ-τὴρ, priſci autem mortales e boum cornibus biberunt. *Feithius Antiq. Homer. pag. m. 281 ſeq.*

XV. Inter μυεῖν & ἐποπτεύειν multum intereſt. *Cereris* myſteria duplicis erant generis: alia majora, μεγάλα; alia minora, μικρά. Nemini licuit intereſſe μεγάλοις, niſi prius vidiſſet τὰ μικρά. Si quis ergo religione τῶν μικρῶν imbutus erat, il-

le eodem anno myſteriis maioribus initiari potuit, quod refert Scholiaſtes *Ariſtophanis* in *Ranis v. 753.* Particeps factus μικρῶν dictus eſt μύςης at maiorum receptus in communionem ἐπόπτης. *Bruningſenius Antiq. Gr. & prof. ſacr. p. 348.* *Suidas* ita: οἱ μυηθέντες ἐν Ἐλευσῖνι ἐν τῇ δευτέρᾳ μυήσει ἐποπτεύειν ἐλέγοντο. Μύςαι enim dicebantur, qui myſteria accipiebant, quod μυεῖσθαι dicebatur; & *Tertullianus inſtituere* dicit in *Valent. Cap. I.* Cum *Epoptas* ante quinquennio inſtituunt, τῇ εἰκάδι Βοηδρομιῶν☉, qua celebrantur illa, ut docet *Plutarch.* in *Camill. pag. 138. D* Eadem εἰκάδι Βοηδρομιῶν☉, quinto anno redeunte, dicebantur ἔφοροι, καὶ ἐπόπται. *Suidas* Ἐπόπται, οἱ τὰ μυςήρια παραλαμβάνοντες, λέγονται ἐν ἀρχῇ μὲν μύςαι, μετὰ ἐνιαυτὸν δὲ (errat *Suidas*, non enim annua erant μυςήρια, ſed quinto quoque redibant anno, & ſuperius dixit ἐν τῇ δευτέρᾳ μυήσει) ἐπόπται καὶ ἔφοροι. Ceterum *Seneca N. Q. VII, 31*, ita de his ſacris: *Non ſemel quædam ſacra traduntur. Eleuſis ſervat, quod oſtendat reviſentibus. Rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit. Initiatos nos credimus: in veſtibulo eius hæremus. Illa arcana non promiſcue, nec omnibus, patent: reducta, & in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ poſt nos ſubibit, adſpiciet.* Vid. *Pitiſcus* ad *Curt. pag. 573* *Myſtæ* in ſacrarii veſtibulo tantum manebant; epoptæ autem cum fierent, intra ipſum admittebantur adytum.

XVI. Νιπτὴρ & ποδόνιπτρον ſæpe confunduntur ab iis, qui ποδόνιπτρον *pelluvium* interpretantur; ſed falſi ſunt: nam ποδόνιπτρον, ſeu ποδάνιπτρον, non eſt *pelluvium*, ſed *aqua in eodem*. Pelluvium contra dicitur a Græcis ποδανιπτὴρ. Conveniunt ergo νιπτὴρ & ποδονιπτὴρ, ſed differunt ποδονιπτὴρ & ποδόνιπτρον. Ποδανιπτὴρ enim, teſte *Polluce*, i) eſt ὁ λέβης, ποδάνιπτρον τὸ ἀπ' αὐτῦ ὕδωρ, νίπτρον, πλυντήριον.

XVII. *Hugo Grotius* ad *Act. XVI* differentiam ſtatuit inter ξύλον & ποδοκάκην, ita, ut diverſæ fuerint *compedes*. Ita enim ſcribit: *Fuit diſcriminis aliquid inter* ξύλον *&* ποδοκάκην; *nam in veteri lege Attica habemus*: δεδέσθαι ἐν τῷ ξύλῳ οἱ ἕνδεκα, ἢ ἐν τῇ ποδοκάκῃ. Puto, ποδοκάκην eſſe, quas ligneas ſoleas appellat *Cicero*; ξύλον autem *ligneam cuſtodiam*. Sed *Elſnerus Obſ. Tom. I pag. 439 & 506* contrarium k) demonſtrat ex *Lyſiæ Orat. IX pag. 128*: ἡ ποδοκάκη αὕτη ἐςὶν, ὦ Θεσμοθέται, ὃ νῦν καλεῖ (ὁ νόμος)

i) *Onomaſt. X, 22, pag. 475, ed. Francof.* 1608, 4.

k) *Iulius Pollux VIII, 7, pag. 392*: Αἰσχίνης, ἐδεδέμεθα, εἰρχθῆναι ἐν ξύλῳ, ἐν τῇ ποδοκάκῃ. In Etymologico magno hæc leguntur *pag.* 678: Ποδοκάκη, ὁ ἐν τῷ ξύλῳ δεσμὸς τῶν ποδῶν ἤτοι διὰ τὸ τὰς πόδας κακοῦν. ἔςι δὲ εἶδος παγίδες, ᾧ χρῶνται οἱ κυνηγέται πρὸς τὰ θηρία καὶ ξύλον, ἐν ᾧ οἱ κακοῦργοι δεσμοῦνται, ποδοκατοχὴ τις οὖσα, ἐν ᾗ οἱ πόδες κατέχονται. In re, ad carcerem attinente, evaneſcit a *Grotio* probata differentia. I. C. HAR.

μος) ἐν τῷ ξύλῳ δέδεται. *Ariſtophanes Equit. Act. I Scen. 3:*

Οἷόν σε δήσω τῷ ξύλῳ.

Solum te impediam nervo.

Quem locum ita explicat interpres: τῶν μὲν ἄλλων σε συμφημότων καίπερ ἀδικούμενος ὑπ' αὐτῶν, φείσομαι, σὲ δὲ μόνον δήσω τῷ ξύλῳ. εἶδος δὲ δεσμωτηρίου τὸ ξύλον, ἣν ποδοκάκην λέγουσι, καὶ ποδοστράβην. Vid. *Langii Obſeru. Philol. pag. 135*, & *Wolfii Cur. Phil. T. I p. 1245*, ubi uberiorem τοῦ ξύλου expoſitionem reperies.

XVIII. *Caſaubonus* in *brevibus ad IV Evangeliſt. Notis*, & quidem ad *Marc. V, 38*, diſtingui vult inter ὀδύρεσθαι & ὀλολύζειν. Idem narrat, a veteribus irriſos fuiſſe LXX interpretes, quod ab ὀδύρεσθαι neſciviſſent diſtinguere τὸ ὀλολύζειν, hocque *Eſa. XV, 2, LII, 5, LIII, 6, Ier. XLVI, 20, 31*, & in aliis locis quamplurimis (†) de *lamentationibus* adhibuerint. Oſtendit ſcil. *Cauſabonus*, ὀλολύζειν proprie de eo *clamore* uſurpari, quem, mactata victima, tollere ſolitæ fuerint feminæ, cum ſacris intereſſent, Diis ſupplicantes, atque precantes. Docet illud *Euſtathius* ad *Homer. Il. VI pag. 643*. Putat proinde *Caſaubonus*, nunquam elegantius Græce loquentes, niſi in re læta vocabulo ὀλολύζειν uſos eſſe, aut rariſſime ſaltem aliter; ſed egregie falſus eſt. Etenim [illegible] *v. 635:*

Τὸν

(†) Vide *Kircheri Concord. V. T. Græc. P. II pag. 1805. Francof.* 1607, 4.

Τὸν δάκτυλον δὲ δηχθεὶς
Τῆς χειρὸς ὠλόλυξε.

Digitum itaque morſus
Manus ſua exclamavit præ dolore.

Barneſius ad hæc verba monet, vel ex hoc loco conſtare, ὀλολύζειν pro θρηνεῖν uſurpari. Vid. plura exempla in *Wolfii Curis Tom. IV pag. 71. Euſtathius* ad *Odyſſ. III, 450, pag. 1476*, obſervat, ſcriptores, qui poſt *Homerum* hoc verbo uſi ſunt, de rebus triſtioribus & fletu id adhibuiſſe, licet non ita, ſed de re læta, adhibuerit *Homerus*. Idem ad *Odyſſ. X pag. 1932*, & *Il. VI pag. 643*, confirmat, & quidem poſteriore loco ex *Sophoclis Electra v. 751*, ubi iuvenis mortuus deploratur, & verbum adhibetur συνολολύζειν. Nec erat, accuratius ſi res diiudicetur, prorſus abſque luctu clamor ille mulierum, quo apud victimas in ſupplicationibus ac precibus templa reſonabant. Hinc *Euſtathius* ὀλολύζειν exponit per σὺν οἴκτῳ εὔχεσθαι, *cum eiulatu orare*. Apud *Æſchylum* ὀλολυγμὸς eſt *eiulatus & planctus* ob aliquem interfectum, *v. 384* in *Choëphor*. Ipſe *Homerus* in *Batrachom. v. 100* in re triſti deſcribenda verbum ὀλολύζειν uſurpat, aut quisquis huius carminis auctor eſt. Ex *Luciano*, *Appiano*, *Heſychio*, *Suida*, & aliis, idem patet. Vid. *Winckleri Hypom. pag. 159 ſeq.* Planum igitur eſt, ὀλολύζειν & ὀδύρεσθαι *l*) nihil differre,

l) Etymologicum magnum *pag. 622*: ὀλολυγὴ, φω-

differre, neque taxandos eſſe LXX interpretes. Ceterum de verbo ὀδύρεσθαι vid. noſtrum *Specimen III Differ. Græcar.*

XIX. *Pitiſcus* in *Lexico A. R. T. I f.* 382, *b*, docet, Græcos ſuperiorem molæ partem ὄνον vocare, inferiorem μύλον. Allegatur *Mœris Atticiſta:* μύλος ἡ τράπεζα τῦ μύλυ, ὄνος τὸ ἄνω μύλυ. *Catillus igitur*, addit, *molæ, id eſt*, πίναξ *id fuerit*, *quod Græci* τράπεζαν μύλυ *appellant.* Confer tamen iſta cum *Tom. II, f.* 191, *b.* Ita quoque *Heſychius:* ὄνος ὁ ἀνώτερος λίθος τῦ μύλυ, & alibi: μύλη λέγεται ὁ κάτω τῆς μύλης λίθος, ὁ δὲ ἄνω ὄνος, qui iterum alibi ἀλετῶνες interpretatur τὰς τοῖς μύλοις ἐπιτιθεμένυς λίθυς. Sed clare docet *Helladius*, ὄνον de *lapide molari inferiore* ſumi *Chreſtom.* §. 53 *pag.* 17 *ed. Meurſii*, & apud *Photium f.* 871: Τὸν γὰρ ἄνω τῦ μύλυ λίθον ἀχέθωνα ἐπονομάζομεν. Ὄνον δὲ τὴν κάτω μύλην; & *Pollux Lib, VI Cap.* 4, ubi inter ἐργαλεῖα, *inſtrumenta molæ*, recenſentur ὄνος ἀλέθων, inferior æque ac ſuperior molæ lapis. Item *Lib. X Cap.* 25 inter inſtrumenta ἀρτοποιϊκὰ referuntur ὄνος & ἀλέτων, quod iterum non de mola aſinaria, ſed de *utroque molæ lapide*, intelligendum eſt. Vid. *Gœtz de Piſtrinis veterum pag.* 125 *ſeq. Wincklerus* in *Hypom. pag.* 250 cum illis

φωνὴ γυναικῶν, ἣν ποιῦνται ἐν τοῖς ἱεροῖς εὐχόμεναι, ἢ ἁπλῶς ὁ μετὰ ἤχυ κλαυθμὸς καὶ θρῆνες παρὰ τὸ ὀλολύζειν. Ceſſat itaque illa differentiæ imago. I. C. HAR.

tus in *Mil. Act. II. Sc.* 2: *Quemque in tegulis videritis alienum*; & paullo poſt: *videritis hominem in noſtris tegulis*; denique: *de tegulis modo neſcio quis inſpectavit voſtrarum familiarium per noſtrum impluvium intus apud nos Philocomaſium, atque hoſpitem oſculavit.* Aulus Gellius Noct. Attic. L. X Cap. 15: *Vinctum, ſi ædes eius (Flaminis Dialis) introierit, ſolvi neceſſum eſt, & vincula per impluvium in tegulas ſubduci, atque inde foras in viam demitti.* Cicero Philip. II Cap. 45: *Cum tamen tu, nocte ſocia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere.* Iulius Pollux Onomaſt. Lib. VII Cap. 33: Αὐτὸ δὲ τὸ τέγος, οὐ μόνον οἱ νῦν κέραμον ὀνομάζουσιν, ἀλλὰ &c. Vid. *A. P. L. Carſtens erlæuterte Schriftſtellen aus des D. Thomas Shaw Reiſebeſchreibung pag.* 29, ubi plura.

XII. *Clemens Alexandrinus Pædag. Lib. II Cap.* 5 *pag.* 167 duas voces, quæ indicibus Lexicis riſum effuſum denotant, κιχλισμὸν & καγχασμὸν, ita diſtinguit, ut κιχλισμὸς ſit *mulierum, præſertim impudicarum*, καγχασμὸς *virorum.* Ita autem ſcribit: ἡ δὲ ἐκμελὴς τοῦ προσώπου ἔκλυσις, εἰ μὲν ἐπὶ γυναικῶν γίνοιτο κιχλισμὸς προσαγορεύεται, γέλως δέ ἐστι πορνικός. Εἰ δὲ ἐπὶ ἀνδρῶν, καγχασμός. *Immodica faciei diſſolutio in mulieribus quidem* κιχλισμὸς *dicitur, & eſt riſus meretricius: in viris autem* καγχασμὸς, *cachinnus.* De κιχλισμῷ feminarum exempla occurrunt in *Alciphrone Lib. I Ep.* 33, ubi *Thais* de *Euxippa*: ἐθαύμαζον δὲ τῆς Εὐξίππης. Τὸ μὲν γὰρ πρῶτον

κιχλί-

ebrietate; *iniurii*. Vid. *Raphel. Annotat. Xenophont. pag. 281.* Sæpius eſt παροίνιος, *qui vino ſe oblectat*, vel *vino coniunctus eſt*. Nota ſunt παρόινια ἄσματα, μέλη, αὐλήματα, παροίνιος αὐλός.

XXI. Περίοδος & περίπλους diverſum notant *iter*, ſcilicet περίοδος *terreſtre*, unde *Heſychio* etiam dicitur ἡ τῆς γῆς περιήγησις: περίπλους autem *navale*. Differentia aperta eſt ex *Æl. L. IV Cap. 20*: χρήματα γὰρ ἠθροίζον, καὶ τῆς περιόδου, καὶ τοῦ περίπλου ταύτην εἶχον τὴν πρόφασιν. *Pecunias enim cumulabant; & hæc cauſa illis fuit tum terreſtrium, tum navalium, itinerum.*

XXII. Περόνη & ῥαφὴ differunt. Eſt quidem περόνη ſpecies ῥαφῆς futuræ, & eundem fere uſum cum arcu ſarcinatrice exhibet, & ſæpius res duæ hæ amice conſpirant, ſi ſcilicet tunica habuerit ῥαφὴν, *ſuturam*, περόναις, *fibulis*, adſtringendam. Nihilo minus tamen bonis Auctoribus alia eſt περόνη, alia ῥαφή. Ita *Heſychius*: συμπερονητὸν μὴ ῥαφαῖς συμπεπλημμένον κατὰ τοὺς ὤμους χιτῶνα. *Infibulata tunica, quæ non eſt conſuta in humeris.* De περόναις vid. *Herodotus Lib. V Cap. 87*, ubi feminæ Athenienſes hominem, e prælio reducem, περόναις τῶν ἱματίων confecerunt. *Euſtathius* ad *Il.* V de iisdem agit: περόνην ἐνέπειρε ἐνθεῖσιν ἀρόμεναι αἱ πολλαὶ γυναῖκες, δι' ἧς τὸ κέχηνος τοῦ πέπλου συνήγετο, διαμέσου παρεξάπτων τοῦ τοιούτου ἱματισμοῦ. Φησὶ γοῦν Ἡρόδοτος γυναικείαν ἐσθῆτα φορέειν τὴν, ἔχεσαν περόνας. Τοιαύτη δὲ φησὶν ἡ ἀρχαία πᾶσα ἐσθὴς γυναικῶν.

Quem-

Quemadmodum περόνη & ῥαφὴ, ſic etiam συῤῥάπτειν, *conſuere* & περόναις καταλαμβάνειν, vel συμπορπᾶσθαι, *fibulis conſtringere*, diſtincta ſunt. *Ælian. Var. hiſtor. Lib. I Cap. 18:* Τῶν δὲ χιτώνων τὰ περὶ τοὺς ὤμους ἄχρι τῶν χειρῶν οὐ συνέῤῥαπτον, ἀλλὰ περόναις χρυσαῖς, καὶ ἀργυραῖς συνεχέσι κατελάμβανον. *Tunicarum vero eam partem, quæ eſt ab humeris usque ad manus, non conſuebant, ſed continuis fibulis, aureis & argenteis, conſtrinxere.* Vid. *Schefferi* Notas ad hunc *Æliani* locum.

XXIII. Inter ποιμαίνειν & βόσκειν differentia eſt. Voce ποιμαίνειν Græci non oves tantum cibis nutriri volunt, ſed in paſcua duci, in paſcuis contineri, a lupo & fure defendi, a gramine nocivo arceri, ac denique lacte frui. Quem in modum Cyclops ille apud *Theocritum Idyll. XI, 64, 65,* τὸ ποιμαίνειν *Galateæ* ſuæ commendat, canens:

Ποιμαίνειν δ' ἐθέλοις σὺν ἐμὶν ἅμα καὶ γάλ' ἀμέλγειν,
Καὶ τυρὸν πᾶξαι, τάμισον δριμεῖαν ἐνεῖσα.
Paſcere vero velis mecum, ſimul & lac mulgere,
Et caſeum premere, coagulum acutum immittens.

Idyll. XX, 64, Theocritus de ſomniis eundem in modum ſcribit:

— — ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.
— — *Veris paſcitur gens ſomniis.*

At

At vox βόσκειν longe alium exhibet ſenſum. *Theocritus* harum vocum eſt optimus arbiter, licet τὸ βόσκειν pariter & bubulcis tribuat, & opilionibus: nihilo ſecius tantum de nutriendis & ſaginandis intelligit. Hinc non modo *Idyll. VIII, 35*: Τὸ βόσκοιτ ἐκ ψυχᾶς τὰς ἀμνάδας, *v. 39*: τῷ πιαίνειν, & *v. 42*: τῷ τὰ νέα τρέφεται, explanat, ſed etiam cum *Idyll. V, v. 82, 83*, cecinit:

Καὶ γὰρ ἐμ' ὠ πολλῶν φιλέει μέγα. καὶ καλὸν αὐτῷ
Κριὸν ἐγὼ βόσκω.

Etenim me Apollo valde diligit; ac pulchrum ipſi
Hædum ego paſco.

Idyll. XI, 39, ſubiicit eodem ſenſu:

— — τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρῶς κ. τ. λ.
— — *nutrio autem tibi undecim binnulos.*

Et *Idyll, XIII, 25*:

— — πελειάδες ἐσχατίαι δὲ
Ἄρνα νέον βόσκοντι.
— — *ultimæ autem Pleiades*
Agnum novum paſcunt.

Vid. *Scholzii Ioannem ex Theocrito pag. 27*, ubi plura.

XXIV. Σοφίαν & Φρόνησιν, inter quas *Paulus Eph. I, 8*, diſtinguit, nihil a ſe differre, *Hombergius* minus veriſimiliter affirmat. Diſſentit Auctor *Biblioth. novæ Halenſ.* vernaculo no-

bis ſermone editæ, *P. XXXV pag. 375.* Is inter cetera locum promit *Ariſtotelis* ex *Topicorum Lib. I*, ubi hæc legis: πρός τε τὴν γνῶσιν, καὶ τὴν κατὰ σοφίαν φρόνησιν. Idem ait, has voces ita a ſe invicem differre, ut Hebræorum חָכְמָה & בִּינָה, ſeu תְּבוּנָה, & σοφίαν referri vult ad *ingenium*, φρόνησιν vero ad *iudicium*. Vid. *Wolfius Cur. T. III pag. 20.* Φρόνησιν idem *Ariſtoteles Lib. VI Cap. 5 Ethic. Nic* definit ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακὰ, quod ſit *habitus, cum ratione vera coniunctus, ad agendum idoneus, in iis occupatus, quæ homini bona & mala ſunt.* Eodemque fere modo & in *Rhetor. I, 9, 14.* Item a *Plutarcho* in libro *de Virtute morali* dicitur φρόνησις eſſe virtus ποιητέα ἐπισκοποῦσα, καὶ μὴ ποιητέα. Significat igitur φρόνησις *actum intelligendi & conſiderandi atque conſultandi*, ut exempla declarant; ſeu *actum prudentiæ* ſemper infert. Opponitur eadem τῇ ἀγνοίᾳ. *Polyb. Lib. V Cap. 88:* Τοσοῦτον ἄγνοια καὶ ῥαθυμία διαφέρει παρ' ἀνθρώποις ἐπιμελείας καὶ φρονήσεως. *Adeo inter homines differunt imprudentia ignorantiaque a diligentia & prudentia.* Vid. *Raphel. Annotat, Polyb. pag. 169.* Eandem differentiam *Ariſtoteles* exhibet *Lib. I Eth. Cap. ultimo*, ubi ſapientiam comparat hero, prudentiam eius procuratori: Ἡ φρόνησις ἔχει ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ ὁ ἐπίτροπος. οὐ γὰρ πάντων κύριος, καὶ πάντα διοικεῖ, ἀλλ' οὔπω οὗτος ἄρχει πάντων, ἀλλὰ παρασκευάζει τῷ δεσπότῃ σχολὴν, ὅπως ἂν ἐκεῖνος μὴ κωλυόμενος ὑπὸ τῶν ἀναγκαί-

ων

ἐκκλείηται τέτων καλῶν τι καὶ προσηκόντων πράττειν. ὅτω καὶ ὁμοίως τέτω ἡ Φρόνησις ὥσπερ ἐπίτροπός ἐςι τῆς σοφίας, καὶ παρασκευάζει ταύτῃ σχολήν. *Ita habet prudentia, ſicut procurator habet in re domeſtica. Nam hic omnium eſt dominus, & regit omnia, ſed non eſt omnium princeps; ac ſuppeditat otium hero, ne ille impediatur a neceſſariis curandis, & excludatur ab honeſtorum aliquo agendo. Simili modo plane prudentia velut quædam ſapientiæ procuratrix eſt, & eidem ſubminiſtrat otium.*

XXV. *Iulius Pollux Onomaſt. Lib. VI Cap. 15 ſegm.* 94 videtur diſtinguere inter σπόγγες & σπογγίας. Ita enim ſcribit: Σπόγγοις δὲ καὶ σπογγίαις καθηράντων οἱ ὑπηρέται πάντα τὰ λείψανα τῆς τροφῆς, τὰ ἐπὶ τῦ ἐδάφες ἀπερῥιμμένα. Οἷον φυλλία, τὰ δὲ τῆς θριδακίας φύλλα ὅτω καλῦνται, καὶ κογχυλίων κόχλες, καὶ ὀςρέων κόγχες, καὶ ἰχθύων λεπῆ, καὶ καράβων ὄςρακα, καὶ κρεῶν ὀςᾶ. κ. τ. λ. i. e. *σπόγγοις & σπογγίαις miniſtri omnes cibi reliquias, in ſolum proiectas, expurgaverunt: utpote phyllia* (lactucæ autem folia ſic vocantur,) *& conchularum conchas, oſtrearum teſtas, piſcium ſquamas, carabonum putamina, carnium oſſa.* &c. Qua ratione autem commode diſtinguantur σπόγγος & σπογγία, non facile apparet, cum utraque vox ubique idem ſignificare videatur *n*). Sed forſi-

 tan

n) Utraque vox indicat inſtrumentum, quo detergentur humida. Unde in *Etymologico magno* deducitur ex σπᾶν τὰ ὑγρά. I. C. HAR.

Τὸν δάκτυλον δὲ δηχθεὶς
Τῆς χειρὸς, ὠλόλυξε.

Digitum itaque morſus
Manus ſuæ exclamavit præ dolore.

Barneſius ad hæc verba monet, vel ex hoc loco conſtare, ὀλολύζειν pro θρηνεῖν uſurpari. Vid. plura exempla in *Wolfii Curis Tom. IV pag. 71.* *Euſtathius* ad *Odyſſ. III, 450, pag. 1476,* obſervat, ſcriptores, qui poſt *Homerum* hoc verbo uſi ſunt, de rebus triſtioribus & fletu id adhibuiſſe, licet non ita, ſed de re læta, adhibuerit *Homerus.* Idem ad *Odyſſ. X pag. 1932,* & *Il. VI pag. 643,* confirmat, & quidem poſteriore loco ex *Sophoclis Electra v. 751,* ubi iuvenis mortuus deploratur, & verbum adhibetur ἀνωλόλυξεν. Nec erat, accuratius ſi res diiudicetur, prorſus absque luctu clamor ille mulierum, quo apud victimas in ſupplicationibus ac precibus templa reſonabant. Hinc *Euſtathius* ὀλολύζειν exponit per σὺν οἴκτῳ εὔχεσθαι, *cum eiulatu orare.* Apud *Æſchylum* ὀλολυγμὸς eſt *eiulatus & planctus* ob aliquem interfectum, *v. 384* in *Choephor.* Ipſe *Homerus* in *Batrachom. v. 100* in re triſti deſcribenda verbum ὀλολύζειν uſurpat, aut quisquis huius carminis auctor eſt. Ex *Luciano, Appiano, Heſychio, Suida,* & aliis, idem patet. Vid. *Winckleri Hypom. pag. 159 ſeq.* Planum igitur eſt, ὀλολύζειν & ὀδύρεσθαι *l*) nihil differre,

l) Etymologicum magnum *pag.* 622: ὀλολυγὴ, φωνὴ

differre, neque taxandos eſſe LXX interpretes. Ceterum de verbo ὀδύρεσθαι vid. noſtrum *Specimen III Differ. Græcar.*

XIX. *Pitiſcus* in *Lexico A. R. T. I f. 382, b,* docet, Græcos ſuperiorem molæ partem ὄνον vocare, inferiorem μύλον. Allegatur *Mœris Atticiſta:* μύλος ἡ τράπεζα τῦ μύλȣ, ὄνος τὸ ἄνω μύλȣ. *Catillus igitur,* addit, *molæ, id eſt,* πίναξ *id fuerit, quod Græci* τράπεζαν μύλȣ *appellant.* Confer tamen iſta cum *Tom. II, f. 191, b.* Ita quoque *Heſychius:* ὄνος ὁ ἀνώτερος λίθος τῦ μύλȣ, & alibi: μύλη λέγεται ὁ κάτω τῆς μύλης λίθος, ὁ δὲ ἄνω ὄνος, qui iterum alibi ἀλετῶνες interpretatur τὰς τοῖς μύλοις ἐπιτιθεμένας λίθȣς. Sed clare docet *Helladius,* ὄνον de *lapide molari inferiore* ſumi *Chreſtom.* §. 53 *pag.* 17 *ed. Meurſii,* & apud *Photium f. 871:* Τὸν γὰρ ἄνω τῦ μύλȣ λίθον ἀχέθωνα ἐπονομάζομεν. Ὄνον δὲ τὴν κάτω μύλην; & *Pollux Lib, VI Cap.* 4, ubi inter ἐργαλεῖα, *inſtrumenta molæ,* recenſentur ὄνος ἀλέθων, inferior æque ac ſuperior molæ lapis. Item *Lib. X Cap.* 25, inter inſtrumenta ἀρτοποιϊκὰ referuntur ὄνος & ἀλέτων, quod iterum non de mola aſinaria, ſed de *utroque molæ lapide,* intelligendum eſt. Vid. *Gætz de Piſtrinis veterum pag.* 125 *ſeq. Wincklerus* in *Hypom. pag.* 250 cum illis

φωνὴ γυναικῶν, ἣν ποιῦνται ἐν τοῖς ἱεροῖς εὐχόμεναι, ἢ ἁπλῶς ὁ μετὰ ἤχȣ κλαυθμὸς καὶ θρῆνος παρὰ τὸ ὀλολύζειν. Ceſſat itaque illa differentiæ imago. I. C. HAR.

illis facit, qui, ὄνον *lapidem* tantum *ſuperiorem* denotare, contendunt. *Sunt quidem*, inquit, *qui, hanc vocem & ſuperiorem & inferiorem lapidem ſignificare, putant. Sed docent in Lexicis ſuis Heſychius & Suidas; ſuperiorem denotari iſta, qui movetur, ac per quem molitur, lapidem molarem. m)*

XX. Πάροινον a παρόινῳ *Stephanus* in *Lexico* diſtinguit, docens, παρῴνιον *eum vocari, qui ſuper vinum contumelioſus ſit & moleſtus aliis,* πάροινον *autem vinoſum. Hermogenes* παροινίας vitium ita definit apud *Xenophontem* in *Convivio pag. 704 l. 36:* Τὸ παρ' οἶνον λυπεῖν τὰς σύνοντας, τοῦτ' ἐγὼ κρίνω παροινίαν. *Ego eſſe iudico παροινίαν, in vino moleſtum eſſe iis, quibuscum verſeris.* Unde *pag. 705 l. 32* finita altercatione dicit *Xenophon*: αὕτη μὲν δὴ ἡ παροινία οὕτω κατεσβέσθη. *Atque haec quidem orta inter pocula debacchatio, ſic eſt exſtincta.* Neque in exemplis, a *Stephano* collectis, παροίνιοι ſunt *quocunque modo*, ſed *ex ebrie-*

m) Is lapis, id lignum, quod portat molem impoſitam in modum aſini, metaphorice ὄνος dicitur, teſte *Etymologico M. pag. 626.* Eadem ratione apud Græcos illud, ſuper quo nent mulieres, alias ἐπίνητρον, vocari ὄνον, docet *Iulius Pollux VII*, 32, & X, 125. Proprie igitur lapis moralis inferior, isque immobilis, molem ferens, eſt ὄνος. At per dilatationem ſignificatus ὄνος quoque lapidem ſuperiorem cœpit deſignare. Unde *Xenophon Lib. I* Ἀναβ. ὄνες, ἀλέτας vocat *lapides molares* generatim. I. C. HAR.

ebrietate, iniurii. Vid. Raphel: Annotat. Xenophont. pag. 281. Sæpius eſt παρόινιος is, qui vino ſe oblectat, vel vino coniunctus eſt. Nota ſunt παρόινια ᾄσματα, μέλη, αὐλήματα, παρόινιος αὐλός.

XXI. Περίοδος & περίπλος diverſum notant iter, ſcilicet περίοδος terreſtre, unde Heſychio etiam dicitur ἡ τῆς γῆς περιήγησις: περίπλος autem navale. Differentia aperta eſt ex Æl. L. IV Cap. 20: χρήματα γὰρ ἤθροιζον, καὶ τῆς περιόδου, καὶ τοῦ περίπλου ταύτην εἶχον τὴν πρόφασιν. Pecunias enim cumulabant; & hæc cauſa illis fuit tum terreſtrium, tum navalium, itinerum.

XXII. Περόνη & ῥαφὴ differunt. Eſt quidem περόνη ſpecies ῥαφῆς ſuturæ, & eundem fere uſum cum arcu ſarcinatrice exhibet, & ſæpius res duæ hæ amice conſpirant, ſi ſcilicet tunica habuerit ῥαφὴν, ſuturam, περόναις, fibulis, adſtringendam. Nihilo minus tamen bonis Auctoribus alia eſt περόνη, alia ῥαφή. Ita Heſychius: συμπερονητὸν μὴ ῥαφαῖς σαυμληνμμένον κατὰ τοὺς ὤμους χιτῶνα. Infibulata tunica, quæ non eſt conſuta in humeris. De περόναις vid. Herodotus Lib. V Cap. 87, ubi feminæ Athenienſes hominem, a prælio reducem, περόναις τῶν ἱματίων confecerunt. Euſtathius ad Il. V de iisdem agit: περόνην ἐν τῷ κατὰ στήθεσιν ἀρθρῷ πάλαι γυναῖκες, δι' ἧς τὸ κέχηνος τοῦ πέπλου συνήγετο, ἀλλ' οὐ περιχάπτων τοῦ τοιοῦτ ἱματισμοῦ. Φησὶ γοῦν Ηρόδοτος γυναικείαν ἐσθῆτα φορεῖν, τὴν ἀρχαίαν περόνας. Τοιαύτη δὲ φησὶν ἡ ἀρχαία πᾶσα ἐσθὴς γυναικῶν.

Quem-

Quemadmodum περόνη & ῥαφὴ, ſic etiam συῤῥάπτειν, *conſuere* & περόναις καταλαμβάνειν, vel συμπορπήσασθαι, *fibulis conſtringere*, diſtincta ſunt. *Ælian. Var. hiſtor. Lib. I Cap.* 18: Τῶν δὲ χιτώνων τὰ περὶ τοὺς ὤμους ἄχρι τῶν χειρῶν οὐ συνέῤῥαπτον, ἀλλὰ περόναις χρυσαῖς, καὶ ἀργυραῖς συνεχέσι κατελάμβανον. *Tunicarum vero eam partem, quæ eſt ab humeris usque ad manus, non conſuebant, ſed continuis fibulis, aureis & argenteis, conſtrinxere.* Vid. *Schefferi* Notas ad hunc *Æliani* locum.

XXIII. Inter ποιμαίνειν & βόσκειν differentia eſt. Voce ποιμαίνειν Græci non oves tantum cibis nutriri volunt, ſed in paſcua duci, in paſcuis contineri, a lupo & fure defendi, a gramine nocivo arceri, ac denique lacte frui. Quem in modum Cyclops ille apud *Theocritum Idyll. XI*, 64, 65, τὸ ποιμαίνειν *Galateæ* ſuæ commendat, canens:

Ποιμαίνειν δ' ἐθέλοις σὺν ἐμὶν ἅμα καὶ γάλ' ἀμέλγειν,
Καὶ τυρὸν πᾶξαι, τάμισον δριμεῖαν ἐνεῖσα.
Paſcere vero velis mecum, ſimul & lac mulgere,
Et caſeum premere, coagulum acutum immittens.

Idyll. XX, 64, *Theocritus* de ſomniis eundem in modum ſcribit:

— — ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.
— — *Veris paſcitur gens ſomniis.*

At

At vox βόσκειν longe alium exhibet ſenſum. *Theocritus* harum vocum eſt optimus arbiter, licet τὸ βόσκειν pariter & bubulcis tribuat, & opilionibus: nihilo ſecius tantum de nutriendis & ſaginandis intelligit. Hinc non modo *Idyll. VIII, 35*: Τὸ βόσκοιτ ἐκ ψυχᾶς τὰς ἀμνάδας, *v. 39*: τῷ πιαίνειν, & *v. 42*: τῷ τὰ νέα τρέφεται, explanat, ſed etiam cum *Idyll. V, v. 82, 83*, cecinit:

> Καὶ γάρ ἐμ' ὢ πολλῶν φιλέει μέγα. καὶ καλόν αὐτῷ
> Κριὸν ἐγὼ βόσκω.
>
> *Etenim me Apollo valde diligit; ac pulchrum ipſi*
> *Hædum ego paſco.*

Idyll. XI, 39, ſubiicit eodem ſenſu:

> — — τρέφω δέ τοι ἕνδεκα νεβρώς κ. τ. λ.
> — — *nutrio autem tibi undecim binnulos.*

Et *Idyll, XIII, 25*:

> — — πελειάδες ἐσχατίαι δὲ
> Ἄρνα νέον βόσκοντι.
> — — *ultimæ autem Pleiades*
> *Agnum novum paſcunt.*

Vid. *Scholzii Ioannem ex Theocrito pag. 27*, ubi plura.

XXIV. Σοφίαν & Φρόνησιν, inter quas *Paulus Eph. I, 8*, diſtinguit, nihil a ſe differre, *Hombergius* minus veriſimiliter affirmat. Diſſentit Auctor *Biblioth. nova Halenſ.* vernaculo no-

bis ſermone editæ, *P. XXXV pag. 375.* Is inter cetera locum promit *Ariſtotelis* ex *Topicorum Lib. I*, ubi hæc legis: πρός τι τὴν γνῶσιν, καὶ τὴν κατὰ σοφίαν Φρόνησιν. Idem ait, has voces ita a ſe invicem differre, ut Hebræorum חָכְמָה & בִּינָה, ſeu תְּבוּנָה, & σοφίαν referri vult ad *ingenium*, Φρόνησιν vero ad *iudicium*. Vid. *Wolfius Cur. T. III pag. 20.* Φρόνησιν idem *Ariſtoteles Lib. VI Cap. 5 Ethic. Nic* definit ἕξιν ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπων ἀγαθὰ καὶ κακά, quod ſit *habitus, cum ratione vera coniunctus, ad agendum idoneus, in iis occupatus, quæ homini bona & mala ſunt.* Eodemque fere modo & in *Rhetor. l, 9, 14.* Item a *Plutarcho* in libro *de Virtute morali* dicitur Φρόνησις eſſe virtus ποιητέα ἐπισκοπεῖσα, καὶ μὴ ποιητέα. Significat igitur Φρόνησις *actum intelligendi & conſiderandi atque conſultandi*, ut exempla declarant; ſeu *actum prudentiæ* ſemper infert. Opponitur eadem τῇ ἀγνοίᾳ. *Polyb. Lib. V Cap. 88:* Τοσοῦτον ἄγνοια καὶ ῥαθυμία διαφέρει παρ' ἀνθρώποις ἐπιμελείας καὶ Φρονήσεως. *Adeo inter homines differunt imprudentia ignorantiaque a diligentia & prudentia.* Vid. *Raphel. Annotat, Polyb. pag. 169.* Eandem differentiam *Ariſtoteles* exhibet *Lib. I Eth. Cap. ultimo*, ubi ſapientiam comparat hero, prudentiam eius procuratori: Ἡ Φρόνησις ἔχει ὥσπερ ἐν οἰκίᾳ ὁ ἐπίτροπος. οὔτε γὰρ πάντων κύριος, καὶ πάντα διώκει, ἀλλ' οὔπω οὔτε ἄρχει πάντων, ἀλλὰ παρασκευάζει τῷ δεσπότῃ σχολὴν, ὅπως ἂν ἐκεῖνος μὴ κωλυόμενος ὑπὸ τῶν ἀναγκαί-

ἀνεκκλείηταί τύτων καλῶν τι καὶ προσηκόντων πράττειν. ὕτω καὶ ὁμοίως τύτῳ ἡ Φρόνησις ὥσπερ ἐπίτροπός ἐςι τῆς σοφίας, καὶ παρασκευάζει ταύτῃ σχολήν. *Ita habet prudentia, ſicut procurator habet in re domeſtica. Nam hic omnium eſt dominus, & regit omnia, ſed non eſt omnium princeps; ac ſuppeditat otium hero, ne ille impediatur a neceſſariis curandis, & excludatur ab honeſtorum aliquo agendo. Simili modo plane prudentia velut quædam ſapientiæ procuratrix eſt, & eidem ſubminiſtrat otium.*

XXV. *Iulius Pollux Onomaſt. Lib. VI Cap.* 15 *ſegm.* 94 videtur diſtinguere inter σπόγγυς & σπογγίας. Ita enim ſcribit: Σπόγγοις δὲ καὶ σπογγίαις καθηράντων οἱ ὑπηρέται πάντα τὰ λείψανα τῆς τροφῆς, τὰ ἐπὶ τῦ δάφυς ἀπεῤῥιμμένα. Οἷον φυλλία, τὰ δὲ τῆς θριδακίας φύλλα ὕτω καλῦνται, καὶ κογχυλίων κόχλυς, καὶ ὀςρέων κόγχυς, καὶ ἰχθύων λεπῆ, καὶ καράβων ὄςρακα, καὶ κρεῶν ὀςᾶ. κ. τ. λ. i. e. σπόγγοις & σπογγίαις *miniſtri omnes cibi reliquias, in ſolum proiectas, expurgaverunt: utpote phyllia* (lactucæ autem folia ſic vocantur,) & *conchularum conchas, oſtrearum teſtas, piſcium ſquamas, carabonum putamina, carnium oſſa.* &c. Qua ratione autem commode diſtinguantur σπόγγος & σπογγία, non facile apparet, cum utraque vox ubique idem ſignificare videatur *n*). Sed forſitan

n) Utraque vox indicat inſtrumentum, quo detergentur humida. Unde in *Etymologico magno* deducitur ex σπᾶν τὰ ὑγρά. I. C. HAR.

tan *Pollux* ad doctrinam reſpexit veterum, qua alias ſpongias mares, alias fœminas, appellarunt. Vid. *Krigelii Diſſert. de Spongiarum apud veteres uſu pag. 19 n. 39.*

XXVI. Differunt συνθήκη & σπονδή. Conventiones ſunt vel æquales, vel inæquales. Æquales ſunt, quæ utrinque eodem modo ſe habent, αἱ ἴσως καὶ κοινῶς ἐν ἀμφοτέροις ἔχουσι, ut *Iſocrates* in *Panegyrico* loquitur, quo illud *Virgilii* pertinet:

> *Nec mihi regna peto, paribus ſed legibus ambas*
> *Invictas gentes æterna in fœdera mittam.*

Græci iſtas modo vocant συνθήκας ſimpliciter, modo συνθήκας ἐπὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, *compoſitionis pari & æqua lege*, ut apud *Appianum* & *Xenophontem* videre eſt. Inæquales vero magis proprie σπονδὰς, &, quatenus minus dignos reſpiciunt, προστάγματα, aut συνθήκας ἐκ τῶν ἐπὶ ταγμάτων, vocant, quas *Demoſthenes* in *Oratione de Rhodiorum libertate* fugiendas ait his, qui libertatem amant, quia ad ſervitutem accedant proxime. Vid. *Grotius de Iure B. & P. pag. 741.* Σπονδὴ ſi fieret, pax conſtabat armorum vi, cum, hoſtibus domitis, victores legem, quam volunt, ferunt. Hinc, qui pacem petebant, dicebantur σπονδὴν αἰτῆσαι. Conf. *Ammonius* Voc. Σπονδαί.

XXVII. Τίκτω & γεννάω ita diſcriminantur, ut τίκτειν de *fœminis*, γεννᾷν autem de *viris*, dicatur. *Plutarchus Sympoſ. Lib. III Qu. 4 pag.*

651

651 ſcribit: λήγουσι τίκτουσι πολὺ πρότερον ἢ γεννῶντες οἱ ἄνδρες, *longe deſinunt citius parere mulieres, quam gignere viri.* Sed idem ipſe γεννᾷν etiam mulieribus tribuit *de puer. inſtit. pag 3:* δεῖ τὰς μητέρας ἃ γεγεννήκασιν αὐτὰς τιτθεύειν, *oportet matres, quos pepererunt, ipſas lactare. Palæphatus Cap. 11. Paſiphae:*

— — γεννήσει παῖδα, *pariet puerum.*

Et *Antonius Liberalis:* ἐὰν γεννήσῃ κόρην, ἀφανίσαι, *ſi peperiſſet puerum, non tollere, vel interimere.* Conf. *Cap. 17* & *Cap. 32. Dryope* γεννᾷ παῖδα, *parit filium* ex Apolline. Similiter e contrario τίκτειν notat *generare. Homer. Il. VI, 154:*

ὁ δ' ἠτέκεθ' υἱόν,

ille vero generavit filium.

Et mox *v. 155:* γλαῦκος ἔτικτεν. *Glaucus generavit Bellerophontem.* Et iterum *v. 206. Hippolochus:* μ' ἔτικτε, *me generavit.* Similiter & alibi *Homerus, Heſiodus, Pindarus,* & alii, loquuntur. Utriusque generis parentes τοκῆες & γονεῖς promiſcue dicuntur. Vid. *Eckhardi Obſ. Phil. ex Ariſtoph. pag. 129. Pſochenius de puritate L. Gr. N. T.* § 43, alia exempla congeſſit, quæ addere iuvat: *Lucianus* ita: ᾄδουσιν, ἄνευ τῆς πρὸς τὸν ἄνδρα ὁμιλίας ὑπηνέμιον παῖδα τὴν Ἥραν γεννήσασθαι τὸν Ἥφαιστον, *canunt, abſque virili converſatione ſubventaneum puerum Iunonem ediddiſſe Vulcanum. Heſiodus o)* in *Theogon. v. 1016 ſeq.:*

o) *Theogonia Heſiodi* finitur cum *verſiculo* 964. Reliqua adiddit recentior Grammaticus, inficete repetens in fine *verſiculos* 965 *ſeq. Heſiodo* illud additamentum prorſus eſt indignum. I. C. HAR.

Ναυσίθοον δ' Ὀδυσῆϊ Καλυψὼ δῖα θεάων
Γείνατο, Ναυσίνοόν τε, μιγεῖς ἐρατῇ φιλότητι
Αὗται μὲν θνητοῖσι παρ' ἀνδράσιν εὐνηθεῖσαι,
Ἀθάναται, γείναντο θεοῖς ἐπιείκελα τέκνα.

Nauſithoum vero Ulyſſi Calypſo excellentiſſima Dearum
Genuit Nauſinoumque, mixta grato amore.
Hæ quidem apud mortales viros cubantes
Deæ, pepererunt Diis pares filios.

Sicut h. l. γεννᾶν per catachreſin de fœminis, ita τίκτειν de viris ab *Homero*, uſurpatur *Il. B. v.* 728:

Τῶν αὖθ' ἡγεμόνευε μενεπτόλεμος Πολυποίτης,
Υἱὸς Πειριθόοιο, τὸν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς.

His praerat bellicoſus Polypoetes,
Filius Pirithoi, quem immortalis genuit Iupiter.

Latini, ſicut in aliis quamplurimis, ita etiam in differentiis vocum, perſæpe Græcos imitati ſunt. Hinc *gigno* non tantum maribus, ſed etiam fœminis, tribuitur. *Tacitus Ann. XIII, 45*, de *Poppæa: Igitur agentem eam in matrimonio Rufi Criſpini, equitis Romani, ex quo filium genuerat, Otho pellexit* &c. Similiter *parere* non de fœminis tantum dicitur, ſed de viris quoque, teſte *Cælio* apud *Nonium VI, 94*.

XXVIII. Diſtincta ſunt ὑπερῷον & δῶμα. De hac differentia copioſe agunt *Gregorius Cap. 3 Obſervat.* & *Baſnagius* in *Exercit. Antibaron. pag.* 345.

345. Differunt autem hoc; ut δῶμα ſit *ſolarium, ubi meditari, ambulare, & aerem ſerenum naribus captare, ſolebant in tecto*, ſcil. *plano*. Ὑπερῷον vero notat *conclave aliquod certis uſibus deſtinatum, ſeu ſecretiorem partem domus, non modo ſuperiorem*. Sacris cumprimis ὑπερῷον dicatum erat uſibus, præſertim apud Iudæos. De ſignificatu vocis ὑπερῷον plura *Wolfius Tom. I Cur. pag.* 1008 docet. Differentiam confirmant LXX interpretes, qui 2 *Reg. XXIII*, 12, vertunt: καὶ τὰ θυσιαστήρια τὰ ἐπὶ τοῦ δώματος τοῦ ὑπερῴου Ἄχαζ, ἃ ἐποίησαν βασιλεῖς Ἰούδα; & alibi. *Euſtathius ad Il. XVI pag.* 1054: τὰ μετέωρα τῶν οἰκημάτων ὦα καλοῦσιν οἱ Λακεδαιμόνιοι. Ὅθεν ὑπερῷον τὸ οἷον εἰπεῖν, ὑπερύψηλον. *Editiora ædium loca* (tabulata) *Lacedamonii ὦα vocant: unde ὑπερῷον idem eſt, ac ſi diceres*, ὑπερύψηλον, i. e. *alte faſtigiatum*. p) Unde *Clearchus* apud *Athenæum Lib. II pag.* 57, E, ait, *Helenam* ἐν τοιούτοις οἰκήμασι τρεφομένην, δόξαι ἀπενήνεχθαι παρὰ πολλοῖς, ὡς ἐκ ὠοῦ εἴη γεγεννημένη; *quoniam in eiusmodi cænaculis educata fuiſſet, multos ex ovo genitam exiſtimaviſſe. Homerus* utique paſſim ibi collocat mulieres: uti *Penelopen Odyſſ XV*, 516:

— — ἀπὸ τῶν ὑπερωΐῳ ἱστὸν ὑφαίνει.

— — (quæ) *in ſuperiore ædium parte telam texuit.*

 Illic

p) Conf. *Lambertum Bos* in *Exercitationibus philologicis ad N. T pag.* 641 *ſeq. Franequeræ*, 1713, 8. I. C. HAR.

Illic etiam cum *Marte* concubuit *Aſtyoche:*

> Παρθένος αἰδοίη ὑπερώϊον εἰσαναβᾶσα.
>
> *Virgo pudica cum ſuperiorem domus partem adſcendens intraſſet.*

Et *Mars* cum *Polymela:*

> — — εἰς ὑπερῷ' ἀναβὰς, παρελέξατο λάθρῃ.
>
> — — *in ſuperiora domus adſcendens clam accubuit.*

Thalamus hic erat, quo apud priſcos Græcos mulieres, præſertim virgines, degere ſolebant. Ita namque *Homerus Odyſſ. IV,* 751, 760, 787, col. *v.* 802. *Penelope* ὑπερῷ' ἀναβᾶσα, *ſuperiora adium conſcendens,* in θαλάμῳ, *cubiculo,* collocatur. Vid. *Feithii Antiq. Hom. pag.* 363 & 364. *Stœberus* in *Animadv. in Feithium pag.* 56 hæc addit: *Erat* ὑπερῷον *locus, ubi virgines præſertim & viduæ degebant, a communi hominum conſortio remotior; unde modo in ſuprema, modo in interiore, domus parte eas vidimus collocatas* Vid. *Il. XXII*, 440, col. *Schol. ad Il. II*, 449, & *Corn. Nepos* in *Proœmio.* Locus, ubi Apoſtoli congregati erant tempore Pentecoſtes *Act. I*, 13, eodem ὑπερῴου nomine inſignitur, quem curatius inquirit *Tribbechovius ad Baron. Sect. II pag.* 22. Ceterum de ὑπερῴῳ docte & copioſiſſime agit Cel. Anglus *Shaw* in Itinerario, cuius inſignem partem in vernaculum transfudit *A. P. L. Carſtens,* ſub titulo: *Erlauterte Schriftſtellen aus D. Thomas Shaws Reiſebeſchreibung.* Huius libelli conf.

pag.

pag. 34 — 40, ſi rem curatius cognoſcere deſi deras.

XXIX. Φάλος & λόφος ſunt diverſa. Φάλος eſt conus, λόφος criſta. Græci literatores: Φάλοι, τὰ ἐπὶ τῶν περικεφαλαίων ἀσπιδίσκια. λόφοι δὲ αἱ τριχώσεις. Phali, clypeoli in galeis; loph. iubæ, aut criſtæ. Euſtathius: φάλοι κατά τινας τῶν παλαιῶν σωλήνια τινὰ ἐπὶ τῶν μετώπων, εἰς ἃ καθίει τὸ οἱ λόφοι Phali, iuxta quosdam veterum, fiſtulæ, aut tubuli ſuper frontem, in quos criſtæ immittebantur. Heſychius hæc confundit quando ita: Φάλος ὁ λόφος τῆς περικεφαλαίας. Phalus criſta galeæ. Quod Euſtathio φάλος, hoc Latinis eſt conus. Statius:

— — — — criſta nitenti
Inſurgens cono.

Gloſſæ explicant conum κύμβαλον καὶ ἄκρον τῆς περικεφαλαίας, *cymbalum & ſupremam partem galeæ*. Reſcribendum potius κύμβαχον *Homeri* etiam voce. Nam κύμβαχος, *Heſychio* interprete, eſt τὸ ἀνώτατον μέρος τῆς περικεφαλαίας: Videatur *Lipſius de Mil. Rom Lib III pag.* 192. Λοφους, ſeu *criſtas*, plerumque ſetas equinas olim fuiſſe, ex *Homeri Il. III*, 336, *Il. XIX*, 381, *Theocriti Idyll. XVI*, 81, & ex aliis, oſtendit *Feithius Antiq. Homer. pag.* 459, 460. *Stæberus* in *Animadv. in Feithium pag* 77 ſequentia adiecit: *Λόφος aliis idem eſt, quod Φάλος dicitur: ab aliis vero hæc diſtinguuntur.* Vid. *Witteri Diſſert. de Galeis veterum pag.* 15 *ſeq.* & *Potteri Archæol. Græc. Lib. III Cap. IV pag.* 444. Obſervat idem

Stæberus, galeam, criſta carentem, *Homero* dici *καταῖτυξ Il. X*, 257 *ſeq.* Conf. *Euſtath.* & *Schol. ad h. l.* & quæ leguntur in *Witteri Diſſert. pag.* 22 *ſeq. Galeam* autem, cui criſtas imponebant, *κυνῆν* vocatam fuiſſe, ex *Feithio l. c.* ſatis conſtat. Dicebatur ita, quia olim pellis canis fluviatilis ad tegendum caput ſumebatur, teſte *Euſtathio ad Iliad. III, v.* 336.

XXX. Φυλὴν & ὠβὴν Lexicographi dicunt *tribum*, ſeu *claſſem*, notare, poſteriorem autem vocem eſſe Laconicam. Differunt autem multum, ita ut φυλὴ maius, ὠβὴ minus, fuerit. Differentia patet ex veluſtiſſimo oraculo *Apollinis*, quod *Lycurgo* redditum eſt. Oraculi verba hæc ſunt, antiquitatem penitus obſoletam ſpirantia: Διὸς Συλλανίε καὶ Ἀθηνᾶς Συλλανίας ἱερὸν ὑδρυσάμενος φυλὰς φυλάξαντα, καὶ ὠβὰς ὠβάξαντα, τριάκοντα γερουσίαν σὺν ἀρχαγέταις καταςήσαντα, ὥρας ἐξ ὥρας ἀπελλάζειν μεταξὺ Βαβύκας τε καὶ Κνακιῶνος, οὕτως εἰσφέρειν τε καὶ ἀφίςασθαι γαμωδᾶν γορίαν, ἦ μὴν καὶ κράτος. Hactenus oraculum, Diem addit *Plutarchus* in *Vita Lycurgi*, interpretans obſoleta & obſcura: ἐν τέτοις τὸ μὲν φυλὰς φυλάξαι καὶ ὤβας ὠβάξαι, διέχειν ἐςὶ, καὶ καταναῖμαι τὸ πλῆθος εἰς μερίδας, ὧν τὰς μὲν φυλὰς, τὰς δὲ ὤβας προσηγόρευκεν. κ. τ. λ. Oraculi verba ſic vertit *Cruſekenius*: *Ubi templum exſtruxeris Iovi Syllanio, & Minervæ Syllaniæ, populumque diſtribueris in tribus & obas, Senatus conſtituens annumeratis regibus XXX virorum, & prout temporum articuli poſtulabunt, concionem habebis inter pontem & Gnacionem*

nem amnem, ubi agent cum populo ſenatores, & dimittent concionem, neque ius erit populo verba faciendi. *Plutarchus* autem oſtendit, φύλας φυλάξαι, καὶ ὤβας ὠβάξαι, idem eſſe, quod *diſtinguere* & *diſtribuere multitudinem in partes*, quas φύλας & ὤβας olim dixere. *Ubbo Emmius*, ex quo hæc depromſimus, ceterum de φύλαις & ὤβαις ita: *Populus Laconum totus, civitatem conficiens, putatur diviſus fuiſſe in* φύλας *ſex, quas tribus interpretamur, & qualibet* φύλη *rurſum in* ὤβας *quinque, ut hæ fuerint omnes numero XXX. P. I pag. 294-299.*

XXXI. Φωνὴ & φθόγγος eleganter ab *Epicteto* ita diſtinguuntur, ut φωνὴ ſit *ſonus quivis*, φθόγγος autem *ſonus muſicus*, ſive in vocum, ſive in nervorum, cantu. Ita enim diſſerit *Lib. III Cap. 6:* Πυθομένυ δέ τινος, τί ἐςιν ὁ κοινὸς νῦς, ὥσπερ (φησὶ) κοινή τις ἀκοὴ λέγοιτ' ἄν, ἡ μόνον φωνῶν διακριτικὴ, ἡ δὲ τῶν φθόγγων ἐκέτι κοινὴ, ἀλλὰ τεχνική. ἔτως ἐςί τινα, ἃ οἱ μὴ παντάπασι διεςραμμένοι τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰς κοινὰς ἀφορμὰς ὁρῶσιν. ἡ τοιαύτη κατάςασις κοινὸς νῦς καλεῖται. *Interrogante quodam, quid eſſet communis intellectus, ut, inquit, communis auditus is poteſt dici, qui tantum ſonos diſcernit, qui vero ſonos muſicos diſcernit, non iam eſt communis, ſed artificioſus, ita ſunt quædam, quæ homines non plane obtuſi ſecundum communes notitias vident. Talis conſtitutio communis intellectus vocatur.* Dicitur tamen φθόγγος de humano quoque ſermone non modulato, uti & φθέγγεσθαι;

imma

immo etiam ἐν ἀνθρώπῳ φωνῇ φθέγγεσθαι. Vid. *Raphel. Annotat Polyb. pag. 473.* *Herodotus Lib. II pag. 126*: Τέῳ τρόπῳ ἂν πελεία ἀνθρωπηΐῃ φωνῇ φθέγξαιτο, *quomodo columba humana voce loqueretur? Alciphron Ep. Lib. II, 4*: μείζονι τῇ φωνῇ φθεγξαμένη, καὶ σφοδροτέρᾳ, *maiore voce locuta & vehementiore.* Ceterum de vocabulo muſico Φθέγγος conſulatur *Stephanus* in *Theſauro Tom. I. pag. 1796*, ubi annotat, notare *ſonitum vocis diſcretum, contentione æquali, aut inæquali;* atque ex *Chalcidio* oſtendit, apud Muſicos συστήματα *partes principales* vocari; hæcque ipſa ex certo conſtare tractu pronuntiationis, quæ dicuntur διαστήματα; horum denique partes eſſe φθόγγους, qui *ſonitus* dicuntur, & cantus elementa ac fundamenta conſtituunt.

XXXII. Diſcernunt *aggerem* a *vallo* tum Latini, tum Græci, ſcriptores. *Caſar de Bell. civ. III, 63, 1 & 3: Vallus contra hoſtem in altitudinem pedum X, tantundemque eius valli agger in latitudinem patebat. Arrianus de Exped. Alex. II, 19, 9*: Multi oppidanorum, inſcenſis ſcaphis, ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ ἐποκείλαντες τοῦ χώματος, τὸν δὲ χάρακα οὐ χαλεπῶς διέσπασαν τὸ πρὸς αὐτοῦ προβεβλημένον, *diverſis e partibus ad molem appulſi, vallum, quod ante aggerem Macedones iecerunt, facile ſubverterunt.* Hic χῶμα eſt *agger*, χάραξ autem *vallus*. Vid. *Raphel. Annotat. Polyb. pag. 230.*

XXXIII. Differunt χρησμὸς & χρηστήριον. *Heſychius* in voce Χρησμὸς inquit, προφητεῖαι

περὶ-

προῤῥήσεως, ὁ παρὰ Θεοῦ διδόμενος λόγος, ἡ μαντεία. Hic oraculum ſumitur pro ipſo daemonis reſponſo. Quando autem oraculum locum denotat, in quo rogatur daemon, tum vocatur χρηστήριον, q) ſeu *locus oracularis. Pollux Lib. I Onomaſt. Cap. I, 5, 18.* Ceterum de vocabulo χρηστήριον conferantur *Ammonius*, & *Valckenaerius* in *Animadverſ. ad Ammon. Lib. III Cap. XIX pag. 235, 236*, ubi de eodem copioſius diſputat. *Iulius Pollux Onomaſt. I, n. 18, pag. 8.*

XXXIV. Ὤψ & πρόσωπον Lexicographi *vultum* & *faciem* denotare affirmant, nullo adiecto diſcrimine. Ὤψ, quod Græcis proprie *oculum* denotat, uſurpatur ab *Homero* de toto vultu. *Odyſſ. I. v. 411:*

Οὐ μὲν γάρ τι κακῷ εἰς ὦπα ἐῴκει.

Neque enim improbi vultum præ ſe ferebat.

Ubi optime vetus Scholiaſtes εἰς ὦπα exponit τὴν πρόσοψιν, *conſpectum, vultum*; nec minus recte *Euſtathius* obſervat: ὦπα τὸ ὅλον εἰπόντες πρόσωπον ἀπὸ τοῦ τιμιωτάτου μέρους. ἀφ' οὗ καὶ τὸ πᾶν παρωνόμασαι πρόσωπον, οἱονεὶ τὸ πρὸς τοῖς ὀφθαλμοῖς. Τὸ γὰρ μετὰ τὰς ὦπας μέτωπον. Ὦπα, *oculum, totam dicunt* (proci) *faciem, ex*

parte

q) Ita diſtinguere *Moſchopulus* περὶ σχεδῶν *pag.* 8 negat, nec non *Suidas* in Χρηστήριον, ac *Sophoclis* Scholiaſtes ad *Aiacem Flag. v.* 220, ubi χρηστήριον ita exponitur: δηλοῖ δὲ ἡ λέξις καὶ τὸ μαντεῖον καὶ τὸν χρησμὸν καὶ τὸ ἱερεῖον. Vide *Lambertum Bos* in *Animadverſionibus ad Scriptores Græcos Cap.* 51 *pag.* 199. I. C. HAR.

parte huius nobiliori, ex qua & facies προσώπου *nomen apud Græcos accepit, quaſi dicas, quod circa oculos eſt; perinde ac* μέτωπον *frons dicta fuit, quaſi* μετὰ τὰς ὦπας, *pars faciei, quæ eſt poſt oculos.* Eodem ſenſu apud *Heſiodum Oper. & Dier. v. 62 ſeq.* occurrit:

> Ἥφαιϛον δ' ἐκέλευσε περικλυτὸν ὅττι τάχιϛα
> Γαῖαν ὕδει φύρειν, ἐν δ' ἀνθρώπου θέμεν αὐδὴν,
> Καὶ σθένος, ἀθανάταις δὲ θεαῖς εἰς ὦπα ἐΐσκειν.

> *Vulcanum vero inclytum iuſſit quam celerrime*
> *Terram aqua miſcere, hominisque induere vocem,*
> *Et robur, immortalibus vero Deabus facie ſimilem reddere.*

Nec præterire quem poteſt, ὄμματα, *oculos* denotantia, ſubinde pro facie apud Græcos accipi. *Lackemacherus Obſerv. Philol. P. II pag. 5.* Brevi: ὤψ *ſignificat totam faciem,* πρόσωπον *autem accurate reſpondet Latinorum vultui. Vultus enim his eam partem oris, ſeu faciei, denotat, quæ fronti, ſuperciliis, oculis, ſubeſt. Cicero in Piſonem* ait: *Oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus.* Vultum ab oculis & fronte ſeparavit. Idem in Lib. *de Fato* ita: *Qui ſe profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte, pernoſcere.* Rurſus hic vultum ſeparat a fronte. Interim & ea vultus nomine aliquando continentur. Hæc *Turnebus* notat: Patet exhinc ſimul, quanto ſtudio Romani etiam differentias Græcorum in ſuam linguam transtu-

tulerint, quod aliquoties iam monui, & in poſterum monebo. Tantum *r*) in præſens.

VII.

r) Addere iuvat differentiam inter voces μειδίαμα & γέλως, quarum illa *ſubridendi modum*, hæc *riſum*, deſignat. *Clemens Alexandrinus* in *Pædagogo* *II*, 5, *pag*. 167, luculente: Ἡ καθ' ἁρμονίαν τοῦ προσώπου, καθάπερ ὀργάνου, κόσμιος ἄνεσις, μειδίαμα κέκληται. διαχύσις οὕτως ἀνακέκληται κατὰ πρόσωπον σωφρονέντων ὁ γέλως. *Quæ vultui, tanquam organi, fit per harmoniam decora remiſſio, appellata eſt ſubriſio. Ita diffuſio, quæ fit in vultu modeſtorum, riſus dicitur.* Locum ita reſtitui, qui in Græco paulisper eſt luxatus. *Heſiodus* in *Scuto Herculis* v. 115:

ὥς φάτο, μείδησεν δὲ βίη Ἡρακληείη,

Sic ait, ſubriſit vero vis Herculana (Hercules).

Idem vocavit *Venerem* ſubridendi artificem, Φιλομμειδέα Ἀφροδίτην, in *Theog.* *v*. 989, alibi vero *v*. 200 Φιλομμηδέα, *genitalium amantem*. Non videtur quidem *Iulius Pollux* diſcreviſſe ſignificatum τοῦ γέλωτος καὶ μειδιασμοῦ, μειδιάσματος, μειδιάσεως, *Onom*. *XLIX*, 50, *pag*. 321. At viſum haud erat *Polluci*, differentias vocum Græcarum ibi exponere. Riſus, qui cum titillatione manuum eſt coniunctus, vocatur γιγλισμός, κιχλισμός, γαργαλισμός, teſte *Suida* in Voce Γιγλισμός. Locum emendavit *Lambertus Bos* in *Animadverſionibus ad Scriptores quosdam Græcos Cap*. 36 *pag*. 147 *ſeq*. Noſtri illud γιγλίζειν efferunt per *giggeln*. Oramus nomine publico Cl. Autorem, ut inſtitutum ſuum, ſolide ſuſceptum, urgeat & inſiſtat. Supereſt enim adeo

mul-

VII.

FRID. OTTONIS MENCKENII LIBRORVM, HAVD ITA DIV AB INVENTA ARTE TYPOGRAPHICA EDITORVM, QVIBVS SVPPLERI POSSINT ANNALES TYPOGRAPHICI MAITTAIRIANI, DECAS QVINTA, EIVSQVE ALTERA PARS.

Si quid mihi nuper demum ex literatis meis hortulis florum collectum eſt, eius ante te exponendi, Lector, hoc faciliorem mihi velim veniam dari, quo iucundius, librorum veterum haud vulgarem habere notitiam, per ſe omnes iudicant.

I. *Epiſtole Gaſparini. Inpreſſæ per Ioannem Priis Argentinae anno Domini MCCCCLXXXVI, in vigilia nativitatis Domini. 4.*

Auctor harum Epiſtolarum cum vel ſolo prænomine notiſſimus ætati ſuæ fuerit; hinc factum eſt, ut in harum fronte *Gaſparinus* diceretur, qui plenius & accuratius *Gaſparinus Barzizius* dicendus erat. Id enim ei cognominis a patria Barziza, Bergamenſis ditionis prædi-

multum in Græca lingua diſtinctius diſcenda eviſcerandum, ut id nequeat vel dici, vel hominibus ætatis noſtræ perſuaderi. I. C. HAR.

diolo, fuit. Etiam *Gaſparinus Pergamenſis* vocatur *Paulo Merulæ* in *Commentario ad Q. Ennii Fragmenta pag. 466*, & Argentinenſi huic *Epiſtolarum* Editori, qui primæ omnium Epiſtolæ hæc inſcripſit: *Gaſparini Pergamenſis, clariſſimi Oratoris, Epiſtolarum labor feliciter incipit.* Sed ante hunc etiam *Guil. Fichetus*, Pariſienſis doctor Theologus, in epiſtola ad *Io. Lapidanum*, Sorbonenſis Scholæ Priorem, Pariſienſi harum *Gaſparini Epiſtolarum* editioni anni 1470 præmiſſa: *Miſiſti nuper ad me ſuaviſſimas Gaſparini Pergamenſis Epiſtolas*, &c. At errori id tribuendum eſt *Pergamenſis* pro *Bergomenſis* (ita enim a patria multis vocatur) ſcribentium. De huius *Barzizii*, quem, multum fallitur idem *Merula*, cum mediæ ætatis ſcriptorem nominat, (ſub Seculi enim XV claruit initium,) ſed qui fuit ex paucis illis, qui elegantiores Muſas, aliquot inde Seculis extorres, feliciſſime in Italiam reduxerunt, eo nomine incomparabilis *Petrarchæ* laudem aſſecutus, vita æque ac doctrina excellenti, & inſigni eloquentia, quicquid dici præclare poteſt ac magnifice, dudum ante me dictum eſt aliis, *Donato Calvo* in *Scena letteraria degli Scrittori Bergamaſchi P. I pag. 184 ſeq. Lud. Ant. Muratorio T. II. Anecdotorum pag. 241 ſeq. Io. Alb. Fabricio* in *Bibl. Lat. med. & inf. æt. & T. I p. 488*, & *T. II pag. 65 ſeq.* Auctor *Biblioth. Germanicæ*, Gallice ſcriptæ, (*Iac. Lenfantius*,) *T. I pag. 129. ſeq.* præ ceteris vero a *Ioſepho Alexandro Furietto* in *Vita Gaſparini Barzizii, Bergomatis*, præmiſſa *Gaſparini Barzizii, Bergomatis, & Guiniforti, filii, Operibus*, ab eodem *Furiet-*

to Romæ *A.* 1723, forma 4, editis. Ab his igitur doceri te, Lector, ſi cupidus es ſciendi, memorabilia *Gaſparini* velim, eam gloriam, quæ ex compilandis Biographorum forulis exſpectari poteſt, iis relinquens, qui tali genere laborum laureolas, plauſum, nomen magnum, aucupantur. Nec de ſcriptis *Barzizii*, elegantia magis, quam numero, æſtimandis, hic locus eſt differendi; quippe quæ Romæ, ut dixi, A. 1723 coniunctim edita, omnium nunc & poſſunt, & ſolent, manibus verſari. De his ſaltem, quæ dicendi de *Gaſparino* occaſionem præbent, *Epiſtolis*, non abs re fuerit, notari, eſſe has non ex re, & tempore, & opportunitate, ſive *Gaſparini*, ſive amicorum, natas, ſed ingenii & ſtili exercendi cauſa, de argumentis, non fortuna oblatis, ſed ſtudio ſelectis, moralibus nempe & civilibus, compoſitas; multumque adeo ab eiusdem *Gaſparini* aliis differre, quæ ſunt ad familiares familiariter ſcriptæ, ſed de quibus ante, quam a *Furietto* inter cetera *Barzizii* opera ederentur, nihil cognitum eruditis fuit. Haud difficile igitur cauſam intelligis, cur illas, exercitationis cauſa ſcriptas, & maximam partem philoſophicas, Epiſtolas *Cynicas* dixerit *Orlandus* in *Orig. e progreſſ. della Stampa pag.* 380; nec fortaſſe *Maittairius*, ſi data ei, propius has inſpiciendi, copia fuiſſet, ita ſcripſiſſet in *Annal. typ. Tomi V*, ſeu *Indicis*, *P. I pag.* 427: *Quid ſibi velint hæc, quæ ab Orlando pag. 380 ſubiunguntur, verba:* Iſtæ Epiſtolæ ſunt Cynicæ, *minime intelligo. Certe Gaſparini Epiſtolæ non eædem ſunt, quæ Cynicæ.* Nimirum

rum notum eſt, exſtare librum, ſic inſcriptum: *Epiſtolæ Cynicæ: hoc eſt, Phalaridis Epiſtolæ; Marci Bruti Epiſtolæ, cum Mithridatis ad eas reſcripto; Cratis Cynici Epiſtolæ*, Pariſiis circa annum 1470 editum, quem librum ab *Orlando* tribui *Barzizio*, nemini facile in mentem veniat ſuſpicari. Potuit autem eadem ratione, qua *Phalaridis*, & *Bruti*, & *Cratis*, Epiſtolæ *Cynicæ* ſunt dictæ, id nominis *Barzizianis* tribuere *Orlandus*: quod in utroque genere deſumta ex ſeveriori, hoc eſt, Cynica, Philoſophia argumenta pertractentur, & mores hominum, civitatum, rerum publicarum, ſatis acerbe caſtigentur. Plurimæ certe *Gaſparini* Epiſtolæ publicum civitatis Bergomenſis ſtatum tangunt, nec paucos civium nobiliorum, ſub veterum Romanorum nominibus occultatos, de peſſime adminiſtrata republica reprehendunt. Videtur enim ex una harum Epiſtolarum feliciter poſſe colligi, in regenda civitate partes *Gaſparini* haud poſtremas fuiſſe, florentiſſimaque primum fortuna uſum, ſed poſtea fraude & inſidiis civium ſuorum illo felicitatis gradu deiectum, & ad extremam inter ſuos paupertatem redactum. Stilo in his Epiſtolis tali utitur *Barzizius*, qualis eſſe eorum ſolet, qui totos ſe ad veterum Auctorum, maxime vero *Ciceronis*, ingenium & genus dicendi componunt, hoc eſt, puro, numeroſo, & polito. Multum autem fallitur *I. A. Furiettus*, cum, editionem harum *Epiſtolarum* prodiiſſe unam tantum, eam nempe, quam *Pari-*

ſiis Ulricus Gering, Mart. Crantz, & *Mich. Friburgerus*, A. 1470 dederunt, ſibi & aliis perſuadens in Præfatione, *Operibus Barziziorum* præmiſſa. Hanc enim, omnium primam, & in rariſſimis habendam, plures aliæ ſecutæ ſunt, ipſi inter alios *Maittairio* nominatæ: *Baſileenſis* nempe anni 1479, *Daventrienſis* anni 1496, *Pariſienſis* anni 1498, a *Guidone Mercatore* curata, & *Baſileenſis*, officina *Mich. Wenzleri* & *Frid. Biel* emiſſa, quam anni indicio deſtitutam dicit, qui ipſe eam inſpexit, *Maittairius*, ſed quæ ad annum 1489 ab *Orlando pag. 380* refertur. His noſtra hæc *Argentinenſis*, anni 1486, accedat, nec *Maittairio*, nec, quod ſciam, alii cuiquam, indicata, eoque nomine, quam e ſuis tenebris proferamus, & inter ſelectiora naſcentis typographiæ monumenta obtinere locum patiamur, digniſſima. Huius quis curam geſſerit editionis, nullo patet indicio; quandoquidem nec ulla ei commendatoris præfatio, nec quidquam ſimile, acceſſit. Id uſus me docuit, paulo corruptiorem hic Epiſtolarum textum legi, multumque adeo deberi induſtriæ *Furietti*, qui, ut omni ex parte integerrimæ emendatiſſimæque legerentur, vetuſtiorum ope Codicum effecit. Ex uno exemplo, cuius generis ſint reliqua, diſce. Initium *Epiſtolæ 121*, ex vetuſtiori noſtra editione, hoc eſt: *Deſperarem, niſi Rempublicam ſemper pluris feci, quam aut me ipſum, aut meos liberos.* Ubi cum nullum ſenſum habere illud *Deſperarem*, omnes videant, recte & accura-

curate pro eo exſcriptum eſt a *Furietto Diſpercam*.

II. *Lucii Flori Hiſtoriographi Epithomata.*

Ad Lectorem:

Magnorum quicunque voles exempla virorum
Noſcere, quos fortes inclita Roma tulit:
Me lege. Tum dicas: Quam multos Florus in annos
Edidit hanc claram Lucius hiſtoriam!

Sub finem operis hæc leguntur: *L. Annei Flori Epithoma hoc emendatum Fridianus Pighinutius, Lucenſis, et Ivo Vittigis, ære premendum curaverunt. Quod arte ſua Conradus Gallicus in opido Liptzenſi perfecit XII. Calend. Iunii anno ſalutis MCCCCLXXX ſeptimo.* 4.

Prodit in conſpectum tuum, Lector, tale opus, quod multis nominibus carum eſſe debet librorum vetuſtiorum amatoribus. Eſt enim hæc inter editiones *Flori* principes numeranda; certe, præter *Pariſienſem* illam anni 1470, quæ omnium prima prodiit, & *Romanam* anni 1472, hac ipſa antiquior a *Maittairio* nulla eſt notata. In rarioribus autem haberi hanc vel maxime debere, illud argumento eſt, quod eius

mentionem nec in *Bibliotheca Latina Fabricius*, nec in *Annalibus* ſuis *Maittairius*, fecerit. Huc accedit, etiam his, qui in veſtigandis typographiæ Lipſienſis vetuſtioribus monumentis diligentiſſime ſunt verſati, incognitum fuiſſe opus, ut patet ex *Io. Henr. Leichii*, doctiſſimi olim civis noſtri, *de Origine & incrementis typographiæ Lipſienſis Libro ſingulari*, in cuius ea parte, quæ *Annales typographiæ Lipſienſis ab eius origine ad annum 1517* continet, librum hunc fruſtra quæras. Rarum etiam & inauditum nomen eſt typographi, *Conradi Gallici*, quem ipſe *Leichius* cum *Maittairio* ignorat, & cuius officinam, dubito, an alia, præter hoc ipſum, artis ſpecimina nobilitaverint. In eadem mecum opinione eſt amicorum aliquis, harum rerum curioſiſſimus, qui, cum omnem pæne ætatem ſuam & incredibile ſtudium in veſtigandis libris vetuſtioribus conſumſerit, ullum tamen unquam, a *Gallico* excuſum, incidiſſe in manus ſuas, præter hunc *Florum*, negat. Verum ei nomen fuiſſe *Hahn*, aut *Hanel*, putem, ſed, more illius ſeculi, in Latinum *Gallicus* formatum. Editores operis, ut ſub finem eius legitur, duo ſunt, *Fridianus Pighinutius & Ivo Vittigis*, ſed quorum alter tantum, *Pighinutius*, Præfationem, aut, quæ Præfationis loco eſſe poteſt, Epiſtolam, præmiſit. Eſt hæc Epiſtola *Reverendiſſimo in Chriſto & Illuſtriſſimo Principi Domino Erneſto, Magdeburgenſis & Halberſtadenſis eccleſiarum adminiſtratori, Duci Saxoniæ*, inſcripta, cuius hoc eſt argumentum: Cum ipſe

e ma-

e magnifica Margaretæ, quæ *Erneſti* fuit ſoror, *nuptiarum pompa redierit,* in civitate *Halberſtadenſi bi.uum variis ſpectandis* a ſe *abſumtum; dumque illico inter deambulandum cum præſtantiſſimo Romanæ artis milite, Ioanne de Lupis, hiſtoriarum peritiſſimo, de veterum militari diſciplina diſſeruerit, in Lucii Flori, eloquintiſſimi Hiſtorici, Hiſtoriam mentionem incidiſſe. Quem ille cum domi habuerit, paucos poſt dies, ut fuerit pollicitus, utque eius* Erneſto *libelli copia fieret, ad ſe tranſmiſerit.* Hunc deinde *Florum Pighinutius* non ſolum a ſermonis elegantia, ſed inprimis etiam a rerum, quas exponit, dignitate & præſtantia, commendat, dignum hunc, quem legant inprimis Principes, ſcriptorem iudicans. Ipſius etiam Hiſtoriæ laudes gravi oratione proſequitur, ita eius amore captus, ut, ad hanc ſi æſtimentur, pro nihilo habenda Scholaſticorum ſui temporis ſophismata, & concertationum plenas diſputationes, dicat. Digna melioris doctrinæ vindice verba ſunt: *Quam*(Hiſtoriam)*qui noverit, non modo ſenem prudentia, verum etiam multorum hominum experientiam, ſuperabit. Quæ ſi noſtræ ætatis Scholaſtici bene animadverterent, non tantam operam inutilibus impenderent ſophiſmatibus. Non nego, vacandum eſſe diſſerendi orationibus; ſed, in eo toto evolutari, vehementer damno. Pudet me, inquit Seneca, in re tam ſeria ſenes ludimus. Mus ſyllaba eſt. Mus autem caſeum rodit. Syllaba ergo caſeum rodit. O pueriles ineptias! In hoc ſupercilia ſubducimus: in hoc bar-*

 bam

bam ponimus: tempusque omne amittimus. Studioſe tandem, & quaſi familiariter, *Erneſtum* ad lectionem *Flori* adhortatur, emolumenta ei hinc certiſſima promittens. *Tu vero*, ait, *Illuſtriſſime Princeps, prætermiſſis illis, quæ ſolam ætatem ſine ullo fructu conſumunt, te totum, ut a teneris annis feciſti, hiſtoriarum cognitioni tradas, & Lucii Flori, ornatiſſimi Hiſtorici, Epitomàta, fac, lectites, cuius elegantiam & brevitatem profecto admiror.* Ita quaſi cum auctoritate ad *Erneſtum* ſcribendi, veniam dediſſe *Pighinutio* videtur eminens ille locus, quem in huius gratia Principis tenuit, ab eo ex Italia olim in Germaniam evocatus, ſuisque ſtudiis præfectus, & illuſtri dein *Oratoris* & *Poetæ* ſui dignitate, tandem vero ſacro aliquo munere, donatus. Manifeſta hæc ex parte ſunt ex mutuis *Pighinutii* & *Conradi Celtis* Carminibus, eiusdem *Celtis Arti verſificandi* adiectis, de quibus, memini, me in horum *Miſcellaneorum Vol. VII P. II pag.* 314 *ſeq.* haud adeo negligenter dicere. Sed plenius hæc etiam cognoſci poſſunt ex *Ottonis Beckmanni Oratione*, Wittebergæ A. 1510 habita, unde hunc locum excerptum *Leichius* libri ſui *pag.* 9 dedit: *Subit præterea mihi in mentem pientiſſimus Erneſtus, Illuſtriſſimæ domus Saxonicæ haud ultima gloria, Patriarcha Parthenopolitanus, Germanorum Pontificum primus, qui a teneris, ut aiunt, unguibus ad vegetiores annos uſque, Fridianum Pignucium, Italum, hominem Apollineum rhapſodumque, primæ adoleſcentiæ magiſtrum & doctorem*

ctorem habuit, qui optimo & nobiliſſimo adoleſcenti ita linguam teneram formavit, ita facundiam nativam auxit, ita demum ſupellectilem verborum fecit copioſiſſimam, ut iam vir factus Princeps ille & graviter & ſapienter in corona graviſſimorum hominum in utraque lingua, vernacula ſcilicet & Latina, dicere & ſermones agitare poſſit absque formidine. Nec ingratus praeceptori fuit Princeps ſanctus, ſed numatum, & ſacerdotii dignitate eccleſiaſtica feliciſſime adornatum, in Italiam remiſit. Eſt hæc brevis earum rerum, quæ ad *Pighinutium*, ortu Lucenſem, humanioribus literis, ut hæc ipſa, *Floro* præmiſſa, Præfatio, & illa, a *Celte* edita, Carmina, teſtantur, haud vulgariter eruditum, pertinent, narratio; quæ ſufficere iis debet, qui, quid hominis fuerit *Fridianus* iſte, cupidi ſciendi ſunt. Tacent enim huius, quantumvis docti, hominis nomen, quicunque in deſcribendis *Eruditorum Vitis* occupantur, præter *Ioſiam Simlerum* in *Bibliotheca Geſneriana*, ab ipſo aucta, *pag. m. 250*, ſed qui nihil, de eo quod comemoraret, habuit, præter hoc unum, acceſſiſſe eius nonnulla Carmina libro *Celtis*, a me ante dicto. Nec plura ſunt, quæ diſcere Lectori liceat ex *Iac. Burckhardi*, diligentiſſimi alioqui rei Germanorum literariæ inveſtigatoris, *Commentariorum de Lingua Latinæ in Germania fatis P. II Cap. 4 pag. 309 ſeq.* In *Georg. Chriſtoph. Kreyſigii*, Clariſſimi Viri, *Bibliotheca hiſtorica Saxoniæ ſuperioris* (Hiſtoriſche Bibliothec von Ober-Sachſen), hoc ipſo anno iterum edita, *pag. 40*

adductum video: *Fridiani Pignutii, Itali, Vitam Friderici & Titzmanni, Marchionum Miſniæ,* ſed non addito, quo aut loco, aut anno, id operis ſit editum, indicio. Mihi igitur, hoc ipſum indicaſſe, ſatis ſit; certiora, qui id poſſunt, dabunt. Id etiam inquirant alii, velim, an idem ſit hic *Fridianus*, de quo in *Raph. Volaterrani Commentariis urbanis Lib. V pag.* 48 memorantur hæc: *Hic* (Lucæ) *& Phridianus præſul ante omnes colitur, cuius meminit Gregorius: cum in aliis de Lucenſibus bene meritus, tum quod Auſerim amnem, agros inundatione vaſtantem, divinitus compeſcuit, ex quo pars ea, quæ Auſeris nunc dicitur, ab eo diducta adſpicitur.* Ad alium quemcunque *Fridianum* hæc pertinere, non abnuerim, niſi ex illa *Beckmanni*, unde paulo ante excerpta nonnulla dedi, Oratione diſcere liceret, ſub vitæ finem ſacerdotii dignitate eccleſiaſtica adornatum, in Italiam rediiſſe *Pighinutium*: quod ſi ita eſt, quidni, fieri potuiſſe, putes, ut apud ſuos *Fridianus* in magnam religionis & ſanctimoniæ opinionem venerit, & civium ſuorum ſuperſtitione uſus ſit in rem ſuam? Sed a rerum Lucenſim ſcriptoribus, quorum unum & alterum evolvi, cum obſcuriori huic narrationi lucis prorſus nihil accendatur, nec ego de re, adhuc ſatis dubia, quidquam certi ponam. Facile autem aſſentior *Leichio*, hunc *Pighinutium* elegantiores literas per aliquod tempus Lipſiæ profeſſum videri, *l. c.* ſcribenti. Quid enim clarius eſſe poteſt illo, eidem *Leichio* adducto, *Conr.*

Wim-

Wimpinæ in *Apolog. contra Laconiſmum Meller-ſtadii* teſtimonio: *Expreſſe Tortellius dicit, Cimbros Germaniæ populos eſſe, qui lingua Gallica (teſte Feſto) latrones dicuntur, hodie Flammingos appellant. Sic Fridianus Lucenſis, ſic doctiſſimus Ivo, penes nos olim interpretatus eſt.* Qui *Wimpinæ* locus ad id etiam valet, ut, quis *Ivo* ille *Wittigis* fuerit, qui communes cum *Pighinutio* edendo *Floro* ſumtus impendit, cognoſcere hinc poſſis, nunquam fortaſſis id aliunde cogniturus. Nam qui *Ivo* tantum *Wimpinæ* dicitur, eundem eſſe, qui *Ivo Vittigis* in libro noſtro dicitur, vix dubitaverit, qui *Fridianum* & *Ivonem* a *Wimpina* coniunctos viderit. Hoc igitur teſtante *Wimpina*, qui rerum, ſuo tempore in urbe noſtra geſtarum, peritiſſimus fuit, inter viros doctiſſimos numerandus eſt hic *Vittigis*, & iuventuti in Academia noſtra elegantiores literas prælegit. Plura, ſi quis ſit, cui de nobili hoc Academiæ noſtræ doctore conferre in commune liceat; multum ei non ego tantum, ſed ii etiam omnes, quibus curæ eſt hiſtoria patriæ, applaudent. De ipſa hac *Flori* editione quæ dicam, pauca ſunt. Nudus hic *Flori* textus legitur, nihil adiunctum ſibi animadverſionum habens, nec in *Libros*, ſed *Capita*, haud numeris notata, ſed argumentis inſcripta, diviſus, ſatis pro ætate illa emendatus, &, ſi leviora nonnulla excipias, quæ noſtra ætate meliorum Codicum ope rectius inſtructa ſunt, iuventuti ſine offenſionis periculo legendus. Neque vero, fueritne

ritne in edendo *Floro* libros veteres, an editiones tantum priores, ſecutus *Pighinutius*, verbo ipſe monitos in Præfatione lectores voluit.

III. Cato moraliſſimus cum elegantiſſimo commento. Impreſſum Baſileæ, per Nicolaum Keſler, III die menſis Marcii, anno Domini MCCCCLXXXVIII. 4.

Elegantiſſimi, ſi Diis placet, *Commenti* quis ſit Auctor, hæc, in ipſa operis fronte inſcripta, loquuntur: *Incipit liber de doctrina Catonis, ampliatus per ſermones rhetoricos & morales per fratrem Robertum de Euremodio, Monachum Clarevallis.* Rem eandem diſces ex poſtrema libri pagina, ubi hæc leges: *Hic finem adſpice Catonis, viri moraliſſimi, & in via morum ſane graviſſimi, cum commento fratris Roberti d'Euromodio, monachi Clarevallis, tam verborum ornatu limato, quam ſententiarum gravitate præclaro, ut ex Iovis cerebro videatur emanatum. Emanatum* ſcilicet, quod bene notes, Lector. Digna enim Iovis cerebro hæc elegantia. Itaque *Catonem*, notiſſimum *Diſtichorum* Auctorem, & horum interpretem, *Robertum de Euremodio*, ſeu *Euromodio*, idem liber coniunctos exhibet. Nimirum, cum ex eo genere librorum illa *Catonis* ſint moralia præcepta, in quo mire ſe exercere interpretum, non dicam ingenium, ſed dicendi ſcribendique nuda & indocta facultas, poſſit: quod de moribus hominum quilibet, vel mediocriter doctus, modo inter homines frequen-

ter verſatus, & veterum præterea Philoſophorum aliquot ſententiolas felici memoria complexus, ſatis ſibi videatur eleganterpoſſe copioſeque diſputare; non eſt adeo mirum, *Præceptis* illis ſuperiori inprimis ætate, qua ſordidus quisque Monachus ſplendidum a Deo dati morum præceptoris nomen affectabat, &, ſi unum & alterum ex Patribus legiſſet, ſatis ſe aptum ſcribendis talibus libellis putabat, interpretes numero multos & varios contigiſſe. Horum nomina ſcire cupienti abunde ſatisfacient *Io. Alb. Fabricius* in *Bibl. Lat. Vol. I Lib. IV Cap. I §. 8 pag. 684*, & præ ceteris *Chriſtian. Daumius* in *Præfatione*, *Dionyſii Catonis Diſtichis de Moribus*, Cygneæ A. 1672 editis, præmiſſa. Fuit in illorum numero interpretum *Robertus de Euromodio*, Monachus Clarevallenſis, aliorum ex illo genere hominum in explicandis eiusmodi doctrinis puerilem rationem, in dicendo autem barbariem, ita æmulatus, ut illos multis modis ſuperaſſe videatur. Sed, ut illa ætas talium cupidiſſima ineptiarum fuit, &, quo minus boni ſenſus ineſſe ſcriptis Monachorum apparuit, hoc plus illis habitum honoris eſt, ita noſtri etiam *Roberti*, quantumvis ad poſteritatem transmitti indigni, nugas has, ſeu, ut ipſi Auctori vocantur, *commenta moralia*, tantus imperiti vulgi plauſus eſt ſecutus, ut, ſæpius hæc, quam doctiſſimum quemque librum, exiiſſe prelo, conſtet. Primum, quod ſciam, prodiit hoc Opus *Antverpiae*, apud *Gerardum de*

Leeu

Leeu, A. 1485, 4, eiusque editionis exemplar ſervari Atrebati in Bibliotheca Vedaſtina, docet *Carolus de Viſch* in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis pag.* 290, & ex eo *Io. Hallervordius* in *Biblioth. curioſ. pag.* 358. Idem *Viſchius* editiones memorat *Baſileenſem* anni 1486, *Daventrienſem* anni 1496, per *Iacobum de Breda* curatam, & eiusdem urbis aliam, A. 1497 typis *Richardi Pafraet* exſcriptam. His addimus *Argentinenſem* anni 1487, quam cum hoc indice: *Cato moraliſſimus cum Comment. Fratris Roberti de Euromodio*, editam, exhibet *Saubertus* in *Hiſtoria Biblioth. Reip. Noriberg. pag.* 159, a qua num ſit diverſa, quam idem *Saubertus* libri modo citati *pag.* 160, ſic inſcriptam, profert: *Roberti de Euromodio Comment. in Catonem*, dicere haud quidem certo ſcio. Sunt hæ, quascunque dixi, editiones ab ipſo *Maittairio* nominatæ; qui, cum præter has aliam, anni nempe 1495, *Venetam*, adducit, eiusque petere notitiam nos iubet ex *Fabricii Bibl. Lat. Vol. I Lib. IV Cap. I pag.* 684, non ſatis in notando ſe accuratum gerit. Nudi enim operis *Catoniani*, non additi ei a *Roberto Commentarii*, editionem hanc nominat *Fabricius*; idque certius patet ex *Cornelii a Beughem*, quo nempe teſte utitur *Fabricius*, *Incunab. typograph. pag.* 43, ubi *Sententiæ Catonis cum aliorum Carminibus* prodiiſſe *Venetiis* A. 1495, forma maiore, dicuntur. Sed dignus etiam hic *Roberti* liber, priusquam ederetur, iudicatus fuit, quem illuſtriſſimæ quæque Bibliothecæ ma-

nu-

nuſcriptum ſervarent. Huius enim Codicem in Bibliotheca Monaſterii S. *Albini Andegavenſis*, & alium inter libros *Alexandri Petavii*, Bibliothecæ Reginæ Sueciæ, quæ poſtea in Vaticanam transportata eſt, adiunctos, exſtare, teſtatur *Bern. Montfauconius* in *Bibliotheca Bibliothecarum MStorum nova T. I pag. 89*, & *T. II pag. 1228.* Accedant his duo Codices, a *Phil. Labbeo* in *Nova Bibliotheca MSS. librorum pag. 46, & 333, & 373*, indicati, quorum alterum in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi, alterum in illa *Gabr. Naudæi*, invenire olim licuit. Horum autem poſtremo cum alium contineri *Roberti* in *Catoniana* præcepta Commentarium, ac eſt is, qui *Baſileæ* A. 1486 prodiit, idem *Labbeus* docet; in eo, valde dubito, an rem nobis ſatis veram referat. Quam enim præmiſſam MSto huic Commentario ad generoſæ indolis adoleſcentem, *Petrum de Salutiis*, epiſtolam ait, huius quidem initii: *Caritas tua poſtulavit*, eadem prorſus eſt, quam in fronte legimus *Baſileenſis* anni 1488 editionis, nihil, quod ego quidem ſuſpicor, ab illa anni 1486 diſcrepantis. Iam vero, duos, inter ſe diverſos, Commentarios eidem adoleſcentulo, eademque epiſtola, inſcriptos, quis eſt Lectorum, qui impetrare a ſe, ut credat, poſſit? Sed ad Commentarii huius editiones redeo, quarum cum multas, ut dixi, varii Scriptores nominent, a nemine, quod ſciam, noſtræ huius, in *Baſileenſi* urbe A. 1488 editæ, mentio eſt facta. Iure igitur meo operis, pauciſſimis fortaſ-

ſe

te viſi, poſſeſſione gaudebo, nec nullam mihi, qui colligendis operam dederunt typographicis Annalibus, de addito hoc ſupplemento gratiam habebunt. Mirum autem, *Roberti* hunc in *Catonem* Commentarium, ſæpiſſime, ut vides, editum, &, ſi ex editionum varietate iudicare liceat, ad Italos, Belgas, Helvetios, & Germanos, translatum, adeo noſtra ætate inſpectum paucis eſſe, ut ii ipſi, quorum in edendo *Catone* ſtudium verſatum eſt, de fruſtra a ſe veſtigato illo opere conqueſti ſint: cuius rei cauſa hæc præcipua videtur, quod ſuperioris ætatis homines doctiores, poſſe facile *Catonem* inepto hoc interprete carere, & triviali hoc labore, dehoneſtari magis, quam ornari, bonas literas, intelligentes, modis omnibus id egerint, ut exemplaria huius operis apud poſteros quam pauciſſima exſtarent. Nuperrimus certe illorum editor, *Otto Arntzenius*, antiquiorem nullam ad manus ſibi fuiſſe *Diſtichorum Catonis* editionem *Auguſtana* anni 1523, in præmiſſa illis Præfatione fatetur, vel ipſum *Roberti*, obſcuriſſimi nempe hominis, nomem tacens. *Henricus* autem *Cannegieterus*, quo nemo mihi præclarius de *Diſtichis Catonianis* meritus videtur, in *Reſcriptis Boxbornio de Catone*, *Arntzenianæ Diſtichorum Catonis* editioni ſubiunctis, non niſi indicio *Daumii* ſibi cognitum hunc Commentarium, inſpectum autem verſatumque nunquam, dolet. *Quid priſtinæ*, inquit *Cap.* 25, *ſpeciei reliquerit Robertus de Euromodio, qui in Diſticha hæc metra commentatus*

eſſe

eſſe dicitur a Daumio, definite mihi non liquet: nunquam enim inſpexi illius commenta. Credo, voluiſſe eos (Philippum de Pergamo & Robertum) *imitari antiquos Grammaticos, qui variis modis fingendos refingendosque ſcriptores tradiderunt diſcipulis ſuis; de qua conſuetudine vide* Quintilianum Libro I Cap. 9, *ſed excuſatius hi; quod nihil inde detrimenti illatum ſcriptori ipſi. Illorum vero laniena, dilaceratione, & contrectatione violenta, ſemper ad integritatem ſanitatemque priſtinam rediiſſe Dionyſium, credibile non eſt.* Quam *Cannegieteri* coniecturam nemo, qui ipſum hunc inſpexit Commentarium, non feliciſſimam dicet. Corruptiſſimum enim *Catonis* textum, Diſticha nunc metro laborantia, nunc bono ſenſu vacua, nunc alieno loco poſita, & vitia illa ſcripturæ omnia, quæ ſunt ab *Arntzenio* emendata doctiſſime, coniuncta, exhibet *Robertus*, eorum etiam, quæ labe carent, peſſimus ac pæne ridiculus interpres. Huius quicquid eſt operis, Auctor inſcripſit nobiliſſimi generis adoleſcentulo, *Petro de Salutiis*, idque tali epiſtola, quam unam ſi legas, nihil tu legere huius *Roberti* præterea cupias. En igitur integra: *Generoſæ indolis adoleſcentulo, Petro de Salutiis, Robertus de Euromodio, Monachus Claraevallis. Me ipſum ad omne officium charitatis tuæ poſtulavit ſupplicatio, quam ſuſcipio pro mandato, ut qui me in rhetoricis ſciolum aſſerebas; tibi libellum cuderem, in quo poſſes dictæ artis guſtare primitias, & in familiari colloquio ruditatis grammaticæ fugere barbariſmos. Ego*

ſane operæ pretium duxi, tuis in hac parte non obaudire iuſſionibus, & moralem librum viri doctiſſimi Marci Catonis ſuſcepi pro themate, & ſuper ſingulis eiuſdem viri clariſſimi documentis materiam proſaice dilatavi, vobis quidem ſimplicibus, licet non penitus a regulis eloquentiæ inexpertis, in quo, primitiarum lacte deguſtato, uſum faceti ſermonis animus iuvenilis paulatim induat, & hac novitate concepta, ſuccedente tempore, & ingenio dilatato, altiora huius artis in poſterum ſuſcipiat documenta. Iam ineptus ſim, ut Commentator meus, ſi multa de libro ipſo, in quo ne micam quidem ſalis invenias, verba faciam. Hunc nempe Monachum ſi audias, in *Prologo Diſtichorum Catonis* decem Decalogi præcepta, et ſeptem illæ virtutes *Ariſtotelis*, explicantur. Quaſi vero, niſi qui Decalogum, aut *Ariſtotelem*, legerit, ſcribere de moribus haud poſſit, nec doctrinæ huic ſola ratio ſufficiat. Ipſa autem *Diſtichorum* interpretatio duplex eſt: altera *Catonis* verba, altera res ipſas, ſpectans. Puerilis utraque, qualem vel trivialis ſcholæ diſcipuli faſtidiant. Verba enim hic ita explicantur, ut e. g. *officium* idem eſſe, quod *beneficium*, *ſilere* autem idem, quod *tacere*, doceamur. Rebus autem, obſcuriſſima quadam verborum nube, quam vix acutiſſimi hominis ſenſus penetrare poſſit, a *Roberto* obtectis, haud certe indoctior dari hoc ipſo interpres potuiſſet. Sermone utitur tam horrido, ut vix ita barbaros locutos, putem; illa autem impolite, confuſe, inquinate, dicta ſi in

pervum

nervum contrahantur; videaris tibi non veteris Philoſophi præcepta, ſed delirantium ſomnia, ob oculos habere. Quid multa? Monſtrum hoc interpretis ut propius noſcas, Lector, ſpectandam tibi lepidiſſimi Commentarii vel particulam dabo, non certe ex peſſimis unam, ſed tolerabilem valde, ſi cum ceteris comparetur. Inter alia *Catonis* hoc præceptum eſt: *Officium* (beneficium acceptum) *alterius multis* (hominibus) *narrare memento* (ſi non es ingratus). *Atque aliis* (hominibus) *cum tu beneſeceris, ipſe ſileto* (tu ipſe taceto). Quæ uncinulis incluſimus, pertinent ad alterum interpretandi genus, quod verborum diximus. His rerum gravis explicatio ſubiecta eſt: *Ingratitudinis ſcelus, copioſum vitiorum exercitium, ſecum hoc habet in ſua pernicioſa operatione præcipuum, quod in emungendis aliorum officiis manus extendit productiles, cuius vero ſuſceperit, aut obliviſcitur, aut retributionis non meminit, aut, quod deterius eſt, nequiſſimæ atrocitatis abuſu ſatagit in datorem. Hæc eſt virtutum tinea, putredo iuſtitiæ, amicitiæ interitus, & proſcriptio honeſtatis. Advertat igitur, qui in virtutum gymnaſiis conatur ſtipendiarie militare, ut beneficentiæ morem gerens, ſuſcepta beneficia multiplicet; multisque modis inſtanter retribuat, ſi veneranda laudis præconio velit decorari. Si vero quispiam aliis dona gratuitæ liberalitatis impenderit, virtuoſo ſilentio præterire contendat, ne officium propria laude ſordeſcens*

fructu careat praimento. Officium alterius multis narrare memento. Unde novus Cato:

Alterius factum ſit verbis amplius actum,
Sed referas nulli, cum tu bene feceris ulli.

Ipſe nempe *Robertus* novus iſte *Cato* eſt, qui ſingulis Philoſophi ſui *Diſtichis* tale corollarium ſubnectit, argutiarum, ſed eheu quam elumbium! hic etiam, ut per totum librum, ſtudioſus. Sed plura memorando de tali opere, quod cum ineptiſſimis ætatis ſuæ certare de principatu poſſit, haud fatigabo Lectores meos, qui cur mihi, poſſidenti hunc librum, eo nomine invideant, non certe habent. Si qua in hoc opere agnoſci poſſit, una vetuſtatis gratia eſt, ſed quam nihil facere ad Auctoris dignitatem, bene novi. De vita *Roberti*, quem *Carolus de Viſch l. c.* per errorem *de Eudemodio* dicit, Benedictinum autem Monachum fuiſſe, in *Bern. de Montfaucon Bibl. Biblioth. MSt. T. II pag.* 1228 notatum invenio, nemo Scriptorum, nec ipſe *Viſchius*, qui, ſi quid cognitum habebat, id poſteritati tradere præ aliis debebat, quidquam me docet. Ignotus igitur noſtræ & futuræ ætati *Robertus*, ut fuit ſuperiori, maneat, ſuoque exemplo, quam ſit difficile, ſine elegantioribus literis famam acquirere, noſtri etiam temporis Monachos, & quidni literarum, quicunque ſunt, Profeſſores? doceat.

IV. Facetie Poggii. Impreſſæ Baſileæ per N. K. quartadecima menſis Martii anno Domini MCCCCLXXXVIII. 4.

Cum

Cum, paucos fuiſſe Italorum, conſtet, qui *Poggii Bracciolini*, Seculo XIV exeunte, & ineunte XV, clariſſimi, famam, doctrinam, maxime vero eloquentiam, æquaverint; ſitque huius vita, & in literas meritorum hiſtoria, Scriptoribus ſexcentis memorata; iam quidem, ne putida & inutilis mea diligentia dicatur, de rebus *Poggianis*, quantumvis præclaris & illuſtribus, bona Lectorum cum venia, nihil dicam. Nec induſtriam meam occupabit, quem ante oculos tuos expoſitum iam vides, *Facetiarum* liber, quippe quem ignorare, ſi quis *Poggium* novit, nullo modo poteſt. Eſt enim is non tantum cum ceteris operibus *Poggii*, ubicunque locorum publicatis, coniunctim editus, ſed ſeorſim etiam, maxime in Italia, ſæpiſſime excuſus; quarum editionum ab uno *Maittairio* numero novem ſunt notatæ. Sed, cum vetuſtiores hæ ad unam omnes ſint, nec mihi ſatis conſtet, ſintne hæ *Facetiæ* noſtro etiam, aut ſuperiori, Seculo curam editoris expertæ, his, qui librum hunc ipſum *Poggii* non viderunt, non ideo incognitum etiam putem opus aliud, anno demum 1720 Amſtelodami editum hoc indice: *Poggiana, ou la Vie, le Caractere, les Sentences, & les Bonsmots, de Pogge Florentin*; cuius *Parte quarta* lectiſſima quæque ex his *Facetiis*, ea nempe, quæ obſcœnitatis labe carent, & ſine morum offendiculo legi poſſunt, (non enim iniuriam facit libro *Poggii*, qui *facetias ſpurcitiarum, opus turpiſſimum, & aquis incendioque di-*

gniſſimum, vocat, *Conr. Geſnerus* in *Biblioth. pag. m. 701,*) in Gallicum converſa ſermonem, & brevioribus illuſtrata notis, exhibentur. Si cui igitur Lectorum meorum ille iam inſpectus & perlectus eſt *Facetiarum* liber, non eum, cuius odoris illæ ſint *Facetiæ*, a me, opus eſt, doceri; ceteris autem omnibus, ne ex ſordibus illius libri maculas ipſi haud facile eluendas trahant, eorum, quæ libro, ut dixi, *Poggianorum* acceſſerunt, lectio ſufficiet. Sed ſatis etiam diligenter de hoc libro actum eſt, ut alios nunc taceam, a *Niceronio* in *Commentariorum* (*Memoires*) opere notiſſimo, cuius *Parte IX*, a *pag.* *128* ad *165*, de vita & ſcriptis *Poggii* ſingularia multa & cognitu digniſſima leguntur. Mihi igitur, feciſſe id, quod inſtituto meo convenit, hoc eſt, nominatim indicaſſe, ſatis ſit, editionem, ut vetuſtam, ita nemini, quod ſciam, librorum talium inveſtigatori, nec ipſi *Maittairio*, notatam. Qui literis *N. K.* ſignatus eſt, eundem eſſe, facile apparet, *Nicolaum Keslerum*, ex cuius officina exiiſſe *Roberti de Euromodio in Diſticha Catonis Commentarium*, paulo ante diximus. Elegantiæ in hac editione, ut in pleriſque illius temporis *Baſileenſibus*, parum ineſt; artis autem typographicæ infantiam, ſi nihil aliud, vel illa errorum, quibus deformatum eſt opus, incredibilis copia teſtatur. Præfatio, præter *Poggianam*, nulla hic legitur; nec quidquam huic editioni novum, aut non obvium in ceteris omnibus, acceſſit.

V.

V. Egloga Theoduli. Impreſſa Liptz per Conradum Kachelouen, anno Salutis MCCCCLXXXIX. 4.

De *Theoduli* hoc Carmine iam olim in horum *Miſcellaneorum Vol. V P. I pag.* 130 dixi, cum mentionem facerem *Auctorum octo cum gloſſis*, Lugduni A. 1488 editorum, inter quos *Theodulus* iſte ampliſſimo Auctoris incogniti Commentario deformatus verius, quam exornatus, compareт. Iam igitur ſpectandam ſe Lectori alia huius *Carminis*, illam alteram anno poſt ſecuta, editio ſiſtit, ſed ſolum *Theodolum*, non cum ceteris Scriptoribus, quos habet *Lugdunenſis* illa, coniunctum, eundemque novo Auctoris haud nominati Commentario oneratum, exhibens. Quam mihi proferenti editionem, hoc magis favebunt Lectores mei, quod me, civem Lipſienſem, ea inprimis deceat, quæ pertinent ad urbis mihi patriæ in rem typographicam merita, veſtigare, inter vetuſta autem typographiæ Lipſienſis monumenta non ſit facile aliud, cui, ſi raritatem ſpectes, plus ſit pretii, quam huic ipſi, tribuendum, quippe noſtra ætate tam raro obvium, ut non *Maittairii* tantum, ſed ipſius etiam *Leichii*, digniſſimi olim civis mei, qui *de Origine & incrementis Typographiæ Lipſienſis* libro ſingulari ex inſtituto egit, eidemque *Annales Typographiæ Lipſienſis ab eius origine ad annum* 1517, diligentiſſime confectos, adiecit, notitiam effugerit. Eandem editionem in

Bibliotheca patris ſui, *Petri Burmanni* exſtare, aut potius exſtitiſſe olim, (conſtat enim, publice, mortuo *Petro*, divenditam fuiſſe,) nos docet *Caſpar Burmannus* in *Traiecto erudito pag. 26*, ſed qui, neſcio, qui fiat, ut, prodiiſſe eam ſine nomine urbis, ſcribat, niſi forte illud *Liptz*, quod ſub finem libri expreſſis characteribus notatum eſt, adeo auribus eius fuiſſe peregrinum putetur, ut, alia omnia, quam urbem, eodem indicari, ſibi perſuaſerit. Typographus ille, cuius prelo liber iſte exiit, nomine *Kachelouen*, inter primos fuit, qui artem hanc, magno Deorum bono inventam, in urbem noſtram invexerunt, nec antiquiorem nominare *Leichius* librorum, quos Lipſia excudit, illo *Widmanni de doctrina numerorum* ſcivit, quem typographus hic noſter officina ſua A. 1480 emiſit. Idem *Leichius* aliam *Eclogæ* huius *Theodulianæ* editionem, A. 1492 repetitam, *Conrado* huic tribuit, niſi, quod facile crediderim, errore operarum factum ſit, ut in annum 1492 ſit reiecta, quæ aſſignanda fuiſſet anno 1489, editio. De quo ne dubitem, illud inprimis facit, quod eodem in loco, quo recentioris huius editionis mentionem facit, citatum a *Leichio* videam *Burmannum*, in cuius, quem dixi, libro una anni 1489 editio, non illa altera, memoratur. Externus libri, quem manibus teneo, nitor, etſi, ſi per ſe ſpectetur, mediocris, tamen pro ætate illa tolerabilis, videri poſſit, nec ita hic, ut in plurimis illius ſeculi operibus, characterum elegan-

tiam

tiam deſideres. Acceſſit & libro ornamenti aliquid, ſed eheu! quam puſillum, a præmiſſa ei figura, a qualicunque artifice in lignum inciſa, in qua imaginem urbis, neſcio an Lipſiæ, & paſcentes gregem ſuum *Pſeuſtin*, *Alithiam*, & *Phroneſin*, eas ipſas nempe, quas colloquentes inter ſe de profanarum gentium fabulis, & doctrina Chriſti, fingit *Theodulus*, conſpicimus. Sed magis notatu dignum putem, acceſſiſſe huic libro præcipuarum rerum indicem (*Regiſtrum* hic vocatur,) ſecundum alphabeti ordinem confectum, breviorem quidem, nec niſi ſumma momenta complectentem, at, ſi formam eius ſpectes, prorſus talem, quales hoc inprimis tempore accedere libris novis, maxime Germanorum, ſolent. Quo nomine liber hic in rarioribus habendus hoc magis eſt, quo pauciores ætate illa liceat, tali rerum potiorum inſtructos indice, oſtendere. Commentarii, *Eclogæ Theoduli* additæ, quis ſit Auctor, vix dicere, cum nomen eius nuſquam appareat, cuiquam certo liceat. Manifeſtus error *Burmanni* eſt, laborem hunc *l. c.* tribuentis *Bernardo*, Clerico Traiectino, ſub Seculi II initium claro, qui & ipſe ſcripſerit *ſuper Eclogas Theoduli Commentarium*, ad hunc diem, quod conſtet, haud editum, ſed qui manuſcriptus in Pariſienſi regia, Monaſterii item Windbergenſis, & civitatis Leidenſis, Bibliothecis aſſervatur. Prorſus enim illud *Bernardi* opus ab hoc noſtro diſcrepare, docere *Burmannum* idem, quem ab ipſo adductum

 video,

video, *Pezius* potuiſſet, qui, illius Commentarii initium in Codice Windbergenſi, quem ipſe inſpexerat, hoc legi: *Liber aequivoce dicitur, nam liber appellatur pergamenum;* Praefationem autem ei hanc praemiſſam: *Dilectiſſimo Domino ſuo ſacroſanctae Traiectenſis Sedis Epiſcopo, Conrado, ſuorum minimus Clericorum, Bernardus, gregem, ſibi a Deo commiſſum, ſic paſcere, ut a ſummo paſtorum Chriſto mereatur audire: euge, ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, intra in gaudium Domini tui.* *Lecturus aliquando Theodolum pueris, quibus docendis* &c. teſtatur in *Diſſ. iſagogicae in Tomum primum Theſauri noviſſimi Anecdotorum* §. *68 pag. 48.* Atqui nihil horum noſter habet Commentarius, cui, quod ignorare non poterat *Burmannus*, nec quidquam praemiſſum epiſtolae, nec initium operis, niſi hoc eſt: *Circa initium huius libri ſciendum: Averrois circa prologum phyſicarum dicit, quod quatuor ſunt, quae impediunt humanam naturam,* &c. Nondum igitur, quod ego quidem novi, *Bernardi* illud opus Bibliothecarum clauſtra perrupit; certe multum ab hoc differt, quem iam manibus tenemus, Commentarius; ſicut nec *Bernardi* eſt alter ille, quem in *Theodolum* aeque, ac ſeptem alios Scriptores, Lugduni editum A. 1488 paulo ante diximus. Nec mirum cuiquam videri debet, in unam *Eclogam* tot Commentarios exſtare; quandoquidem ſuperiori aetate nulla Monachis, ſordidiſſimo alioqui otio torpentibus, maior exſpe-

ctari,

ctari, quam ſcribendis eiusmodi in quodcunque argumenti ſacri Scriptores macilentis Commentariis, gloria potuit. Quales ingenii & doctrinæ mediocris Monachos cum & Lipſia olim noſtra, inſtauratis nondum ſacris purioribus, ſat multos oſtenderit; nihil cauſæ video, cur Commentarii præſentis Auctor mihi foris ſit quærendus, quem civem utique putare meum, uſque dum certiora aliquis me doceat, hoc magis licet, quod ſit opus hoc in urbe noſtra primum, nec deinde, quod ſciam, alibi uſquam, editum. Sed, quicunque demum fœtus huius procreator fuerit, dubium eſſe poteſt, an felicior fuerit, quod in obſcuro latere ad hunc diem ei contigit, an futurus fuiſſet, ſi notum ſe poſteritati feciſſet. Fama certe, quam tali acquirere labore potuiſſet, aut nulla, aut valde levis, eſt, nec ab ætate noſtra multum ſolet præmii eiusmodi ſcriptoribus decerni. Ut vera dicam, aliquanto melior, ſive genus ſcribendi, ſive res ipſæ, ſpectentur, iſte Commentarius videri poteſt illo altero, quem prodiiſſe *Lugduni* diximus; at nec ipſe tamen talis eſt, qualem ſcripſiſſe noſtrorum hominum aliquis cupiat, ita melioribus tinctus literis, ut bene ſciat utilia ab illis, quæ ſunt nihili, diſtinguere. Regnat enim per totum opus monachalis, ut paucis omnia complectar, eruditio, & ignavum quoddam, putidos Scholaſticorum fontes conſectandi, magnosque rerum ac verborum, utcunque

ſe

ſe obtulerint, nullo habito delectu, acervos conſtruendi, denique a maioribus tradita opinionum monſtra non ſuæ tantum ætati, ſed ſeris etiam poſteris, commendandi, ſtudium. Ceterum; ſi quis ſit Lectorum, qui illas ſive ſacras hiſtorias, ſive antiquæ ſuperſtitionis fabulas, quas *Carmine* ſuo *Theodulus* cecinit, nondum cognitas ſive ex ſacris literis, ſive ex Auctoribus antiquis, habeat: quo ex genere, dubito, an futurus ſit unus; is, per me licet, hoc doctore & interprete utatur, inprimis ſi, quo quis in docendo utatur ſermone, horrido, an eleganti, parum curet. De *Theodulo*, *Eclogæ* auctore, non ſatis, quis fuerit, & cuius Seculi Poeta, inter eruditos convenit. Id argumentum plurimorum Scriptorum, quos *l. c. Burmannus* nominavit, ante me induſtriam occupavit; quos legat, velim, ſi quis noſtrum æquo animo ferre ſilentium haud poſſit. Ab interprete noſtro hæc de eo, ſed, quam vere, viderint alii, memorantur: *Cauſa efficiens huius libri fuit quidam nomine Theodulus, qui primo ſtuduit in Italia, & poſtea ſtuduit in Græcia, & ibidem effectus eſt Epiſcopus: qui vidit diverſas diſputationes Saracenorum & Chriſtianorum; ad quarum ſimilitudinem volens librum ſuum compilare, introduxit Pſeuſtim & Alithiam, i. e. veritatem & falſitatem. —— Vel, ſecundum alios, cauſa efficiens huius libri fuit Ioannes Chryſoſtomus, qui alio nomine dicitur os aureum, qui propter arrogantiam effugere noluit,*

ſuum

ſuum, librum ſuo nomine intitulari, ſed aſſumſit nomen alienum.

VIII.

M. IO. SALOM. SEMLERI
SPECIMEN EMENDATIONUM GLOSSARII ISIDORIANI.

Quanquam doctiſſimi homines, *Ian. Gebhardus, de la Cerda, Vulcanius, Barthius, Rutgerſius, ab Almeloveen, Reineſius, du Cange,* alii, poſt eos item *Io. Georg. Grævius,* ad Gloſſarium, quod *Iſidori* nomen præ ſe ferre ſolet, emendandum & illuſtrandum non obſcuram operam & induſtriam contulerunt; plura tamen in illo remanſerunt vel intacta plane, vel ita comparata, ut alia remedia adhuc exſpectari recte videantur. Non inutilem putabunt noſtram ſuccenturiatam diligentiam Latinæ linguæ æqui arbitri; ſuperſedere adeo poſſum præcipua opera, defendendi hoc emendationum parvum ſpecimen. Collegi illud ex adverſariis, in quæ inde a pluribus iam annis conieceram, ſi qua in mentem venerant, quæ putabam aliquam lucem illi λεξιδίῳ afferre poſſe. Omiſi ea, quæ iam occupata ab aliis tum demum animadverti, cum *Gravianam* editionem, quæ *Martinii* Etymologico adiuncta eſt, oculis uſurpare liceret. Experiar, ecquid ſpei mihi ſit reliquum; ſtat enim adhuc ſententia, ſi Lucina benigna faveat, hoc *Iſidori*

Gloſ-

Gloſſarium aliis ſubinde ſecuturis Latinis, Græcolatinis, & Latinogræcis, præmittere; quod iſtæ Gloſſæ rariores non ſolum iamiam ſunt, parumque obviæ, ſed & obſcuritate multa mendisque plurimis adhuc laborant, mihique ad eas iuvandas nonnihil collegiſſe videor. Dabo iam diligenter operam, ne Lector, obrui ſe loquacitate noſtra, queratur; nec enim ipſi verboſiores in rebus parvi, ſi ad alias metiaris, momenti eſſe ſolemus.

Primum omnium obſervare iuvat, doctiſſimum *Grævium*, ubi in notis ſuis *Pithoeana*, ut vulgo audiunt, excerpta in conſilium adhibet, ignoraſſe, *Pithoeum* de illis ſubinde ſuam ſententiam ipſum dicere, et corrigere, quæ non recte habere videbantur; quas *correctiones Pithœi Gravius* pro lectionis varietate habere & adducere ſolet. Liceat exempla eius rei pauca proferre. Ita exſtat in *Excerptis: Abartenum, inhoneſtum, ἀπάρθενον. Grævius* ita annotat: *Excerpta Pithœi addunt*, ἀπάρθενον, *quaſi quod virginem non decet.* Atqui ita *Pithoeus* corrigere ſe recte putavit. *Accepta genus navis*, *Acatus*. Ultima vox eſt *Pithœi* ſuſpicio. Sic ſemper *Pithœus* ſtatim addidit, ubi ipſi in mentem aliquid veniebat, quod vel illuſtrare, vel reddere videbatur veram lectionem.

Deinde illud mirari ſatis nequeo, nuperos *du Cangiani Gloſſarii Latini* editores, Monachos Benedictinos, ineptiſſima verborum monſtra ex hoc *Gloſſario* iſti theſauro infarſiſſe, nihil de

lectio-

lectionis veritate ſollicitos, aut admonentes. *Grævio* ſuſpiciones omnes exſcribunt, de ſuo nihil addunt. Nec ſatis diſtinguunt voces, quæ ad medium ævum ipſa ſua malitia pertinebant, & eas, quæ inde ab optima Latinæ linguæ ætate ſervatæ, & ex optimis ſcriptoribus ſublectæ ſunt. His ſane ibi nullus locus erat. Iam ſpecimen noſtrarum emendationum exhibemus.

Ex litera C.

Catamontem, cæli adſpectum.

Grævius primum affert *Conſtantienſem*, qui exhibet: *Catamontem, iuxta cæli conſpectum.* Sed raro ab hoc compilatore ineptiſſimo aliquod auxilium ſperandum. Qui hic quidem Græcum ſe oſtentat, & *κατὰ iuxta* exponit, hoc *cate* addens de ſuo. Pergit *Grævius*: Quid, ſi ſcripſiſſent *cata mane*, reſpicientes ad locum vulgati interpretis in *Ezech. Cap. XLVI, 15: Faciet ſacrificium ſuper eo cata mane, mane holocauſtum ſempiternum. Cata mane*, eſt valde matutino tempore, diluculi tempore, quod barbare interpretati ſunt, *iuxta cæli conſpectum*, hoc eſt, cum luceſcit, ut, diſcuſſis tenebris, cœlum liceat adſpicere. Hæc *Grævius. Matthias Martinius* in Etymologico ſuſpicatur, *an κατὰ montem? Montes adſpiciendo*, ut *Pſalm CXX, 1. Sapingius* in notis ad *Heſychium* tentavit: *Catopſin, cæli proſpectum.*

Nobis ſedet adhuc ſententia, in quam ab aliquot iam annis ſtatim ingreſſi ſumus, legendum

dum eſſe: *Catamitum*, *coleis abſectum*. Idem infra litra E dicitur, *Excaſtratus*, *excoliatus*, i. e. cui *colei abſecti* ſunt.

Clues, pluvia, vel navigium.

Grævius: „Monſtra hæc ſunt, quæ ego non „domo. Papias: *Cloes*, *folles*. *pluma*. Sic & „Conſtantienſis, niſi quod in illo ſcribatur, *Clues*, „*folles*, *pluvia*.„

Liceat nobis eſſe tam audacibus, ut, quæ *Grævius* deſperavit, nos ſuſcipiamus ſananda. Ex *Papia* vera lectio, una litera immutata, redibit: *Clues*, *polles*. Iam reſtituenda vox *cloacas*, quæ ex ſcribendi compendio pro *cloes* accepta fuit ab imperitis monachis, & ſic legendum: *Cloacas*, *profluvia*. Nam *pluvia* item ex ſcribendi compendio venit. Porro, antea *cloaca*, *burca* expoſita fuit; iſtam explicationem *burca* alius pro *barca* accepit, & de ſuo egregie hic addidit, vel *navigium*, quod retrahendum ex, libraii quidem ſententia, ad præcedentem gloſſam: *Cloaca*, *burca*, *vel navigium*. *Barca*, vel *Barga*, ſæpius in Scriptoribus medii ævi iungitur cum *naviculis*.

Collianorum, publicanorum, vel impiorum.

Grævius: „In excerptis *Pithœi* legitur *Callianorum*, et additur ibidem collibariorum. Sed „videtur ad ſequentem gloſſam pertinere, (Collybum, κερμάτιον.) *Reineſius* in variis ſcripſit, *tocullionum*„. Hæc *Grævius*, unde confirmatur eius error, quem ſupra notavimus.

Pithoe-

Pithœus veram ſcripturam vidit, quæ ex ſequente gloſſa utique colligitur. *Martinius* nihil monet, quaſi ſententia ſatis plana ſit.

Conſerui, cognovi, comperi.

Grævius: „Sic & excerpta *Pithœi*, ut & in voce „ſequente, *confida*, *dubitator*, eadem cum *Iſi*„*doro* conſentiunt; ut & Mſtum Gloſſarium „quoddam Regium, quod vidit *du Cange*; „quamvis ſint, ut credo, corrupta. Mirum vero, doctiſſimos homines leviſſimum errorem, qui his temporibus ſolennis eſt, non intellexiſſe. Scribendum: *Comperui*. Notatur tantum inſolens flexio.

Corimbata, navis.

Grævius tacet. Legendum, *Carabus*, quæ vox antea iam expoſita eſt, & ex ipſo *Iſidoro Etymol.* *XIX Cap. 1* deſumta.

Cremutium, holocauſtum.

Grævius in notis turbare poſſit; nam ex errore legitur, *hypocauſtum*. Idem vero fert hanc ſcripturam, quam *Martinius* & alii tulerunt. Legendum vero, *crematum*. Sic in alio *Gloſſario*, ὁλοκαυςον, *adulitum*; plane eudem ratione, non *adolitium*.

Cumerus, urbanus.

Grævius: „Nihil hic ſani. Quid ſit *cumerum*, „docuerunt ex *Feſto* & *Scaligero* viri docti. Sed

„hæc nihil ad hunc *Dionyſum*. In Conſtantienſi „eſt, *cumes, urbanus, nomen civitatis*. Hæc ulti„ma verba pertinent ad præcedentem vocem, *Cu„ma, civitas Campaniæ*. Sed pro *cumes* lege *comes* „(comis). *urbanus*. *Ioſ. Scaliger* & *la Cerda* cen„ſent, emendandum eſſe, *camurus*, *curvatus*. „Quod non improbem„. *Conſtantienſis* ſua ex hoc *Iſidori* Gloſſario ſublegit; adeo deceptus eſt ſcribendi compendio, & non poteſt emendari ex eo *comis*. *Martinius* ſervat, *cumerus*, *urbanus*. Fallor egregie, aut vera illa eſt ſcriptura, *cumerus*, *vannus*. Repetitæ duæ literæ primæ vocis, ſimul *v*, quod ſolet hoc ævum, mutaverunt in *b*; hinc *urbanus*.

Cucier, Ponticum ſacerdos.

Altum ſilentium obtinent viri docti. Legendum ſit, *Curio pontificum, ſacerdos*. Certe Feſtus *curionatum* clare vocat *ſacerdotium*. Ergo idem ac *Maximus Curio*, *Curionum* aliorum præfectus.

Decardo, occupatio,
& infra
Diſtario, occupatio.

Grævius legit *diſtentio*. Sed verius eſt *diſtractio*.

Derarat, torpet, frigidum eſt.

Nihil monent viri docti. Sed omnino legen-

gendum: *derorat.* Ovidius: *tellus rorata pruina.*

Draquiti, manus invidi.

Grævius nihil addidit, præter hæc ex *Papia*: *Draquili, manus invidi.* Nemo doctorum hominum lucem affert. Tentamus primi: *Dragmitæ, uniones incluſi.* Corruptio certo ex ſcripturæ compendiis. *Reineſius variarum Lectionum Lib. III Cap. 15* in vetuſta Latina verſione τῶν Κυρανίδων hanc vocem reſtituit; ubi legebatur: *veros uniones, ſeu margaritas albas ex utriſqus partibus erachmitas. i. e. retinaculum habentes.* A δράξ, quod manu teneri, vel prehendi, poteſt.

Econes, ſacerdotes ruſtici.

Egones, ſacerdotes ruſticorum.

Solus *Martinius* leviter attingit: Scribe *Ægones*, ab αἴξ, *capra.* Quod nec ipſe plane improbem. Id nobis ad id certum videtur, *ruſtici* addendum eſſe, ad præcedentem verſum: *Ecloga, pars carminis ruſtici.* Iam, *Econes*, vel *Ægones*, *paſtores.* Hanc vocem alius egregie mutavit cum *ſacerdotes*; quod monachorum tempore paſtores ſoli *ſacerdotes* noti erant, & vocabantur.

Emedium, vehiculum.

Grævius mavult *Epirhedium* ex *Iuvenali Sat. VIII, 66.* Præplacet *eſſedum.*

Ergaſtulum, carcer, vel locus, ubi damnati

nati marmora ſecant, vel aliquid operantur, quod Latine Talentum dicitur, ſub privata cuſtodia, ubi non ſunt tenebræ.

Grævius: „Cogitabam *Tullianum.*„ Sed certiſime reſtituendum, *Latomium*, vel *Latomia.* Nam clare dicit, *lapides ſecant.* Pro *ſub* lego *ſeu.*

Etica, proprietas. Eticon, proprium.

Grævius: „Excerpta *ectica.* Sic & *la Cerda.* Sed neutrum intelligo.„ Facile intelligatur, ſi recordemur, hominem voluiſſe, ἰδικον, ἰδικα, vel εἰδικα.

Eubo, oleo.

Tacent omnes. Literarum ordo poſcit *Eua* — — —. Ergo ſcribendi compendio male accepto venerit hoc monſtrum; pro quo tentem *Evaporo, oleo.* Papias, *Vapor*, ſicut pulvis aromatum, *odor.*

Exenim, valde.

Grævius: „Puto, *enim* delendum eſſe, & ſignificari, *ex* interdum in compoſitis habere poteſtatem augendi.„ Quod doctiſſimus Vir ex *Papia* confirmat. *Ab Almeloveen* putat, *enim* natum eſſe ex *o. i.* ſeu *id eſt.* Doceo vero veram originem erroris, quem ineptiſſimus monachus erravit. Ita exſtat in *Iſidori Libro X Etymolog.* ſub litera *E: Exornatus, valde ornatus. Exenim*

enim pro valde *ponitur*, *ſicut excelſus*, *quaſi valde celſus.* Hinc *Papias* ſua habet: *Ex propoſitio interdum pro* valde *accipitur*, *ſicut excelſus.*

Exibus, pinguedo.

Grævius: „Excerpta: *Exibua, pinguedo.* Quærant acutiores, ut & quid ſibi ſequentia duo vocabula, *exilta* & *eximequi*, velint.„ Spero, me inveniſſe monachalem imperitiam ſummam, incredibilem. *Iſidorus Origin. Lib. XX Cap. 2*: Axungia ab unctione vocata. *Sebum* a ſue dictum, quaſi ſuebum, quod plus *pinguedinis* hoc animal habet. Hinc eſt elegantiſſima vox; *Exſebum.* Si qui ſunt, qui Dictionaria monachalia, & medii ævi ſcriptores, verſaverint; ii facile idem videbunt, quod mihi videre videor.

Exilta, erronum marimus.

Grævius depoſuit, ut vidimus. *La Cerda* tentavit: *Exilta, erronum manus*; quod vix perſuadeat cuiquam. Fuit, *Exilia, errorum maris.* Reſpicit ad *Virgilii Æneid. III* initium, ubi *Æneas*: *Diverſa exilia* & diverſas quærere terras Auguriis agimur divum. Poſſis etiam legere: *errores marini.* Rem certe tetigimus.

Eximequi, proxenetæ.

Tentarem, *Xenodochi*, vel *Xenochi.* Erratum ſcribendi compendio.

Faſcinat, gravat.

Grævius Papiam advocat: *Faſcinat, adulando impetit*, (legendum, *impedit*,) *laudando decipit, gravat*. Sed iam *gravat* diſtinguendum eſt. In Iſidoro *faſcinat* eſt a *faſcis*. In *Papia*, & infra in *Iſidoro*, *fuginat* (lege *faſcinat*, & huc retrahe,) eſt a *faſcino*, βασκανος.

Feliatum, curvatum.

Grævius: "Sic & *Papias*. Sine meliore libro hæc „corrupta reſtitui non poſſunt. Cogitabam ali„quando, an non corrigi poſſit, *foliatum, nar„dinum*. Sed hoc eſt vaticinari.„ Ita *Grævius* non ſolum ipſe niſi vaticinari non poterat, ſed & ſine libris MSS. deſperat. At nos ſine libro veram ſcripturam reddimus: *Falcatum*; a *falce*. In Longobardicis literis *i* & *c* vix diſtinguas; *a* & *e* hoc ævo ſæpe mutant, ab eadem cauſa.

Galivit, peribit.

Grævius: "Prodigioſe corrupta ſunt, ut pleraque. Scribendum cenſeo, *Gallulat, pubeſcit*; Nonius, *Gallulare, pubeſcere*. Novius *Exodio*: Puerum mulieri præſtare etc.„ Rem tetigit *Grævius*; nos, credimus, verba reddimus: *Gallulat puer, iba, i. e.* ἥβα.

Hauſe, ſine circuitu.

Tacent optimi harioli. Ergo nobis vaticinandum: *reabſe*, pro *reapſe*, i. e. re ipſa. Cum *b* mu-

mutavit *u*, ut his temporibus ſolet. Puto, reſpici ad *Terentium* in *Andria*: *Ita aperte rem ipſam elocutus es, nihil circuitione es uſus.*

Hebita, lorica.

Grævius: "Id ipſum quoque eſt in *Conſtantienſi*. Sed nihil expedio de *hebita*„ Liceat nobis expedire: *Herbida, loca.* Deeſt explicatio; quam habet *Papias*: *herbidus locus, herbam habens.*

Hemoſus, odium.

Et hoc intactum reliquerunt doctiſſimi vates. Pergo: *Hervoſus, herbidum.*

Ibalia, maris habentia.

Gravius: "Quid, ſi ſcripſerit, *Ibis, avis Ægyptia.*„ Perſuaſerim mihi, Græca eſſe. *Ibal a* ἡ ἁλιά, ſeu, *Inalia*, ἐναλια, θαλαττης ἐπεχοντα. Sin minus: — — *matris habentia.* Certe *habentia* ſæpe pro facultatibus legi. An *localia*, quibus mater elocata eſt?

In lugiem, in luctus.

Arbitror coniunctim: *illugiem, illuctum.* Ut ſint nomina, aut ἀλυπια.

Inaſta, ſancta, pulcra, clara, ſplendida.

Grævius: "In Excerptis legitur *inacta.* Sed exiſtimo, legendum eſſe, *inclyta.*„ Ego vero mihi

præfero, *Illuſtria facta*, pulcra, &c. Eadem opera corrigo & hoc confirmo ſimul.

Iſtre, ſecte.

Illuſtria facta; quod corruptum adeo eſt, ut nemo auſus ſit attingere.

Iutia, lactare.

Grævius: "Forte, ut ſupra, *lalia, lactuca*, quamvis æque obſcura, aut mendoſa, ſit vox *lalia*, ac *jutia*." Sed non invenio illud *ſupra*. Lego tamen certo: *Iuncea*, *flectilia*; ut ſupra, *Iunceum*.

Laberna, ferramentum latronum, vel graſſatorum, vel furum.

Grævius: "Pro *ferramentum* ſcribendum fortaſſis, *furum daemonum*, *vel latronum*." Mallem ſcribere, *Laverna*, *ſacramentum* (i. e. iusiurandum, quo utuntur,) ſcilicet, ita me amet *Laverna*.

Lactena, malleum.

Grævius: "In Excerptis eſt *lactina*. Sed hoc quoque Chironeum ulcus eſt, cui ego ſanando non ſum. Cuius generis etiam ſunt, quæ ſequuntur, *Lamiro, blandus*. *Lampium, pulpitum, analogium*." Nimium vero tribuimus nobis, qui ſuſcipimus ea, quæ tantus *Machaon* depoſuit. Legendum certiſſime: *Lacerna, pallium*. Infra

la-

lacerna (pro *lucerna*) *cucullus.* Sed ſpecimen promiſimus.

Macerefellio, locus circumveniendi.

Grævius: "Tam hæc vitioſa ſunt, ut, quomodo poſſint emendari, non videam. In *Papia* deprehendo, hic explicari, quid ſit maceria. *Maceria*, inquit, *ſunt parietes longi, quibus vineæ clauduntur.* Potuit tale quid hic exſtitiſſe olim in his Gloſſis. Sed nihil affirmo." Rara prudentia, quæ & nos doceat. Dubitamus & nos tantum: *Maceriæ* — —. Reſtituenda illa ex *Papia*, ſeu *Iſidoro Lib. XV Origin. Cap. 9.* Iam ſubaudienda prima ſyllaba *ma*, quaſi fuerit

Maceriæ — — — — — *cellum*, locus carnis, *veniendi*, id eſt, ubi vænęunt carnes, vel, *locus venumdandi.* Quod ſcribendi compendio acceptum, pro *veniendi.* Pro quo bene correxit aliquis, *circumveniendi. Iſidorus Lib. XV Cap. 2: Macellum*, quod ibi mactentur pecora, quæ mercantibus *venumdantur.*

Malce, popino, qui amat in popinas ire.

Tacent viri docti. Lego, *Macello, popino*, cet.

Manubla, iteratio doctrinæ.

Grævius; "Sunt hæc prodigioſe corrupta. Forte

te pro his ſubſtituendum: *Manubiæ*, *ſpoliatio*, *rapina*.„ Sed mallem leviori correctione: *manuale*, *iteratio doctrinæ*.' *Nam in* ἐγχειριδίοις breviſſime repetitur, iteratur, ſumma doctrinæ cuiuslibet.

Mullitiones, ardianum ſecretum, ſive conſtitutionis.

Grævius: "Nihil hic ſani. Excerpta: *Moles Adriani*, *ſecretum Adrianum*, *conſtitutiones*. Sed *Gebhardus* & *la Cerda* ſcribunt: *Molitiones*, *arcanum*, *ſecretum*, *conſtitutiones*, ut ſint molitiones arcanæ. Sed hic quoque duæ diverſæ res peſſime ſunt confuſæ. Scripſit Gloſſarum auctor: *Moles Adriani*, *ſepulchrum Adriani*: *Molitiones*, *ſecretæ conſtitutiones*. Sed *du Cange* malebat: *Munitiones*, *archivum*, *ſecretum*, *conſtitutiones*. Sed non probo.„ Hæc *Grævius*. *Du Cange* nobis item diſplicet; ſed & *Grævii* coniectura. Arbitramur, verum fuiſſe: *molitiones*, *arcanum*, *ſecretum*, *ſive conſtructiones*. Ita recte diſtinguitur ſignificatus proprius ab improprio. *Moliri*, ut *Virgilius*, *moliri claſſem*, ædificare. Iſto alio ſenſu uſitatius, *molimina*. Deſino vero, ne Specimen hoc lectori tædium creet. Forte propediem *Gloſſarium* integrum emittere licet; in quod collatæ induſtriæ me non piguerit, aut poenituerit, ſi hæc Lectoribus elegantibus non diſpliceant.

IN-

INDEX I.

DICTORVM SCRIPTVRAE S. IN HOC VOLUMINE AUT EXPLICATORUM, AUT ILLUSTRATORVM:

Gen. III, 13. 370
15. 8
IV, 1. ib.
10. 32, 392. 559
X, 26. 560
29, 30. ib.
XI, 7. 369
XII, 3. 8
XIV, 5. 366
7. ib.
15. 40
XV, 17. 8
XVIII, 6. 370
18. ib.
XIX, 2. 14, 368
23. 370
24, 25. 406
38. 368
XX, 14. 366
XXII, 4. 43
13. 482
18. 8
XXIII, 9. 366
XXIV, 24. 365
Gen. XXVI, 22. 372
XXVII, 9. 366
36. 367
XXVIII, 4. 8, 367.
10. 5
XXIX, 21. 371
16. ib.
XXX, 22. 52
XXXVII, 12. 6
XXXIX, 12. 367
XL, 15. 371
16. 388
XLI, 21. 371
XLII, 25. 367
XLIII, 26. 369
XLV, 5. 363
14. 371
XLVII, 20. ib.
XLIX, 6. 385
10. 4. 6
13. 367
17. 368
24. 5. 9
LVI, 23. 367
Exod. II, 3. 368
IV, 13. 371
25. 392
XII, 16. 569
XIII, 21. 8
XIV, 24. ib.
XV, 1. 367
5. 569
8. 371
11. 367
13. ib.
16. ib.
17. 368
21. 367
XVI, 14. 561
XXIII, 20. 560
XXV, 33. 371
XXVI, 7. 367
26. ib.
XXVII, 10. 365
XXVIII, 17. 367
20. 365
26. 367
XXIX, 2. 468
37. 362

Exod.

Exod. XXXIII, 9,10. 8
XXXV, 3. 569
Lev. II, 2. 366
IV, 8. 189. 202
VII, 23. 193
XII, 8. 509
XV, 29. 366
XVI, 10. 484.b
XX, 9. 392
XXI, 5. 363
10. 19
XXII, 20. 192
XXIII, 17. 369
27. ib.
XXIV, 15, 16. 33
XXV, 5. 368
Num. VI. 581
15. 367
XII, 5. 8
XIII, 32. 371
XIV, 3. 371
XXII, 6. 369
XXIV, 7. 365
XXVI, 12. 366
13. ib.
21. ib.
29. ib.
XXVIII, 26. 365
31. 367
XXX, 3. 372
6. 371
9. ib.
13. ib.
Num. XXXIV, 4. 366
5. 370
LXX. 77
Devt. I, 20, 371
III, 10. 368
17. 367
IV, 19. 371
V, 19. ib.
VI, 4. 18
VII, 8. 371
IX, 10. ib.
XVI, 16. 365
XVIII, 20. 33
XIX, 10. 37, 38
XX, 2. 363
XXI, 5. 20
13. 54
23. 369
XXVII, 26. 54
XXXI, 16. 366
XXXII, 6. 362
32. 368
37. 372
41. ib.
Ioſ. II, 6. 367
V, 9. ib.
VI, 17. 364
XI, 2. 370
16. 366
XII, 3. 370
XIV, 1, 2. 393
XV, 1. ib.
28. 370
36. 367
56. 368
Ioſ. XVIII, 12. 364
Judic. I, 32. 366
IV, 7. 371
19. 362
V, 12. 372
XVII, 1. ib.
XIX, 5. 368
XX, 32. 369
XXI, 8. 366
XXII, 13. ib.
XXIII, 43. 368
XXVII, 1. 370
Ruth I, 13. 369
1 Sam. II, 18. 197
III, 2. 369
IX, 2. 370
XIV, 36. 369
XV, 22. 197
XIX, 7. 363
XXV, 3. 366
XXVIII, 5. 363
10. 368
2 Sam. I, 26. 364
II, 13. 366
XII, 25. 369
XIV, 2, 3. 370
XVIII, 12. 363
XX, 26. 364
XXIII, 1. 379
3, 4. 370
11. 366
27. 368
1 Reg. II, 26. 362
40. 364

1 Reg.

1 Reg. IV, 33. 560
XII, 7. 363
16. 362
11. 394
XIV, 3. 370
15. 366
XV, 20. ib.
XVII, 9, 10. 364
13. 370
2 Reg. IV, 2. 365
V, 18. 372
VIII, 12. 365
X, 28. 366
XV, 10. 362
XVII, 20. 370
XIX, 21. 372
XX, 18. 363
XXI, 19. 367
XXIII, 12. 679
1 Par. II, 11. 362
53. 362, 369
III, 24. 372
IV, 4. ib.
V, 6. 368
VII, 18. 370
VIII, 41. 368
XI, 36. 367
XII, 4. ib.
XXV, 3, 4. 372
Eſr. I, 10. 368
II, 21. ib.
IV, 7. 366
12. 363
VI, 2. 368
VII, 27. 372
Eſr. VIII, 17. 366
18. 369
IX, 3. 367
5. ib.
7. 369
2 Par. IV, 22. 367
X, 10. 362
XVI, 4. 366
XX, 7. 482
XXIV, 11. 372
XXXI, 7. 363
12, 13. 366
XXXV, 13. ib.
Neh. II, 10. 368
III, 6. 369
VIII, 9. 371
11. 372
IX, 4. ib.
19. 368
24. 369
25. 371
XII, 36. 370
38. 362
44. 366
XIII, 10. ib.
Eſth. I, 4. ib.
6. 370
III, 8. 366
9. 365, 369
IV, 11. 368
VIII, 6. 367, 371
IX, 5. 367
26. 574
27. 363
28. 574
Job. IX, 18. 368
31. 389
XII, 9. 367
XIII, 9. 369
XV, 15. 372
XVI, 19. 365
XVII, 2. 368
XX, 7. 369
22. 362
26. 372
XXVIII, 16. 378
XXXII, 2. 365
6. ib.
XXXIV, 25. 366, 368
XXXVIII, 16. 367.
Pſ. II. 6
8, 9. 384
III, 2. 372
7. 371
VI, 5. ib.
IX, 18. 366
XI, 6. ib.
XIV, 3. 54
XVI. 375
1. 363
2. 3. 380
4. 381
7. 192
8. 381
9. 379
10. 13, 43, 381
11. 13, 381
XVII, 3. 363, 372
8. 384

Pſ.

Pſ. XVII, 15. 43
18. 387
XVIII, 51. 279
XXI, 12. 372
20. 366
XXII. 49
XXV, 18, 19. 361
XXX, 4. 162
6. 49
12. 385
XXXIII, 6. 334
XXXV, 10. 385
26. 366
XXXVII, 7. 372
XXXVIII, 8. 202
21. 162
XLI, 5. 371
13. 393
XLIII, 1. 371
XLIV, 12. 368
XLV. 5
5. 6
8. ib.
9. 367
10. 363
L, 8 ſeq. 197
40. 387
LI, 6. 561
18, 19. 197
LIII, 4 54
LV, 24. 389
LVI, 1. 376
LVII, 1. ib.
2. 372

Pſ. LVIII, 1. 376
LIX, 1. ib.
LX, 1. ib.
LXIII, 9. 391
LXVI, 10. 363
LXVIII, 18. 367
29. 371
32. 372
LXIX, 10. 367
22. 365
LXXI, 23. 369
LXXII, 3. 13
7, 18. ib.
LXXIII, 2. 372
9. ib.
28. ib.
LXXXVI, 2. 363
LXXXVIII, 2. 384
LXXXIX, 45. 368
52. ib.
XC, 1. 6
8. 372
XCIV, 10. 394
CII, 14. 369
CIV, 15. 199
CXV, 4. 362
6. 372
15. 206
16. 362, 390
CXVIII, 5. 368
18. 192. 394

Pſ. CXVIII, 22. 45
CXXII, 7. 372
CXXIV, 6. 363
CXXXII, 17. 4
CXXXVII, 7. 372
CXXXIX, 2. 369
CXLIV, 13. 162
CXLV, 14. 361
CXLVII, 16. 561
Prov. V, 22 393
VII, 13. 369
16. 366, 367
VIII, 24. 369
35. 367
XV, 24. 389
XVII, 10. 372
XIX, 7. 362
XXIII, 8. 393
XXIII, 26. 186
XXVII, 29. 368
XXIX, 9. 394
25. 367, 411
XXX, 13. 370, 411
16. ib.
17. 363
XXXI, 16. 370
22. 367
Eccl. III, 21. 389
XII, 6. 195
Cant. I, 4. 5
II, 10. 365
13. 363. 365

Cant. V. 11. 378
13. 368
VII, 13. 369
VIII, 6. 367
IX. 1. 366
Eſ. I, ib.
3. ib.
II, 4. 367
V, 10. ib.
27. 366
VI, 4. 364
VII, 6. 370
14.
VIII, 4. 5
14. ib.
X, 15. 368
20. 366
XI, 1. 4
2. 9
15. 365. 366
XV, 2. 667
8. 369
XVI, 1. 561
XIX, 3. ib.
6. ib.
XX. 4. 365
XXV, 6. 199
11. 367
XXVIII, 7. 370
16. 4
XXX, 5. 362
12. 363
28. 366
Eſ. XXXIII, 1. 368
12. 369
15. 393
XXXIV, 11. 367
XXXVIII, 14. 372
XLI, 10. 393
12. 562
17. 369
XLII, 4. 13
6. ib.
XLIV, 16. 372
XLV, 8. 43
13. 365
22, 23. 13
XLVII, 2. 367
XLIX, 8. 96
13. 372
L, 8. 371
LI, 3. 368
LII, 5. 667
LIII, 3. 39
4 ſeq. 13
5 54, 56.
5, 394
6. 394
8, 9. 44
LIV, 1. 372
12. 367
LV, 3, 4. 390
LVI, 9. 12 372
LVIII, 3. 369
LX, 4. ib.
LXI, 1. 9
Eſ. LXI, 2. 87, 96
3. 365
Ier. I, 5. 562
III, 31. 370
II, 7. 365
IV, 13. 372
VI, 4. 369
VII, 21-23. 197
29. 372
IX, 5. 369
X, 17. 367
9. ib.
XI, 16. 365
XII, 9. 372
XIII, 25. 370
XX, 9. 367
XXII, 24. ib.
XXIII, 6. 43
XXV, 36. 363
XXX, 9. 5.
XXXIII, 15 ſeq. 43
XXXV, 2, 3. 366
XLVI, 20. 667
31. ib.
Thren. I. 360
II, 16, 17. 361
III, 22. 367
46-51. 361
IV, 16, 17. ib.
18. 371
Ez. IV, 12. 369
15. ib.

Ez.

Ez. VIII, 4. 364
XIII, 9. 366
XVI, 18. 372
XVII, 9. 367
XXII, 5. 366
28. 771
XXIII, 15. 365
42. 367
XXVI, 9. 362
XXVII, 7. 367
9. 366
11. 368
XXXIV, 12. 366
42. ib.
XXXV, 7. 370
12. 363. 366
XXXVII, 25. 13
XL, 43. 363
XLI, 7. 369
19. ib.
Dan. I, 4. 362
II, 10 363
34, 35. 5
36. 363
45. 5
III, 27. 365
V, 11. 367
17. 362
VI, 8. 365
VII, 13. 6
VIII, 9. 368
IX, 13. 371
Dan. IX, 19, 371
24. 40, 365
XII, 13. 51
Hoſ. III, 2. 368
4. 5. 59
IV, 2. 392
VI, 6. 197
VII, 11. 394
XIII, 14. 362
Ioel. I, 17. 368
Amos. I, 5. 393
III. 82
V, 21, 22. 197
VIII, 11, 12. 581
IX, 1. 372
Obad. 11. 363
Ion. III, 6. 388
Mich. V, 1. 4, 6
VI, 7. 370
VII, 6. 24
8. 372
10. 369, 372
Nah. III, 17. 368
Habac III, 6. 372
Zach. IX, 1. 6
9. 13, 372
10. 13
15. 365
XI, 9. 370
XIII, 4. 388
Mal. I, 8. 192
III, 1. 40
IV, 2. 87, 96
Sir. LI, 10. 6
1 Macc. II, 14. 11
III, 47. ib.
IV, 39. ib.
V, 14. ib.
XI, 71. 11, 19
2 Macc. VI, 4. 649
Matth. III, 8. 657
11. 401
VIII, 20. 45
X, 34-36. 24
XII, 24. 45
24 ſeq. 46
XVI, 4. 45
XX, 19. 52
XXI, 9. 562
12. 656
XXII, 21. 12
XXIII, 3 ſeq. 45
35. 363
XXVI, 51. 54
60. 62. 10
64. 14
XXVII, 1. 17
24. 36
25. 36, 37
26. 16
34. 48
52, 53. 50
62. 567
XXVIII, 52. 51

Marc.

Marc. I, 34. 41
25. 46
III, 22. 45
23-27. 46
V, 38. 667
X, 42. 13
XIV, 65. 39
XV, 15. 35
23. 48
24. 571
42. 567, 569
Luc. I, 6. 647
76. 41
78. 87
II, 11. 41
19. 40
21. ib.
26. 647
46, 47. 21
IV, 17. 43
17-21. 96
34. 41
XI, 15. 45
XV, 25. 563
XXII, 25. 13
37. ib.
64. 39
XXIII, 24, 25. 36
46. 48
55. 567. 569. 571
XXIV, 18. 211
Io. I, 9. 87
16. 42
II, 1[illegible]-19 52
III, 1. 39
8. 8
V, 25-27. 51
VI, 14. 2
VIII, 12. 87
45. 45
56. 8
IX, 5. 87
X, 17, 18. 52
23. 10. 656
29, 30. 10
XI, 25, 26. 52
XII, 10. ib.
20. 564
XIV, 17. 39
19. ib.
22. ib.
27. ib.
XVI, 8. 39
11. ib.
XVIII, 19. 16
33-38. 10
38. 34
XIX, 1. 16
4—6. 32
7. 10
9—12. 34
12. 10, 36
14. 36, 566, 567
15, 16. 36
Io. XIX, 23. 656
31. 567
32. 569
42. 567
Act. I, 11. 15
13. 680
II, 2. 43
25-28. 380
29. 382
31. 43
IV, 1 ſeq. 52
V, 36. 211
X, 43. 5
XIII, 34. 340
34, 35. 380
XIV, 13. 483
XVI. 666
22, 23. 16
XVIII, 24. 211
XXI, 23 ſeq. 579
XXII, 35. 49
XXIV, 6. 15
XXVIII, 29. 411
Rom. I, 16, 17. 647
22. 497
32. 647
III, 19 ſeq. 54[illegible]
22. 647
V, 16. 646, 647
17. 647

Rom. V, 18. 646, 647
VI, 21. 647
XI, 36. 417
XII, 1. 192, 513
XIV, 9. 263
1 Cor. I, 12. 211
II, 8. 39
III, 4. 211
VI, 2. 98
VIII, 6. 417
XVI, 22. 564
2 Cor. I, 8. 594
III, 18. 42
IV, 4. 43
VIII, 9. 45
Gal. II, 21. 647
III, 13. 54
21. 647
IV, 1. 403
8-11. 407
V, 24. 406
Eph. I, 8. 673
IV, 13. 42
Phil. I, 23. 565
II, 6. 43
90 ſeq. 591, 594
VI, 3. 210
18. ib.
22. 203 ſeq
24, 25. 210
V, ult. 592
Col. I, 7. 210
15. 48
I, 9. 40, 42
IV, 12. 210
Tit. III, 13. 211
Philem. 13. 214
25. 210
1 Pet. II, 8. 79
22. 44
2 Pet. II, 13. 649
1 Io. III, 5. 44
Hebr. I, 1. 403
3. 43
II, 9, 10. 384
V, 9. 405
VI, 1, 2. 385
X, 29-31. 405
XII, 4. 594
Iac. II, 23. 482
III, 16. 385
Iud. 14, 15. 403
Apoc. I, 8. 79
18. 52
II, 23. 192
V, 6. 513
XII, 11. 594
XXI, 6. 79
11. ib.
XXII, 13. ib.

INDEX II.

RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abraxas, nomen, plene explicatum. 63 ſeq. nominis etymologia veſtigata. 88 ſeq.

Abraxeæ gemmæ deſcriptæ et explicatæ. 75 ſeq. 94 ſeq.

Acta Eruditorum laudata. 185. 554

Africæ, nominis, etymologia explicata. 132 ſeq.

Anaſtii (Gregorii) Oratio de Laudibus ſtudiorum humanitatis recenſita & laudata. 171 ſeq.

— vita & fata ab ipſo deſcripta. 173 ſeq.

— in literas merita & ſcripta notata. 177 ſeq.

Apt (Bartholom.) Conſul Lipſienſis, laudatus. 522 ſeq.

Aretini (Leon.) interpretatio libelli Baſiliani commendata. 145 ſeq.

— editio antiqua cum recentiori Maii collata. 149 ſeq.

De *Arnoldo* (Chriſtoph.) ſingularia. 185

B.

Balbini (Bohuslai) in Acta Eruditorum merita. 183 ſeq.

Barzizii (Gaſparini) Epiſtolæ recenſitæ. 688 ſeq.

Baſilides primus voce Abraxas uſus. 70

De *Baſilii* M. de liberalibus ſtudiis libello ſingularia. 139 ſeq.

Belgerſamius (Bened.) Conſul Lipſienſis, laudatus. 522 ſeq.

Berengarij locus emendatus. 478

De *Boetii* (Sever.) metro libellus Perotti recenſitus. 282 ſeq.

Bonardus (Io.) ridiculus Vergerii de ingenuis moribus Commentator. 141

Bononienſis urbis hiſtoria civilis & literaria deſcripta. 170

Bos inter præcipuas profanarum gentium hoſtias olim uſitatus. 481 ſeq.

Burmannus (Caſp.) modeſte refutatus. 713

Buſchii (Herm.) Lipſicorum editio rarior deſcripta. 514 ſeq.

variæ lectiones notatæ. 551 ſeq.

C.

Candidi (Io.) rerum Aquileienſium Commentarii maximam partem Greg. Amaſeo tribuendi. 178 ſeq.

In *Catonis* Diſticha Commentarius recenſitus. 700 ſeq.

Celtis (Conr.) Ars verſificandi recenſita. 309 ſeq.

Chorus, vocis, varii ſignificatus notati. 563

Chriſti innocentia adverſus Iudæorum iudicium demonſtrata. 1 ſeq.

Chri-

Chriſti Deitas ,ex Actis Martyrum manifeſta. 416

Chriſto perperam blaſphemiæ, & ſeditionis, crimina a Iudæis obiecta. 7. 12.

Chriſtus a Gnoſticis per nomen Abraxas indicatus. 85 ſeq.

Ciceroni Libri ad Herennium a Mancinello vindicati. 295 ſeq.

Cœna puræ veterum Ebræorum illuſtratæ. 566 ſeq.

Corda ſibi cur Deus immolari haud iuſſerit? 186 ſeq.

D.

Deitas Chriſti ex Actis Martyrum manifeſta. 416

E.

Eduardi III, R. Angl. adverſus Philippum Valeſium expeditio illuſtrata. 320 ſeq.

Eleonoræ Aragoniæ vita & virtutes Oratione deſcriptæ. 163 ſeq.

De Euremodio (Roberti) in Catonis Diſticha Commentarius recenſitus. 700 ſeq.
de eo iudicium 706 ſeq.

Exenium quid ſignificet? 724

F.

Fictores in ſacrificiis profanarum gentium qui? 487 ſeq.
Flori Hiſtoriarum editio antiqua recenſita. 693 ſeq.
Friderici Severi, Landgravii Thuringiæ, in Gallos expeditio deſcripta & illuſtrata. 320 ſeq.

G.

Gaſparini Epiſtolæ recenſitæ. 688 ſeq.
Gemmæ Abraxeæ deſcriptæ & explicatæ. 75 ſeq. 94 ſeq.
Gloſſarium Iſidori emendatum. 717 ſeq.
Gnoſtici nominis Abraxas architecti. 66
Græcarum & orientalium linguarum harmonia per plurima exempla vocum demonſtrata. 104 ſeq. 215 ſeq
vocum diverſi ſignificatus notati. 645 ſeq.
Guarini (Bapt.) iunioris, in Eleonoram Aragoniam Oratio recenſita & laudata. 163 ſeq

H.

Ex Hebræa lingua quæſtiones grammaticæ propoſitæ. 360 ſeq.

Ad *He-*

Ad *Herennium* Rhetoricen eſſe Ciceronis, a Mancinello demonſtratum. 295 ſeq.

Liber primus a Mancinello Commentario explicatus. 296 ſeq.

Herodoti locus explicatus & illuſtratus. 479 ſeq.

loca emendata. 611 ſeq.

Horatii locus emendatus. 354 ſeq.

De *Horatii* metro liber Perotti recenſitus. 283 ſeq.

Hoſtiæ ſimulatæ in ſacrificiis profanarum gentium quæ? 507 ſeq.

Humanitatis ſtudia commendata. 181

I.

De *Imola* (Iuliani) Oratio recenſita. 159 ſeq.

nomen obſcurum. 168

Imolenſis (Lud.) ad populum Bononienſem Oratio recenſita & laudata. 168 ſeq.

fata obſcura. 169

Iſidori Gloſſarium emendatum. 717 ſeq.

Iudaeorum de Chriſto iudicium iniuſtitiæ convictum. 1 ſeq.

ſacra antelucana deſcripta. 59 ſeq.

Iudices tempore Chriſti rerum capitalium admodum fuerunt imperiti. 21

K.

De *Koppilio*, Mathematico Bohemo, iudicium. 184

L.

Legum excellentia ineptiſſime demonſtrata. 160 ſeq.
Linguarum Græcæ & Orientalium harmonia per plurima vocum exempla demonſtrata. 104 ſeq. 215 ſeq.
Lipſiæ varia nomina. 520
externus ſplendor. 521
Senatus laudatus. 521 ſeq.
Academia laudata. 525 ſeq.
Lipſienſis hiſtoriæ ſcriptores nominati. 526

M.

Mancinelli (Ant.) varia opuſcula grammatica recenſita. 286. ſeq. 303 ſeq. 306 ſeq.
acerrimus obtrectator Franc. Floridus Sabinus. 288 ſeq. 292 ſeq.
vita & ſcripta. 298 ſeq.
De *Marco*, Othoſophiæ Autore, ſingularia. 187

Mar-

Martyrum Acta vetera vindicata. 409 ſeq.
Maturantii (Franc.) de componendis Carminibus opuſculum recenſitum. 274 ſeq.
vita & ſcripta. 276 ſeq.
Menckenius (Otto) laudatus. 554
De *Metro* varia opuſcula recenſita. 273 ſeq. 306 ſeq. 309 ſeq.
Minutii Felicis loca emendata. 247 ſeq. 422 ſeq.
Moergius (Aegid.) Conſul Lipſienſis, laudatus. 522 ſeq
Mohammedanorum ſacra antelucana deſcripta. 61 ſeq.

N.

Inter *Neronis* domeſticos qui fuerint Chriſtiani, diſquiritur. 203 ſeq.
Notariorum primæ eccleſiæ in conſignandis Martyrum Actis fides vindicata. 409 ſeq.
Noveniani (Phil.) ad Buſchii Lipſica Notæ recenſitæ. 515 ſeq.
vita & ſcripta. 527 ſeq.

O.

Omniboni Vicentini de re metrica libellus recenſitus. 284 ſeq.

Para-

P.

Parabolani veteris eccleſiæ Chriſtianæ deſcripti. 603 ſeq.
unde dicti? 585 ſeq.
Perotti (Nic.) Opuſcula grammatica duo recenſita. 279 ſeq.
Philoſtrati locus emendatus. 358 ſeq.
Pighinucii (Fridiani) Carmina recenſita. 514 ſeq.
in Florum merita. 694
de eo ſingularia. 696 ſeq.
Plagiarii exemplum. 178
De *Poggii* (Franc.) Facetiis iudicium & ſingularia. 709 ſeq.

S.

Sabinus (Franc. Floridus) accerrimus Mancinelli obtrectator. 288 ſeq. 292 ſeq.
Sacra antelucana Iudæorum & Mohammedanorum deſcripta. 59 ſeq.
In *Sacrificiis* cur Deus ſibi corda immolari haud iuſſerit? 186 ſeq.
profanarum gentium ritus illuſtratus. 479 ſeq.
Servii (Marii Honorati) Centimetrum recenſitum. 285 ſeq.

Soci-

Socinianorum in Chriſti innocentiam peccatum. 55
Stromerus (Henr.) laudatus. 524

T.

Theodoſii Imp. leges de Parabolanis illuſtratæ. 600 ſeq. 606
Theodulianæ Eclogæ antiqua editio recenſita. 711 ſeq.
in eam Commentarius antiquus cuius pretii? 715 ſeq.
Theodulus quis fuerit? 716

V.

Vallæ (Laur.) Elegantiæ L. L. in compendium a Mancinello contractæ. 289 ſeq.
ab eodem emendatæ. 291 ſeq
De *Vergerii* (Petri Pauli) de ingenuis moribus libello ſingularia. 138 ſeq.
vita & ſcriptis notata quædam. 144
Virgilii locus emendatus. 351 ſeq.
Vocum Græcarum & orientalium harmonia per exempla demonſtrata. 104 ſeq. 215 ſeq.

W.

Wittigis (Ivo) quis fuerit? 699

IN-

Graviores operarum errores per *quatuor* huius *Voluminis Partes* hi ſunt emendandi: *Pag.* 144 *lin.* 17 pro *Maittairio* leg. *Muratorio*; *pag.* 181 *lin.* 21 pro *oſtenditur* leg. *oſtendatur*; *pag.* 277 *lin.* 22 pro *actuorem* leg. *auctorem*; *pag.* 279 *lin.* 25 poſt *inveſtigatorem* ponendum *Apoſtolum Zenum*; *pag.* 710 *lin.* 25 pro *In* leg. *in*; *pag.* 711 *lin.* 24 pro *obvium* leg. *obvio*; *pag.* 720 *lin.* 4 pro *Clues* leg. *Cloes*; *ead. pag. lin.* 19 pro *retrahendum ex libraii* leg. *retrahendum*, *ex librarii*. Plura paſſim occurrunt, ſed quorum facilem nos ab æquitate Lectorum veniam impetraturos confidimus.

INDEX DISSERTATIONUM,

QUAE

VOLUMINIS SEPTIMI MISCELLANEORUM

PARTE QUARTA

CONTINENTUR:

I. IO. DIETERICI WINCKLERI Spicilegium obſervationum ſubſecivarum philologico-Biblicarum. Pag. 559-566

II. PETRI ZORNII Diſſertatio poſthuma de Cœnis puris veterum Ebræorum. Pag. 566-584

III. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII de Parabolanis veteris Eccleſiæ Chriſtianæ, quorum in Codice Theodoſii & Iuſtiniani contracta iniicitur mentio, Commentatio. Pag. 584-607

IV. IO. IACOBI REISKE ad Herodotum coniecturæ. Pag. 607-644

V. CHRISTOPHORI STRODTMANNI

NI Sylloge nova, eaque prima, differentiarum Græcarum. Pag. 644 - 687

VI. FRID. OTTONIS MENCKENII Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas quinta, eiusque altera Pars. Pag. 688 - 717

VII. M. IO. SALOM. SEMLERI Specimen emendationum Gloſſarii Iſidoriani. Pag. 717 - 730

Widener Library
3 2044 092 617 521